

[DISPUTATIONES in Aristotelis  
dialecticam iuxta angelici Doctoris D.  
Thomae doctrinam et scholam]. -- [S.l.]  
: [S.n.], [s.a.]

[2+], 464 p., [1+, A-Z8, 2A-2F8 ; 4°

Fecha probable de imp. segunda mitad  
del S. XVII. -- Texto a dos col.

1. Aristóteles. Organon-Crítica e  
interpretación 2. Aristotele. Organon  
-Kritika eta interpretazioa 3.  
Dialéctica 4. Dialektika 5. Tomismo 6.  
Tomismoa

R-6562

## De Dignit. Dialect.

fectum Dialecticæ: ergo digniores sunt reliquæ scientiæ, & dignitate sumpta ab obiecto, & ea, quæ sumitur ex certiori modo procedendi.

*Soluuntur argumenta.*

5 Contra arg. 1. Secundum D. Thom. in procem. poster. dicitur ars artium, & scientia scientiarum nostra Dialectica: ergo quia dignior est, hic enim modus loquendi exprimit dignitatem. Tum etiam, dignitas sumitur à perfectione, & perfectio à forma: sed Dialectica dat formam alijs: ergo perficit omnes alias: ergo dignificat: ergo in se dignior est. Maior est D. Tho. 1. p. q. 73. art. 1. & 1. 2. q. 4. artic. 2. ad 1. & 2. dist. 37. q. 3. art. 2. ad 2. Minor constat, quia Dialectica dat formam sillogisticam, sine qua scientia non datur.

Resp. cum Flandr. post. q. 1. art. 1. Dialecticam sic vocari, quia est vniuersale adminiculum, per modum ministrantis cæteris scientijs instrumenta sciendi; non verò quia sit causa principalis vniuersalis; minister autem indignior est eo, cui ministrat, & ideo Dialectica indignior est reliquis scientijs. Ad conf. dico, quod perfectio, & dignitas, non sumitur à forma accidentali, sed ab essentiali. Dialectica vero non format alias scientias essentialiter, sed solum accidentaliter, secundum formam sillogisticam, ac subinde indignior est reliquis,

6 Sed contra; à quo aliqua, quæ sunt diuersæ rationis causæ, dependent in esse, & conseruari, & in causari, etiam si hoc fiat mediante aliqua forma accidentali, est perfectior illis, quæ sic dependet, quia illud habet rationem causæ vniuersalis, & alia ratione causæ particularis: certum autem est causam vniuersalem esse nobilissimam: sed reliquæ scientiæ pendent à dialecticâ in esse, fieri, conseruari, causari, vt ostendi in procem. Log. dub. 8. ergo, etsi hæc dependentia sit mediâ forma sillogistica, non inde tollitur, quod sit dignior; explicatur, etiam si virtutes morales dependeant à prudentia, non quidem in ordine ad suos fines, & suam speciem; sed quoad formam accidentalem moralitatis, & quoad directionem ad regulas moris, quia tamen prudentia est principium vniuersale, à quo pendet singulæ virtutes, est perfectior, & dignior omnibus illis, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 66. art. 1. & 3. & 2. 2. q. 23. art. 6. & q. 166. art. 2. ad 1. ergo similiter. Tum quia charitas est forma omnium virtutum, perfectior est illis, de quo attentè vide D. Tho. 2. 2. q. 23. art. 6. & 7. & 8. & tamen dat solum formam accidentalem: ergo dicendum est idem de Dialecticâ.

7 Resp. ex dictis tract. 1. Log. disput. 1. dub. 1. §. 3. nu. 11. & 14. causam non dici vniuersalem, si non causat aliquid, quod sit per se, aliàs causans ab eadem in subiectis diuersæ

speciei esset causa vniuersalis, vel si est causa vniuersalis, a quo penderet, tanquā ab accidente dispositio: non inde sequitur maior dignitas, sed potius minor, quia forma dispositiua indignior est, quam forma essentialis, ad quā disponit, & ad cuius esse, & conseruari, & causalitatem disponit: de quo vide R.R. Arau. 1. Metaph. q. 5. art. 5. in fine. Nec prudentia solum prestat formam accidentalem virtutibus, sed prestat finem, & ordinat ad regulas moris: moralitas autem non accidit virtuti, vide D. Tho. 1. 2. q. 66. art. 3. in corp. & ad 3. Et dato, quod solum dirigeret ad formam accidentalem, non ideo esset perfectior, sed quia dirigit ut virtus intellectualis, quæ ex genere est perfectior morali, ut ibidem docet D. Tho. & videri potest M. Gregor. Mart. ibidem art. 4. dub. 1. Nec charitas ideo perfectior est, quia format accidentaliter alias virtutes, sed quia hæc formatio nascitur ex eo, quod attingit vltimū finē, quod est supremū obiectū: cum ergo formatio logicæ nascatur ex vilissimo obiecto, nēpe ex secūda intentione, illa formatio accidentaliter non suadet in illa maiore dignitatem.

8 Arg. 2. Quo obiectū scientiæ magis abstrahit a motu, magis certificat intellectū de suis veritatibus, cū sit magis immutabile: sed obiectū logicæ omnino abstrahit a motu, & tempore, a quo non abstrahit physica: ergo saltim est perfectior illa, dignitate sumpta ex certitudi-

ne procedendi. Dices, quod physica non minus immobiliter attingit suum obiectum, & mobiliatē, & tempus, quam logica, imò multo magis, quia licet nō abstrahat ab ea in actu signato, abstrahit tamē in actu exercito, & in actu signato habet firmiores causas attingēdi immobiliter, quia habet pro obiecto ens reale. Sed cōtra est, quod sciētia, quæ immaterialiori modo procedit in actu signato, certius, & firmitus procedit, ut patet in omnibus alijs sciētis realibus, quæ hac ratione sunt digniores Dialectica: ergo si hæc etiā in actu signato abstrahit à materia, quæ est radix motus, certiori modo, & digniori procedet. Dices verū esse, quod aliæ sciētia reales, sunt digniores logica, quia etiam in actu signato abstrahūt à materia positiuē; at logica abstrahit negatiuē, ob minimā entitatem entis rationis, & ideo hoc nō arguit maiore dignitatē. Contra est, quod secūda intentioni, & eius essentia positiuē conuenit abstrahere ab omni materia: ergo positiuē est immaterialis, & abstrahit ab omni materia. 2. abstractio à materia est quid negatiuū: ergo si hæc arguit immaterialitatē, & certitudinē, non minus est digna logica ex hoc capite, quā metaphysica. 3. Theolog. a solū abstrahit negatiuē, & tamē hac ratione est perfectior alijs: ergo. Quia nō minus est impossibilis materia in Deo, quā in ente rationis. 4. Quia diuisibilitas dicit imperfectionem, indiuisibilitas negatiua

## De dignitate Dialcct.

5

Angelus arguit summam perfectionem, sed materialitas dicitur imperfectionem: ergo immaterialitas negatua obiecti logica dicitur summam perfectionem.

9 Resp. quod ens rationis habet esse ens fictum, & ideo eius immaterialitas est positua fictum, & non verum; vnde sicut in re est non ens, ita in re est non materiale. Ad 2. quod immaterialitas explicatur per negatiua: sed alia habet fundamentum posituum, alia negatiua, prima dicitur perfectionem, & sic reperitur in obiecto Theologiae. 2. modo in logica, ubi non dicitur perfectionem, & sic ad 3. Ad 4. eodem modo, quod indivisibilitas Angeli fundatur in spiritualitate, & sic est positua: etiam indivisibilitas puncti sit negatiua, quae fundatur in imperfectione: & sic se habet immaterialitas logica, & ideo dicitur imperfectionem.

10 Arg. 3. Nobilitas scientiae non sumitur ex obiecto materialiter, sed formaliter in esse scibile (alioquin opinio metaphisica esset nobilior scientia phisica) sed obiectum logicae non minus est simpliciter scibile, quam obiectum metaphisicae: ergo non minus certe procedit logica: ergo non minus est digna. Dices, dignitatem scientiae sumi quidem ab obiecto formaliter secundum scibilitatem, non ut dicitur veritatem infallibilem; sed ut dicitur causas infallibiles veritatis, & quia haec possunt esse firmiores, vel infirmiores, sub aequa veritate scibili obiectorum scientiarum, est inaequalis

dignitas reperta in illis, desumptaque ex dignitate obiecti, & ex causis, ex quibus eorum veritas mediata procedit. Sed contra est, quod logica non sumit suam specificationem ab obiecto, & ab eius causis in esse entis, sed in esse scibili, & sic aequè insunt, ac causa, ex quibus procedit metaphisica. Resp. quod aequè insunt quantum ad veritatem, quae consistit in indivisibili; non vero quantum ad certitudinem, quae consistit in ipso esse extremorum, ex quibus resultat veritas, quae quidem extrema non sunt aequè immaterialitatis.

11 Arg. 4. obiectum logicae perfectius est quam plura obiecta aliarum scientiarum realium: ergo ex hoc capite non est indignior. Probat. tunc, quia specificat habitum logicae, qui est ens reale: ergo perfectior est aliquo enim reali. Tum, quia quod magis assimilatur Deo, perfectius est; sed ens rationis magis assimilatur Deo, nam Dei scientia consistit in actu secundo, at entia realia creata distinguuntur ab actu secundo, & tamen ens rationis essentialiter consistit in actu secundo, scilicet, in obiecti actu, & considerari: ergo. Dices ex nostra log. trac. 1. dis. 1. dub. 3. q. 3. a nu. 23. quod ens rationis, non specificat, & mensurat Logicam ratione sui; sed virtute realis fundamenti, quod nititur; ac perinde sicut ex quo accidens virtute substantiae causet substantiam, non sequitur esse perfectius: sic neque ex quo ens rationis virtute sua

damenti realis specificet habitum realem. Vnde non sequitur, quod magis assimilatur Deo; quia consistit in actu secundo dependentia ab intellectu (sicut lux à Sole, & modus à re modificata) at ens reale, quauis non identificet actum secundum, tamen potest habere esse per se. Sed contra primum est, quod sicut substantia, quæ causatur medio accidente, non est imperfectior illa, quæ non causatur medio accidente: quia effectus correspondet in dignitate causæ principali, & non accidenti: ita non bene probatum est, quod habitus Logicæ sit imperior alijs scientijs ex eo, quod habet ens rationis pro obiecto; siquidè reuera habet pro obiecto fundamentum reale, in cuius virtute eam specificat ens rationis. Resp. Sæpè debilitari effectum ab instrumento: nã monstrum nascitur ex debilitate caloris, vel instrumentorum generationis. Præterquam quod Logica non specificatur a fundamento reali, sed ab ente rationis, vt fundato, ly vt supro tantum specificatiue, sicut lac generatur à calore vt vberis, ly vt supro specificatiue.

12 Arg. 5. Etsi scientiæ practicæ habeant pro obiecto ens reale, & Dialectica ens rationis, hæc est dignior illis: ergo ex quo ceteræ scientiæ speculatiuæ habeant pro obiecto ens reale, & Dialectica ens rationis, malè probatur Dialecticam esse indigniorem. Dices, scientias practicas, non tædò esse ignobiliores, quia habeant pro obiecto ens reale;

sed quia exceduntur à Logica in modo procedendi certius; dignitas autem scientiæ, vel ex vno, vel ex alio sumitur diuiniue. Contra est, quod certitudo procedendi sumitur ex causis, & principijs obiecti: si ergo Dialectica habes pro obiecto ens rationis, dignior est ex hoc capite scientijs practicis habentibus pro obiecto ens reale: cur non erit etiã certior alijs scientijs speculatiuis, & si specificentur ab ente reali? Resp. quod obiectum logice specificat logicam in virtute entis realis, vt cogniti in vniuersali, & sic ex genere habere firmiores causas suæ certitudinis, quam obiectum reale scientiæ practicæ, quæ concernit singulares circumstantias loci, & temporis, & ea dirigit; hinc tamen non probari, esse digniorem scientijs realibus speculatiuis; quia hæc immediatius respiciunt ens reale habens firmiores causas, quam ens rationis specificatum logicæ etiam pro fundamento.

13 Arg. 6. Dialectica est prima acquisitione: ergo & dignitate. Resp. Fland. q. 8. meth. art. 2. lib. 1. oppositum sequi, quia quod est primum in executione, est vltimum in intentione, & dignitate. Contra est: quia quantitas primo inheret subiecto (& per illam cetera accidentia) & tamen est dignior: ergo quia dialectica prima inter scientias perficit intellectum, & ratione eius reliquæ scientiæ, erit dignior. Resp. nego causalem, sed quia est prima passio: at logica est prima per modum dispositionis

tionis mouentis ad alias scientias,  
& ideo indignior.

*Dub. 2. An Dialectica sit prima acq-  
sitione inter ceteras scientias?*

1 **S** Vpposito, quod Logica est sim-  
pliciter necessaria, vt dixi in Lo-  
gic. tract. 1. dub. 8. Facilis est resolu-  
tio; sed quia independenter ab illa  
sententia discutitur in presenti hoc  
dubiū, attendēdo ad ordinē doctri-  
næ libuit non omittere.

*Vnica conclusio.*

2 Logica est prima acquisitione.  
Sic Eland. 1. Meth. q. 8. art. 2. & lib.  
2. q. 5. art. 2. Soto. q. 1. log. Araujo  
2. meth. q. 5. art. 4. referens scholā  
Stoicorum, & Peripatetic. apud  
Laert. lib. 7. de vit. Philos. Alexād.  
& Albert. Magn. Sanch. lib. 1. Log.  
q. 4. proœm Lerma ibi. q. 3. & cō-  
muniter Thomistæ; & eam expres-  
sè docet Ang. D. opusc. 70. q. 5. art.  
1. ad 3. & q. 6. art. 1. ad 3. & in proœ-  
mi. post. & 2. meth. lect. 4.

3 Et prob. ordo doctrinæ  
postulat, vt ars præcedat artificia-  
tum, vt fir in omni alia materia, at  
scire cadit sub arte modi sciendi,  
quem docet dialectica: ergo hæc  
debet prius addisci, quam reliquæ  
scientiæ. Tum etiam, ordo doctri-  
næ, & artis imitatur naturam: sed  
in intellectu naturaliter procedit de  
imperfecto ad perfectum, & de no-  
titiâ vniuersali, & confusa ad parti-  
cularem, & determinatam, vt dici-  
tur 1. phisic. cap. 1. ergo inter scien-  
tias ea debet prius addisci ordine  
doctrinæ, quæ habet obiectum im-  
perfectius, & quæ prius agit de sci-

bili in communi, & modo sciendi,  
relinquendo alijs, vt tractent de sci-  
bilibus in particulari. Quia res ferè  
est sine controuersia, alias rationes  
libenter omitto.

*Soluantur argumenta.*

4 **N** contra militant Plato lib.  
7. de rep. quem sequitur Plo-  
tin. Aenead. 2. c. 3. exiliantes à Ma-  
thematicis tanquam à facillioribus  
esse inchoandam disciplinā: at Pa-  
netius, & Porsidonius. Apud Laert.  
lib. 7. in vit. Zenon. à philosophia  
naturali initium sumendum censue-  
re. Diogenes Apollinares, & Ardro-  
micus cū Eustrat. In proœm Ethic.  
Et Simplic. in præfat. ad Categori-  
& antiquiores Agyptij. Apud Hierō-  
lib. 38. Hieroglyphic. a Philosophia  
Moralis melius ordiri in tradendis  
scientijs contendunt. Fonseca. 2. me-  
th. q. 4. secutus sandun. ibi q. 12. ait  
quidem trito, & cōmuni doctrinæ  
ordine à dialectica incipiēdum: sed  
ordine exquisita doctrinæ, prius et-  
se tradendam metaphisicam.

5 Et quidem nō recte incipi à dia-  
lectica, probant, quia à facillioribus  
est incipiendum, vt dicitur 5. meth.  
& ipsa natura docet, quæ in am-  
bulando, in discurrendo, & in alijs  
suis operibus à facillioribus gradum  
facit ad difficiliora. Sed dialectica  
ratione sui obiecti est longè diffici-  
lior omnibus alijs scientijs: ergo ab  
illa non est incipiēdum. Prob. min.  
Quæ magis distant à sensibus sunt  
nobis scitu difficiliora, eo quod noi-  
tra cognitio a sensibilibus pendet:  
sed ens rationis, quod est obiectum

logica magis distat, quā ens reale, quod sub diuersa ratione alias scientias specificat: ergo. Tū 2. cognoscibilitas sequitur entitatem, & quo hæc maior fuerit, facilius cognoscitur, melius namque videmus corpus magnæ quantitatis, quam athomū: at ens rationis est minimæ entitatis, & quasi athomus: ergo difficilius cognitu est, quam ens reale.

6. Resp. D. Th. de cere loeis in citatis, a facilibus fore incipientium, nisi alias necessitas cogat; cum autem logica sit necessaria, saltem ad melius esse ad cognoscendum modum sciendi, definiendi iudicandi, & argumentandi, ab ea incipiendū est, & si difficilius sit. Contra est, quod ordine naturæ, quam ars imitatur, ea, quæ sunt faciliora disponunt, vel sunt necessaria ad difficiliora: & non e contra; neque enim natura parat viam ad faciliora per difficilia: ergo vt ordo doctrinæ seruetur, nulla necessitas cogit ad incipiendum à Dialectica, quæ est difficillima. Nec ista potest esse necessaria ad melius esse; siquidem melius se habet intellectus, si per faciliora ad difficiliora ducatur. Resp. quod quando id, quod est difficilius præstat modum melius, & firmiter habet id, quod est facile, etiā ordine naturæ præcedit, quod est difficilius: nam difficilius quandoque est dispositio, quam forma, siquidem longo tempore fit dispositio, & cum dolore ad ferum, & tamen in instari formatur, ceterum tantum gradum difficilius peragit, quam celerē, qui est

facilior sano: medium difficilius inuenitur, quam eo inuento cōsequatur finis, qui facillimè apparet euique. Præterea, quod est difficilius, vt quod, si sit facilius, vt quo, præcedit semper: hoc habet logica, cum doceat modum sciendi: debet ergo alias scientias antecire.

7. Arg. 2. pro sent. Eō scē. Quælibet scientia, cum sit discursiua, pēdet à notitia principiorum, & terminorum, quibus constant, & illa sic cognita debet præsupponere: sed metaphysica explicat terminos primorū principiorum (etiam dialecticæ) vt docet D. Th. 1. p. q. 1. ar. 8. cu. 1 Arist. 4. met. in principio: ergo. Conf. 1. Scientia subalternata haberi nequit sine subalternatē, vt dixi in logica tract. ultimo disp. vltima dub. 2. at logica, & alia scientiæ, licet non formaliter, virtualiter tamen subalternantur metaphysicæ, quæ demonstrat eorum principia: ergo non possunt esse scientiæ nisi illa præhabita. Conf. 2. Metaphysica explicat substrata generis, speciei, & secundarum intentionū (imò & naturam entis rationis); at nequit haberi notitia secundarum intentionum, de quibus agit logica, si non præcognoscantur substrata (siquidem, vt ait Auicena, agit de secundis intentionibus, adiunctis primis: ) ergo. Tandem. Eō logicā fore primā cōtēdimus, quia dirigit omnes alias scientias, vt admiculans, & ancilla: sed metaphysica dirigit omnes scientias, & etiam ipsam logicā, vt rectorix, & domina (quod

(quod docet Arist. & D. Th. 1. met. lect. 1. sed directio per modū superioris prior est ea, quæ est per modū ancillæ, quia hæc nō ex se, sed ex directione superioris operatur: ergo.

8. Resp. quod metaphysica nō ostendit principia inferiorū scientiarū: hoc enim fit à lumine naturali, sed solum explicat terminos contra negātes, & hoc, supposita notitia scientiarum inferiorum, & non alias, ac perinde non est necessaria ad alias scientias, imo ad hoc ipsum indiget logica, & supponit alias scientias. Sic deduco ex doct. Ferrar. 1. Contrag. c. 4. Sanch. lib. 1. log. q. 4. ad 1. Lerm. ibi dub. 2. & ex D. Th. opusc. 70. q. 5. ar. 1. ad 9. Vel dic cū D. Th. 1. phys. tex. 8. & 1. post. lec. 20. quod etiā aliæ scientiæ quoad sua principia aliquatenus pendeant à metaphysica, quia sua obiecta sunt entia particularia contenta sub ente reali in cōmuni, at logica æquiparatur metaphysicæ in universalitate, eo quod agit de secunda intentione, vt sic, & explicat terminos suorum principiorum, vnde dato, quod argumentum probaret quoad scientias reales, non probat, quod Dialectica supponat metaphysicam, quin potius ipsa ad illā debet supponi, nec obstat, quod metaphysica etiā agit de ente rationis vt sic, sub quo videtur contineri obiectum logicæ, ac perinde, quod sit pariter dicendum de hac, & de alijs scientijs: nam metaphysica agit de ente rationis, vt radicat suas passiones; at logica de illo agit, vt est secunda intentio artifi-

ciosa; & ideo, sicut ens supernaturale reale non continetur sub ente specificatio metaphysicæ: sic neq; ens rationis artificiosum, quod solum continetur quasi in potentia obedientiæ artificiali entis realis. Ceterū circa materiā huius argumēti plura vide apud M. Mart. de Prado 1. p. metaph. contr. 1. art. 3. §. 1. & 4.

9. Ad 1. con. resp. Scientias inferiores, nec virtualiter subalternari metaph. sed secundū quid, & metaphorice, quia in subalternatione subalternata solum dicitur quia suarū conclusionum, & subalternans propter quid, vt ait Arist. 1. post. lect. 25. cū D. Th. ibidē; at scientiæ inferiores independentes à metaphysica dicuntur propter quid, vt tollēnt Flādr. 1. met. q. 8. a. 2. Sed adhuc cōcessa subalternatione aliarum scientiarū realium ad metaphysicā, eo quod sua obiecta aliquomodo continentur sub obiecto metaphysicæ: neganda tamen est in dialectica, ob rationē redditā num. ant. Ad 2. quod Dialectica vt habeat sufficientem notitiā substratorū suarum intentionum: sufficit notitia primæ apprehensionis, & primorum principiorū, nec ad hoc requiritur metaphysica. Ad 3. quod & nō probat, supponi metaphysicā ad alias scientias reales, nō tamē supponi ad Dialecticā, quia eā non regit, eo quod non negotiatur de eius principijs, vt dialectica est; & aliās logica dirigit metaphysicā quoad formā syllogisticā, ideoq; illi debet præsupponi, de qua vide Flādr. 1. metaph. q. 1. artic. 1. ad 2.

Sed nec debet supponi metaphisica alijs sciētijs, quia eas non dirigit quoad veritatem, quā non à metaphisica, sed à suis principijs lumine naturali notis mutuunt, vt ait Arist. 6. Topic. cap. 3. sed solum defendendo contra negantes, & sic supponit metaphisica alias sciētijs, quorum principia defendit, de quo videndus D. Tho. 1. 2. q. 66. art. 3. ad 4. Et Ferrar. 1. Contragent. cap. 4. At Logica distinguit docendo, quomodo debeant disponi principia in forma maioris, & minoris, vt recte inferant, & ideo supponitur alijs sciētijs. Vel dic, quod in metaphisica dirigit imperando, & ideo supponit sciētijs, quibus imperet (quia adhuc in Deo non est dominium nisi supponantur creaturæ) at Logica dirigit vt disponens, & ideo præsupponitur omnibus alijs sciētijs. De quo vide Mas. in Log. sectione 2. pro em. q. 4. ad 6.

10 Arg. 3. ad probandum Æthicas sciētijs præsupponendas alijs; quia morum integritas, sedatio passionum, quies à strepitu vitiorum exigitur ad percipiendas sciētijs; alioqui non dabitur vera sciētia; iuxta illud Sap. 1. *In malenolam animo non introibit sapientia; sed hoc docent Æthicæ*: ergo

Resp. posse nos sine gratia, & virtutibus moralibus percipere sciētijs, vt ostendunt Thomistæ 1. 2. q. 99 art. 2. & experientia testatur in Arist. & innumeris Æthnicis Philosophis, & dato eam requiri, hoc non præstat sciētia Æthicarū, quæ

inflatur, sed gratia, & virtutes, quæ edificant, vt ait D. Tho. opusc. 70. q. 3. art. 1. ad 3. & ideo hac ratione non debent Æthicæ præsupponi, quia solū speculatiuè docent, quod non præstant.

11 Arg. 4. absolutè contra cōclus. Sciētiæ seruant ordinem ratione suorum obiectorum: sed obiectum logicæ non est primum scibile: ergo ipsa non est prima sciētia. Prob. min. non est primum cognoscibile, siquidē cognoscitur per speciem entis realis: ergo non est primum scibile. Prob. conseq. cognoscibile est predicatum superius ad scibile, sicut animal ad hominem, & equum, sed à negatione superioris ad negationem inferioris bene valet: ergo. Dices, obiectum logicæ esse primum scibile, quia & si non sit primum cognoscibile cognitione simplici, & absoluta in ordine ad se, est tamen primum cognoscibile complexe, & in ordine ad passionem, vnde sicut ex quo quantitas nō sit primum ens absolutè, non sequitur, quod non sit primum æquale, quia sic est primum ens ad æquabile: sic in nostro casu, de quo Araujo 2. metaph. q. 3. art. 4. num. 42. Præterquam quod non bene valet; non est primum cognoscibile: ergo nō est primum scibile. Sicut non valet; non est primum animal: ergo non est primus homo, aut non est primus equus: quia etsi valeat à negatione superioris ad negationem inferioris absolutè; non tamen valet cū addito.

12. Sed contra est, quod obiectum Logicæ etiam pendet in cognoscibilitate complexa, seu relata essentiæ ad passionem, à cognoscibilitate complexa entis realis, solutio est ergo nulla. Prob. illa connexio explicitè est ens rationis: ergo ficta ad similitudinem connexionis essentiæ realis cum suis passionibus.

Conf. 1. etsi causa secunda, & accidentalis sic necessario connectantur, vel liberè, cum suis effectibus, sicut causa substantialis, & prima cum suis, dependent tamen à causa prima per se, & à causa substantiali: ergo similiter. Prob. eo enim est illa dependentia in causis, quia est dependentia in esse absoluto: sed ens rationis etiam per se pendet ab ente reali in esse absoluto: ergo.

Secundo illa connexio entis rationis ad suas passiones non est uniuocè eadem cum ea, quæ dicit ens reale ad suas, sed solum proportionaliter: sicut connexio, quæ dicit accidens ad suum esse, est tantum proportionaliter eadem cum ea, quæ dicit substantia ad suum esse; atqui connexio accidentis cum suo esse dicit dependentiam intrinsecam ab ente reali; à quo subsistit, & accipit esse: ergo idem est dicendum de connexione entis rationis cum suis passionibus: sed per scientiam cognoscitur obiectum, sicut est: ergo si connexio obiecti ad entis rationis, in qua fundatur scibilitas, est dependens ab ente reali scibili, cognosci non poterit ab intellectu, quia præsupponitur scibilitas scientiarum realium.

13. Resp. quod illa connexio est ens rationis complexum, & ideo ex quo explicitè fit connexio rationis, non sequitur, quod cognoscatur dependenter ab ente reali, sicut ex quo æqualitas duarum quantitatum fit inter quantitates explicitas, non sequitur æqualitatem esse formaliter dependentem à substantia: quia hoc est prædicatum connexionis in determinato genere, in quo primo competit æqualitas, at scibilitas primo competit scientiæ, quæ tradit modum sciendi: ergo. Vel dic, quod ens rationis ut scibile per se pendet ab ente reali scibili in intentione, non autem in executione. Sicut medium, ut medium pendet à fine, sed non in executione; sic enim potius finis pendet à medio; sic ens rationis ut scibile in intentione est propter scibilitatem realem: sed in executione hac ipsa ratione est primo addiscenda logica.

14. Ad primam confirm. nego, quod illæ causæ simpliciter connectuntur in actu secundo cum suis effectibus independenter a superiori causa: potius enim sine illa habent in differentiam: at ens rationis simpliciter in sua linea scibilis connectitur cum suis passionibus; & ideo non eget influxu cognoscendo entis realis scibilis præsupponi. Vel dic, quod sicut causa accidentalis est uniuocè causa cum substantiali, & si materialiter pendet ab illa; sic in nostro casu nec est idem de causa secunda respectu primæ, quia in hoc, quod est, esse explicitè secundam

explicit dependentiam ad primā; at connexio rationis, et si explicet essentiationis, non dicit dependentiam ab ente reali, quia si non dependet formaliter, vel si pender, est solum in intentione, non vero in executione. Ad 2. dico consequenter ad dicta, solum probari, quod scibilationis pendeat in intentione a scibilitate reali, non vero in executione; nam dispositio accidentalis prior est in executione, quam forma, et si in intentione pendeat ab illa. Vel dic 2. quod accidēs qua reus dicit analogiam proportionality ad ens reale, non dicit dependentiam ab illo (vt dixi in Log. tract. de analogia disp. 1. dub. 4.) ac perinde nec erit dependentia in nostro casu. Vel data ibi dependentia, neganda est hic: quia proportio accidentis ad substantiam non extrahit illud a linea absoluta entis incomplexi, in qua essentialiter pender a substantia; at connexio entis rationis ad suas passionēs extrahit illud a linea absoluta entis incomplexi, in qua poterat dependere a cognoscibilitate absoluta entis realis, & eleuat ad lineam entis complexi, & cognoscibilitatem complexam, in qua non est dependentia, saltem in executione, quoad primo acquiri.

25. Alia argu. nexta, quae licet hic in rursus ad rem tamē non adeo spectant, libens omitto, videnda in nota in Logica disp. 1. proem. dub. 5. & 9. & apud RR. Arauj. secundo Met. q. 3. art. vlt.

ad 4.

*Dub. 3. An noster intellectus magis inclinatur ad Dialecticam, quam ad alias scientias?*

1. **C**um quodlibet verum sit bonum intellectus, suppono cum Sanch. lib. 1. Log. quest. 1. proem. & cum Lerma ibi q. 1. in intellectum nostrum appetitu innato inclinari ad Logicā, media qua cognoscit multas veritates necessarias. Etiam appetitu elicitu inclinatur ad illam, quia hic sequitur ad innatum, nam et si plures qui eam incipiunt percipere facile illi renuntiant, hoc non est defectu appetitus: sed quia terrentur a labore, quo comparatur, & hunc fugiunt, non logicam, qua perfectissimē habere cupiunt, sed sine sumptu studij, & assidui laboris, sicut qui sibi inferunt necē, non hoc praestant, quia non inclinentur ad vitam: sed quia erūnas, quibus stipatur, ferre non valēt acti propria stoliditate, & pusillanimitate subacti. Vide Sanch. ibidē q. 4. ad 2. Ferrarā 1. Cotrag. cap. 4. & Arauj. 1. meth. q. 2. art. 1. Fland. ibi q. 2. art. 1. Tandem monco, quod maior, vel minor appetitus non adequatur cum eo, quod est magis, vel minus necessarium, sed cū eo quod est magis, vel minus perfectum, eo quod appetitus solum est ad perfectionem; unde etiam mori magis sit necessarium, quam vivere, non ideo magis inclinatur homo ad mortē, etiam mori sit magis necessarium, quā videre Deum, nolumus tamē spoliari, sed superuettiri, vt absorbeatur,

est,

tur; quod mortale est à gloria ex 2. ad Corinth. 5.

*Unica conclusio.*

2. Intellectus noster minus inclinatur ad logicam, quam ad alias omnes scientias. Sic communiter Thomist. cum RR. Arauj. & Lerma locis iam notatis. Prob. intellectus magis appetit scientiam perfectiorem, & minus appetit minus perfectam, at logica est imperfectissima inter omnes scientias reales, vt probavi dub. 1. ant. ergo minus appetitur à nostro intellectu. Tum etiam, minus appetitur medium, quam finis: sed omnes scientiæ sūt quasi finis, & Dialectica medium ad omnes illas acquirendas, vt docet D. Thom. opusc. 70. q. 5. art. 1. & nos disp. 1. proœm. log. dub. 1. ergo. Tandem eo Arist. & D. Tho. 1. Metaph. lect. 1. probant metaphysicam perfectiorem scientiam esse, quia magis appetitur ab intellectu; arguēdo à posteriori: ergo à priori beate probatur, eo minus appeti Dialecticā, quia inter omnes scientias est imperfectissima.

*Soluantur argumenta.*

3. Contra istam conclusionem militant aliqui, quos à nomine refert RR. Arauj. Metaph. q. 2. & citari posset Mas. sect. 2. proœm. Log. q. 1. conclus. 3. §. *Quamuis autem*, quatenus ait, intellectum magis appetere Dialecticā, quia pluribus titulis inclinatur ad eam, nedum vt perfectiorem sui; sed quatenus ea mediante à reliquis scientiis perficitur. Et prob. 1. quælibet poten-

tia magis inclinatur in perfectionē magis proportionatam, etsi sit minor, quā in maiorem, si est improporcionata, quia similitudo, & proportio est causa amoris, & patet in appetitu naturali; quia hac ratione magis fertur in perfectionem naturalem, quam in supernaturalem; sed logica magis proportionatur cum nostro intellectu, quam cura metaphysica (ad quam magis inclinatur intellectus, quam ad alias scientias reales, teste Arist. 1. met. cap. 1.) ergo magis inclinatur intellectus ad eam, quā ad alias scientias. Prob. 2. Dialectica perficit intellectū, vt discursus est formaliter præbendo instrumenta discursus: obiectū autē metaphysicæ est omnino abstractū, vt docet D. Tho. 6. metaph. lect. 1. & lib. 8. lect. 1. & opusc. 42: Sed noster intellectus est immeritus materiæ, & solū proportionatur cū quidditatibus materialibus, vt docet D. Thom. 1. p. q. 87. art. 3. ergo.

4. Resp. quod id, quod excedit absolute proportionē potentia, minus appetitur, quā quod nō excedit, at si solū excedat accidentaliter, & secundū itatū eā proportionē, & sit specificè, & substantialiter proportionatū, magis appetitur, eo quod sic excedens dicit maiorem proportionem; obiectū autem metaphysicè solum excedit accidentaliter, & pro hoc itatū proportionem nostri intellectus, sed specificè etiam illi proportionatum; & id eo Aristot. docet intellectū maxime desiderare

derare ea, quæ sunt notiora naturæ, & minus notiora quoad nos, etiam si debilem cognitionem eius percipiat, quod ex illo obseruat D. Tho. 1. 2. q. 66. artic. 3. ad 3. ac perinde in intellectus magis inclinatur ad metaphysicam, quam ad alias scientias, & minus ad logicam, quia hæc perficit intellectum, vt discursiuus est, quantum ad modum accidentalem tantummodo mediante obiecto imperfectissimò: at reliquæ scientiæ, & maxime metaphysica, perficiunt intellectum vt discursiuum, quantum ad substantiam, mediante obiectis perfectioribus.

5. Si inses intra obiectum metaphysicæ continetur Deus, hic excedit proportionem intellectus nostri, etiam specificè: ergo & obiectum metaphysicæ. Prob. conseq. nã cum obiectum scientiæ abstrahat à quolibet obiecto particulari, si vnũ ex illis est improportionatum absolute, tota ratio formalis obiecti debet abstrahere. Resp. quod metaphysica non tractat de Deo quoad eius quidditatem: sed quoad an est, & vt cognoscibilis ex effectibus, & sic non excedit proportionem, adhuc accidentalem, qua pro hoc ita gaudet intellectus; de quo D. Th. opusc. 70. q. 5. art. 1.

6. Arg. 2. illud est charius, & appetibilius, cuius carentia est detestabilior: nam fuga detestationis carentiæ oritur ex inclinatione ad possessionem, & quia priuatio magis nocet, quo forma est perfectior: sed intellectus magis detestatur ca-

rentiam logicæ, quam metaphysicæ, maxime in opinione, quod est simpliciter necessaria logica, quia sine metaphysica potest habere alias scientias; sine logica vero nullã, & detestabilius est carere omnib, quã solum carere, vna, vel altera scientia: ergo. Res. quod nõ detestatur magis carentiam logicæ propter illã, sed propter omnes alias, & quia magis amat omnes simul, quam vnã: si ergo detestaretur carentiam logicæ propter se, bene concluderet argumentum, quod eam magis amabat: sed nõ sic detestatur, sed propter alias, & ideo sequitur eas simul magis appetere; & hac ratione, licet homo magis debeat detestari carentiã Fidei, quam Charitatis, & magis carentiam tactus, quam visus, non sequitur, quod non magis appetat charitatem, quam fidem, & visum, quam tactum.

7. Sed contra est, quod Dialectica perficit intellectum, veritatibus non minus necessarijs, quã sint veritates aliarum scientiarum: ergo non minus per se appetibilibus: ergo non præcisè appetitur ob alias scientias, nec solum est detestabilis eius carentia ob carentiam cõsecutam aliarum scientiarum: aliàs ceteræ scientiæ pendent in fieri, & conseruari à logica, & hæc non pendet ab illis: ergo logica est appetibilior absolute. Resp. quod etli veritates logicæ sint ita necessariae, non tamen sunt ita perfectæ, quia nec tam certo modo procedunt, nec circa obiectum tam nobile versantur:

& cum hinc sumatur perfectio simpliciter, sequitur, quod reliquæ scientiæ sint simpliciter appetibiliores, quam logica, & carentia earum simpliciter detestabilior. Quod vero reliquæ scientiæ pendeant à logica in fieri, & conseruari, & non è contra, solum arguit, quod secundum quid sit logica appetibilior, & eius carentia detestabilior, eo quod pendent à logica, non tanquam à causa, sed solum tanquam à dispositione.

8 Alia argumenta peti possunt à dubio primo: nã si probatur Dialecticam esse dignissimam, & perfectissimam scientiarum: facile concludetur esse appetibilem magis, sed ibi soluta sunt, quæ hoc probare possent.

*Dub. 4. An Dialectica sit ars, vel scientia recte disputandi, & inuendi certamina Scholasticæ?*

*S. 1. Dialectica est ars recte disputandi.*

**I**N vestibulo logicæ agendo de proœmialibus dub. 4. ostendi Dialecticæ muneris esse nedum demonstratiuè procedere, sed etiã topicè, & probabiliter disputare in vtramlibet partem, in qua uis propoſita materia, quantumuis esset extranea: nam ex suis principijs procedit Dialectica, & concludit in materia aliarum scientiarum miro artificio, & sic vsum suum obtinet, &

exercet nomenque vtentis promeretur. Sternitque viam ad verã demonstrationem, dum quæ vtrumque vrgere possunt, aut mouere intellectum, dilucide proponit, & modum diluendi, quæ demonstratiua non sunt quasi ex quodam suggestit docet. Hæc ibi lato calamo profecuta molestum esset hic iterum intrudere. Quam ob rem lat, superque fore ad nostrum institutum confirmandum duxi, si aperta nominis Dialecticæ ethimologia, appareat Dialecticam ad recte disputationis normã, & amuſim tradendam inuentã fuisse. Dialecticam ergo ab eo, quod disputatoria est ars, seu ex eo, quod præceptu recte disputandi recenset nomenclaturam sortiri præter Calepinum, & Dominicum. Nanum in Polliãthea testatur Richardus de S. Victore lib. 1. Didascalicon. cap. 12. Parens eloquentiæ Cicero 4. Academic. qq. Dialecticam in hunc scopum collimare docuit, dum inquit *veri, & falsi quæ disceptatrix, & iudex est.* Et in topicis rursus idẽ illi munus appingit; quod quia clariùs est, quam quod probatione indigeat: & ex ipso vsu, & doctrina Dialecticæ, mediocriter in ea versatis lucentius constat, ad alia progrediendum.

*S. 2. Quid, & quotuplex sit disputatio Dialectica, & quomodo inuenda?*

**E**X D. Tho. opusc. 39. cap. 12 constat, quod disputatio Dialecticæ

lectica est actus syllogisticus vnus ad alterum, ad propositum ostendendum. Estque quadruplex specie. Alia est doctrinalis, alia Dialectica, alia tentatiua, alia sophistica. Prima, quæ doctrinalis est, atque idem cum demonstratione, propriè disputatio non est, quia teste Arist. in topicis, & elenchis, nemo interrogat cū demonstrat, neque exercetur; sed conuincit; nisi forte contra negantes principia demonstratiuè pugnet ex metaphysica, aut per reductionem ad impossibile. Tentatiua est, quæ instituitur ad experimentum sumendum de progressu, quæ ex in studijs habuerit: & hæc fere ad nugationem deuoluitur. Sophistica disputatio multum habet de tentatiua; & per obstruos elenchos procedit ad illaqueandum, irretiendum & respondentem; apparere affectat, sapientiam simulat, re tamen vera, nil minus, quam veritatem querit; quippè, quæ sibi pro scopo præfixit vanum tantum rumorem, & auditorum plausum, & palmas, auram tantum captando vanitatis, & inanes strepitus, exauthorando respondentem; & famam ex veris studijs promeritam denigrando. Ac tãdem Dialectica disputatio est, quæ per principia communia procedit disputando in vtramlibet partem, vt sic medium efficaciter probatiuum melius inueniatur, & sic maxime procedit logica vtens, de qua suo loco dixi in progemalibus logica.

¶ Quo autem pacto respondet

se gerere debeat in disputatione egregie docuerunt RR. M. Ioan. à S. Tho. in primo limine Dialectica; Mag. Sor. de arg. cap. 5. lect. 3. Mag. Bañ. lib. 3. Dialect. trac. 2. cap. 3. M. Mart. de Prado ibidem lib. 2. cap. 6. §. 1. quod ne actum agam, nõ repeto. Id tantum monere opere prætiū fuerit, quod decor disputationis in modestia vtrinq; obseruata maxime lucet: alioqui, si disterijs, & scōmatibus res conficiatur, similitas potius erit, quam disputatio, maximeque dedecet viros cordatos, qui pueriles iam nugas, & nuces excesserunt, quod si tumor tantum, & vociferatio, aut arguētem instruat, aut respondentem mulceat, nullus fructus ex disputationibus percipitur, sed dissidia, rixæ, obiurgationes, seminariaque discordiæ pullulabūt infelicissimè, quod viris religiosis inuisum debet esse, vtpotè quã longissimè ab eorum statu discordat, & scandalum tantum sobrijs, doctisque non sine fastidio congenerrat. Caveat etiam arguens, ne ex cōmunibus, si fieri potest in peculiari difficultate argumentum sūmat; ne à paritate arguat, quam non admittit, nec admittere tenetur respondens: sic enim ad extranea deducetur disputatio, relictis his, quæ ad rem attinent: nam si semel negatur antec. si ad probationem proceditur, extra chorum disputatur, sin autem cessat ibi argumentum, nec potest vltra progredi arguens, quæ propter roget in primis, an admittat paritatem, seu sententiam, ex qua

## De recta disputatione.

qua formatur argumentum à paritate. Si autem gratis admittit respondens procedat ultra; sin autem formet aliud argumentum.

4. Caueat etiam respondens, ne extra rem vagetur, ne omnia ab initio velit explicare, gemino ab obo tindaridis, vt aiunt incipiēdo: sed præsius, breuis concisus sit, ad propositam difficultatem, in his que vrgent satisfaciēdo, alijs omisissis, sic enim locus dabitur argumētantibus, nec tempus inaniter infametur, vbi permaxime necessariū est: vbi plures adsuat in circulo, qui ius proponendi argumēta retinet.

5. Seruet autem, qui præsidis locū habet, eam in vultu, & gestu grauitatem, sobrietatem, magisterium, vt quantumvis vrgeatur argumētispiculis, vix se vllam pati angustiam exterius demonstrat: addit enim deliquium animi, pallor, titubatio respondentis, nescio quid acrimoniæ in arguente. Quo si anxius sit, & sentiat difficultatem, non ideo debet succūbere; sed quibus poterit modis, seruato tamen statu satisfaciat, non respondendo ab iniurijs, non à clamore, non à despectu; sed ab animi securitate. Nec hi, qui in consensibus adsuat ex eadem familia, debent interim iasufurrare inter se, vel velle supponas dare cum vexatur respondens, eleuata voce, aut usurpato officio respondendi: sic enim omnia turbantur, miscenturque clamoribus, & confusione, & dum se putant auxiliū ferre, potius ofūciunt: turbāt

enim eius attentionem, & defectum respondentis, dū tegere cōnātur, euidentius propallant. Præses ergo disputationis, pacato animo sit, & quantumuis prouocatus ad iram, immotus permaneat: solent enim sophistæ, argumentis dissidētes, dissidium concitare, vt vel sic suadeant, vim habere suas strophas apud imperitos auditores; de quo vide annotata à Philof. i. Elench. cap. 12.

### §. 3. Sobrie disputationis quantæ fruges.

6. Disputatio doctrinalis, ex principijs à natura notis, aut ex ratione rectè disposita, progrediens, quoad res fidei stabilien- das contra Ethnicos vires præstat eximias, & ad confirmādos catholicos multū habet acuminis, ideo que inter locos Theologicos sedē obinet non postremam, cuius rei testis est D. Th. Doctor egregius; his enim caculis feliciter gentiles aggreditur, fugat hereticos, & contra hostes fidei passim triumphat: videri potest Cano lib. 9. de locis.

7. Disputationem vero Topicā, & Dialecticam, vel id satis commēdat, quod perditissimi hostes Catholicæ fidei, nouatores inquam heretici, aliq; p̄sici tenebriones, qui totum orbem suis facibus infecerant, fœdaruntque, Dialecticam semper plurimis maledicāis infectati sunt, extorrem eam fecit quodam Epicurus, vt potè idolatriæ v̄tris nimis infensam, eā Mahume-

tus proſcripſit, proſciditque, vt po-  
teſuo delirio inimicam; Lutherus  
autem primus inter nebulones ha-  
bendus, errorumque omnium foeculentiffima cloaca, damnauit hu-  
iuſmodi diſputationem; videbat  
enim peſſum ire ſuam Babilonicam  
turrin, ſi ratio à recta dialectica  
excerpta eam arictaret. Sed de his  
ſatis, interdum videndus Cano lib.  
9. de locis cap. 3.

8 Si tamen huiusmodi diſputa-  
tio ſobria ſit, & rationalis cuiusque  
momenta perpendat: mirum eſt,  
quam iuuat ad erigendam in lucem  
veritatem, quanque diſſipet tene-  
bras, quibus ſæpè tanquam pannis  
infantia inuoluitur. Quod & præſ-  
tat tentatiua, dum ipſam veritatē  
hinc inde, vexat, vt acuat. Eam  
Chriſtus exercuit cum duodennis  
in Templo interrogabat Doctores,  
& illis reſpondebat Luc. cap. 2. Ex  
eod. in namque fonte promanat,  
& interrogare ſapienter, & reſpon-  
dere, vt ibi notat D. Thom. Tum  
etiam cum Matth. 22. vt obſtrue-  
ret iram Pharifeorum, interrogabat  
cuius eſſet filius Chriſtus, an Da-  
uid; & ruruſ, ſi filius Dauid, quo-  
modo tātus Propheta vocat Chri-  
ſtum Dominum, cum ait, dixit Do-  
minus Domino meo. Tum etiam  
cum interrogauit eos, an Ioannes  
eſſet ex Deo, an non; vbi etiam pe-  
tulantiā Phariſaicam reprimēs,  
tumidum ſupercilium depreſſit.  
Ergo vtilis eſt diſputatio tentati-  
ua, qua toties Chriſtus in vtilitatē  
ſue doctrinae in vſu habere digna-  
tus eſt.

9 Quod autem diſputatio Diale-  
ctica, & Topica in vtramlibet ven-  
tilata partem neceſſaria ſit, vt a-  
periatur via ad inueniendam veri-  
tatem elegantiffimè oſtendit Ari-  
ſtot. 3. Meth. in princ. Nam qui be-  
ne dubitat, monetur inde ad inue-  
niendum ſolutionem, & ſic poſte-  
rior inueſtigatio veritatis eſt ſolu-  
tio ante actē dubitationis, quod eſt  
maniſteſtum in ligamine materia-  
li; qui enim ignorat nodum, & li-  
gationis modum, enodare ipſum  
non poterit. Similiter ait, qui in-  
quirunt veritatē abditam ſine præ-  
uia dubitatione; ſimiles ſunt his,  
qui pergere tentant, ſed quo ſit cū-  
dum laet eos, vnde ſit, quod ſicut  
is, qui neſcit, quo progrediri, et ſi  
eo peruenerit; neſcit tamē vbi ſit,  
ſic iſti, qui ſine præuia diſputatione  
topica inueſtigationem veritatis  
aggrediuntur, et ſi eam apprehēde-  
rint, eam tamen non cognoscunt,  
nec ſciunt, an eam inuenerint, ſed  
fluſtuant in ea ancipiti ſemper iu-  
dicio. Ac denique neceſſe eſt me-  
llus iudicare de veritate, qui vtrim-  
que rationes propoſitas pro quali-  
bet parte cōtradictionis exactè per-  
ſpexit, quam qui ex abrupto in v-  
nam tantum inclinat. Sicut iudex  
rectè iudicium ferre non poteſt ni-  
ſi vtrique litigantium parti, aures  
accommodauerit ſinceras. Quod  
& ſedulo obſeruauit Angelicus Do-  
ctor, eorum quos ſchola tulit facile  
princeps; nunquam enim in tanta  
quaſtionum, & articulorum ſilua,  
qualem cernimus in eius ſcriptis,  
ad

ad ferendum iudicium, & sententiam exprimendam calamus applicuit, nisi hinc inde, iuxta normam dialecticæ disputationis, argumentis hinc inde propositis.

10 Quod & aprè monuit Hugo de S. Vict. lib. 1. c. 1. dicit. didascalice cap. 12. dum ait: *Necesse est falli, qui abiecta scientia disputandi, de rerum natura perquireret; nisi enim prius ad scientiam venerit, quæ ratiocinando verum teneat semitam disputandi, quam verisimilem agnouerit, & quæ fida, & quæ possit esse suspecta, veram incorrupta veritas, ex ratiocinatione non poterit iudicare.* Addit etiam Felix Parentis August. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 31. *Disputationis disciplina, ad omnia genera questionum, quæ in litteris sacris sunt penetranda, & dissoluenda, plurimum valet; tantum ibi cabendi est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi aduersarium.* Verberes ergo fruges sobria disputatio topica profert.

§. 4. *Sophistica, & litigatoria disputatio utilis quidem ad apprehendenda, & solvenda sophismata; noxia, si exercetur, quibus si quis hinc sophistæ apprehendatur.*

11 **S**ecundum D. Thom. 1. Meth. Slect. 1. ars sophisticandi proficua est, & utilis, ut veritas, quæ quis pro contristuetur vindicandam, à molestis cavillis, & tricis sophistarum; sed tamen ea abuti in disputatione præsertim Theologica, & Philosophica, ubi studio addiscen-

di plura in examen vocantur, non licet, quod Sedulo aduertit Arist. libro 1. Elench. ubi ait: *Est autem sapientis opus in unoquoque non mentiri quidem ipsam, de quibus novit, mentiri tamen autè manifestare posse.* (Quod fit evacuando sophismata, per regulas, & præcepta Elenchorum.)

Sed age dum, prescribamus nonnulla signa externa sophistarum, quibus & mediocriter eruditus eos possit apprehendere iuste fraudando eos vana gloria, quam captare depereunt. In primis Arist. lib. 1. Elench. prescripsi huiusmodi nugatores technis tantum verborum, paralogismis, æquivocatiunculis, & umbratili tantum paralogismo suam in pugnare scholastica acie instruere, aures verberando rotatis, & compositis argumentis; re tamè veram non subsistentibus, ut appareant hominibus ignavis concludere; cum tamen nihil minus præstent, nam argumentum elumbe, & infolidum, semper peccat, aut in materia, quia ex puris particularibus, aut ex contingentibus, aut ex falsis procedit, aut in forma, quia vel medium non distribuitur, aut ex puris negativis formaliter, aut virtualiter procedit. aut quatuor terminalis constat, aut medium est æquivocum, quod facile innotescit habendo præoculis seriem fallaciarum, quas in fine nostra Dialecticæ paræ appendimus.

12 Addit aliud signum Arist. ibidem, quo notantur sophistæ: *Quænam autem quæ sunt per se prima*

est magis videri sapientes quam esse, & non videri: est enim sophistica appa-  
rens sapientia, & non ab existente ma-  
nifestum, quoniam necessarium illis est  
magis videri sapientis opus facere, quã  
facere, & non videri; unde quia cupiunt  
ditari, & ad hoc magis conducit appa-  
rentia sapientia, quam vera possessio,  
adco ad sophismata conuertuntur, qui-  
bus, & si non sint vere sapientes, appa-  
rent tamen, & pecunias facile corra-  
dunt, quia existimantur esse sapientes.  
Hæc vltima verba ad sensum de-  
sumpta sunt ex Arist. Sunt ergo so-  
phistæ quasi sapietum simiæ, & an-  
xiè diuitias ambiunt; adeoque vt  
apud populos famam doctissimi mo-  
rum obtineant his vtuntur sophis-  
matibus in argumentis, vt irrecien-  
tes quandoque minus cautos res-  
pondentes, videantur sapientissi-  
mi, & sic luadeant alios, & quo vel-  
lunt ducant hominum animos, &  
ex alienis sumptibus cupiditatem  
suam repleant (si animus cupidus  
satiari potest) huiusmodi ergo, ex  
fine ipso deprehensor, sophistas  
ore pleno pronuntiaro ex præ-  
scripto Arist.

13. Deprehenduntur tertio ex fi-  
ne quem obtinere à respondente  
suis ambagibus optant: Quia maxi-  
mè intendunt videri redarguere. Secun-  
do falsum aliquid monstrare, tertio ad  
hoc, quod est inopinabile deducere,  
quarto solecismo vti facere (vt irridea-  
tur respōdēs tāquā ignarus grama-  
tica,) hoc est tacere secundum locu-  
tionem barbarizare respondentē: vlti-  
mo frequenter idem dicere. Quod suis

ambagibus ipsi præstāt, quia idem  
diuersis circūuolutionib⁹ arguūt,  
& deinde persuadere auditoribus  
tentant, quod respōdens redactus  
est ad summas angustias, nec occur-  
rere responsionem, eo quod idem  
repetit, non aduertentes hoc ex ar-  
guentium vno prouenire, qui idē  
sæpius diuersis coloribus inculcāt;  
sub diuersa tamen verborum lari-  
ca dissimulatū, & rectum, ita quod  
idem syllogismus vestimenta mu-  
tet, non vim, & substantiam. Sicci-  
ne ergo disputantes Sophistæ sūt.

14. Quartum schema Sophista-  
rum est, quod omnes litigiosi sunt,  
& molesti, vt expendit ibidem A-  
rist. nam et si litigiosus disputator,  
& sophisticus, nō sibi eundem sco-  
pum præfigat, sed alter vanam glo-  
riam tantum captet, alter, & hæc,  
& lucrum vehementer sitiāt: vt er-  
que tamen contentiosè pugnat, &  
apparentibus elenchis dimicet, &  
litigiosè procedit; non quidem ad  
rē, sed ad apparientiam disputādo:  
huiusmodi ergo Sophista est, veræ  
sapientiæ vsor, & claser, sobria, &  
vtilis disputationis.

15. Quinta nota contentiosi so-  
phistæ est, quod multa interrogat  
antequam proponat argumentū,  
quæ primo aspectu ad rem non fa-  
cere videntur, & disparata apparēt  
circa negotium, de quo agitur, vel  
sub vna interrogatione multa in-  
uoluit, vel sub disiūctione inquirat  
tentando tantum, vt si timeat res-  
pondens, præcauens inde captiuas  
culas, in toto processu argumenti

pauidus sit, & audientes magnam concipiant expectationem de argumento, in cuius limine titubat respondens, in cuius progressu timide procedit, sicque cum reuera sit nullius p̄oderis, quod arguitur, tamen ex modo respondendi aliquid appareat, & respondens tot inauguratus interrogatiunculis hallucinetur, & paveat timore trepidus, ubi nulla est causa, vel occasio expanseendi, & sic non contemnatur argumentum, quod sincere propositum, & nudum his laruis, & terculamentis, aut risum excitaret, aut sibilos: at athleta huiusmodi versutias participans stet imperterritus, & cum tentatur huiusmodi praefatiunculis captiosis interrogationum animosè occurrat, eas in forma propositas vim posse facere, se non teneri eas respondere, sed potius arguentem nō debere his tempus terere; nihil mysterij posse habere, querere, quæ ad rem nō faciunt, meticulosi impugnatoris esse non audere congressu nisi subdolis interrogacionibus capiat in verbo respondentem: paratum se esse, aut negare, aut concedere ea, de quibus tentatur, si viderit expedire ad tuendam propositam conclusionem. Hanc esse technam versipellis, & sophistici argumentatoris, & huiusmodi disputatores inutiles esse ad veritatem eruendam, & his, vel ad hæc consonis semel prolatis, resideat, cogatque arguentem, vt in forma procedat.

16 Sexta nota est, quod solet blandiri verbis, & lenocinijs pruritus facere auribus respondentis, vt sibi concedant, quæ neganda equo iure forent, vt his vocibus quasi syrenarum cantibus minus attendentes, facilius captantur in verbis, quod non semel præstitere Pharisæi contra Christum, dicentes: *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: licet tributum dare Cæsari, an non?* En Sophistas, en interrogationem disiunctiuam, bicipitem obiectionem, argumentum bifurcatum? Et lege Authorem operis imperfecti in Matth. hom. 42. Hi similes sunt pisces, qui *Fustum* dicitur apud nostrum Geminian. lib. 4. sum. exemplor. qui quidem aquam maris, amarissimam quidem, ore, & faucibus assumentes dulcissimam reddit; eam statim ab ore emittens vt pisculi ignari allecti dulcedine, hianti ori approprient, quibus approximantibus, necesse infert deglutiendo imparatos, & nihil minus sibi tinentibus. Similes etiam bellæ marinæ, cuius meminit Aristot. in lib. de histor. animal. quæ fragrantissimum odorem spirando ex ore, trahit etiam pilliculos, & integros quoque deglutiit. De his non ineptè verificatur, quod Lucillus apud Lactant. lib. 3. de iust. cap. 9. sui temporis nugatoribus obieciebat.

Vni, atque eidem studio, omnes dedere,  
CARTI.

Verba dare, ut caute possint pugnare,  
dolosè.

Blandiri, certare bonum, simulare vi-  
rum se.

Insidias facere, ut si hostes sint omnibus  
omnes.

Cumque Sophistæ sint fraudulenti,  
nō abs re erit in eos torquere illud  
Claudian de laudibus Stiliconis.

Blanda quidem vultu, sed qua non te-  
rior vlla.

Anteus, fucata genas, & amicta do-  
lofis.

Allecebris.

Vel illud Dantis in suo inferno, ubi  
fraudem sub propria Estigie lucu-  
lentissimè expressit.

Inocentius coccitianum caput extu-  
lit undis.

Cetera membra latent, fluvio demersa  
sub imo.

Est illi vultus mollis, faciesque benigna.

Injustitiam redolens, sanctos venerabere  
mores.

Sed partes, quas illa negat proferre sub  
auras.

(Horrendum visu) setis squamisque  
refertæ.

Serpentis formam, referebant omnia te-  
tram.

Hi inquam narrauerunt ut abscon-  
derent laqueos. Vel ut vertit S. Pau-  
linus epist. 2. ad Amandum, disputa-  
uerunt ut absconderent laqueos: quia  
videlicet in hoc, omnis ars sophisticadi  
laborat, ut absconione verborum lucem  
veritatis obscuret, & manium conten-  
tionum laqueos sollicitans, à vero men-

tes implicet, & fucos sermonis inducat,  
& ingenij fraude decipiat.

¶ 5. Si fieri posset eliminandi essent So-  
phistæ à congressu Scholastico,  
quia noxij sunt.

17 **V**el eo titulo eliminandi es-  
sent à scholis Sophistæ, & ar-  
cendi à disputatione, quia hic mo-  
dis arguendi, sophisticè, & litigio-  
sè familiaris semper fuit hæreticis:  
ac perinde noxij veritatibus fidei  
enucleandis: tumor enim ille So-  
phistis innatus de fermento Phari-  
saico proueniens, quibus pulchrum  
est digna monstrari, & diciet hic est, ex  
Persio sat. 1. lucem nō adhibet reb<sup>us</sup>  
fidei, sed tenebras chimer<sup>as</sup> asim-  
miscet. audi S. Isidor. lib. 3. de sum.  
bono. Sicut, inquit, instruere solet o-  
latio, ita destruit contentio: hæc enim  
relicto sensu veritatis, lites generat, &  
pugnando verbis, etiam Leo blessi he-  
miam facit: inde hæresis, & schisma, à  
quibus fides subuertitur, veritas corri-  
pitur, charitas scinditur contentionum  
studio, non pro veritate, sed pro appe-  
tita laudis certat, rãtaque est in his per-  
uersitas, ut veritati cedere nesciant, ip-  
samque rectam doctrinam euacuare cō-  
tendant: in disputatione fidelium cauē-  
da est propositio, & artificiosus subtili-  
tas (quæ fucos tantum sophismatū  
armatur) quæ callidis ab obiectionib<sup>us</sup>  
retia tendit; ita enim versatis assertio-  
nibus prauorum disputatio inmodatur  
ut recta esse simulent, quæ peruersa per-  
suadent. Si plura cupis copiosè, &  
eruditè discussa ad hoc institutū,  
lege

lege Hieron. in Psalm. 103. ad illa verba: *Filia eorum composu & circumornata, ut similitudo templi: vbi technas hereticorum, huiusmodi sophisticationibus, in arguendo, & respondendo, latissime demonstrat, nec legisse poenitebit, quia latissime exprimit, quam fuerint nugatores vniuersi heretici, quorum ne saltem moribus commensureretur Catholicus Theologus, fugere debet sophisticata implexa in disputatione, ne saltem in modo sopitas flammis, fumigantibus elenchis exciter.*

18. Ex vi etiam sophisticandi in disputatione, faciem vere Theologiae fuscari, & denigrari, & sanum eius sensum corrumpi satis anxie perpendit M. Cano lib. 9. de locis cap. 1. per hæc aurea verba: *Cum hinc nimirum in modum, sese in sophistica arte resissent diutius. Tum demum Theologiae aggressi, non Theologiam, sed fumum Theologiae sequebantur, quod si vituperandi sunt, qui per ignorantiam errauerunt, quid de his existimandum est, qui volentes, & prudentes in errorem inciderunt? Nam cum rem perditam, & collapsam sua autoritate reslituere deberent, temporis, ut inquit seruientes, non modo sophisticata, non profligauerunt; verum etiam auxerunt, quæ nimirum cum à Philosophia: tum vero magis à Theologia tollenda sunt, eaque argutandi ars, quæ vult illa quidem videri, se esse Dialecticam, sed abest ab ea, distatque plurimum. Dialectica enim est locata in peritia, vsque par*

tiendi, finiendi, & argumentandi, id quod Theologo est pernecessarium. Sophistices autem nihil habet nisi argutationes vanas, quorum nullum in Theologia fructus est. Quia adeo nulla pernicietas Theologiae maior inueniri potest, quam in sophisticatum foete simulatio Theologiae, ex quo illa absurda nascuntur, ut sophisticæ Theologi esse videantur. Hæc ille, & merito, sensim enim hoc lolium, hæc zizania, hæc habens steriles, in agro Theologiae ex somno hominum pullularunt, quæ vix iam extirpari poterunt sine periculo plurimum veritatum, quæ his intertextæ sunt tricis apud plurimos, quibus sua dicta, non nisi mille negationibus negationum additis explicare ignorat, aut nolunt.

19. Quod si alio titulo exulare non iuberetur sophisticata, satis esset molestia, quam generant, quæ plagæ Aegyptiorum comparatur, quæ cinifes importuni vexabant Aegyptios, audi Orig. hom. 5. in Exodum: *Hæc animal, inquit, pennis quidem suspenditur per aera volitans: sed ita subtile est, & minutum, ut oculi visum nisi acute cernentis effugiat; corpus tamen cum insederit acerbissimo tererebrat stimulo, ita ut quem volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem.* Hoc ergo animalis generis dignissime puto arti dialecticæ (quæ in sophistica versatur) comparari, quæ minutis, & subtilibus, verborum simulis, animas tererebrat, & tanta calliditate circumdant, ut deceptas,

ne videat, nec intelligant, unde decipi-  
tur. Hæc ille: Ut quid ergo veri Is-  
raelite, qui in contemplatione di-  
gna Theologiæ innocie versari  
debent, gratis plagis istis se se infe-  
runt, cauillēt hæretici, ethnici quā-  
tumuis torqueantur: nos enim in-  
soliditate difficultatem vacare de-  
cet veræ sapientiæ, congruisque dis-  
putationibus assue fieri, non autem  
his nanijs involui, ac si essemus  
paruuli, fluctuantes, quouis vento  
doctrinæ circumvecti.

20 Sed aiunt alij, & clamant fal-  
tim iuuenes exercendos his tricis,  
vt viuaciora eorum ingena, quasi  
ad cotem acutur, expoliaturque:  
hæcque ratione, de obligationibus,  
& insolubilibus, de obliquis, & rec-  
tis informandos esse. Sed demus tā-  
tis per his immorari oportere, ne  
postea his sophismatibus informē-  
tur, an ideò diu, noctuque, tota fe-  
re ætate his incubendum? Et quid  
reliqui temporis erit in sacro stu-  
dio vacuū projectiores facti, vt co-  
dices Sanctorū Patrum devoluāt,  
Sacra Concilia consulant, sacras pa-  
ginas versent, Historiam Ecclesiast-  
ricam norint, quæ integrum, per-  
fectumque Theologum instruant,  
quibus nisi ab adolescētia aliquātu-  
lum opera detur, ingrauescente æ-  
tate morbis, segnitie, & inualescē-  
te ipsa disfluetudine, vix vnum ē  
mille inueniat, qui relictis hinc,  
quibus penē totum studium inuti-  
liter insumpsit, serio tandem matu-  
riori illi studio, viroque ingenio-  
so, & Theologo incumbat. Sed qui

poterunt iuuenes, eā quæ prædixi  
vel summis labris prægustare, si  
nec locus, nec superest tempus: præ-  
occupata ætate in sophismatibus,  
aut addiscendis, aut prælegendis,  
aut argutandis, conquisitis vndiq;  
instantijs quasi præciosis margari-  
tis, cum potius, tanta assiduitas, lec-  
tū sit, relictis illis studijs, quæ veras  
margaritas adinueniunt. Nec pos-  
sum non referre, quæ olim perlegi  
in perillustri Bibliotheca nostri colle-  
gij S. Gregorij Vallisolerani, toto  
terrarū orbe celeberrimi, cuius im-  
meritus alumnus, & Collega ad-  
scriptus sum. Ibi enim in libello  
quodam revelationum deuotissi-  
mi Roberti, Ordinis nostri, narra-  
tur, quod suspensus spiritu vidit  
quosdā religiosos Theologos, qui  
accidissime lapidibus, quos mani-  
bus gestabant, dentes infigebant,  
ac si essent delicatissimi cibi, & qui  
dē lapides semper integri perman-  
nebant, at illorū dentes cōtere ban-  
tur, & sic illi iterū, atque iterū mor-  
dicabant lapides. Quæritabat Ro-  
bertus, quid hoc mysterij haberet?  
Cui Angelus respondit: hi sunt  
Theologi, qui in his diutius ac his  
disciplinis toto tempore vitæ suæ  
immoratur vertētes hinc inde suas  
fallacias, & consequētias Dialec-  
ticas, qui relicto utili, & sapido ve-  
ra sapientiæ, & sacrarū scripturarū  
cibo, vbi mirus succus est, dulciloq;  
pinguedo in crassans animos, toti  
hærent in eiusmodi nanijs, & his  
quos aspexisti merito comparatur.  
Quid ergo? His adhuc toto vita tē-  
pore

relinquendum? Absit, sufficit sapere ea ad sobrietatem.

21. Ergo post notitiam Elenchorum, & Sophismatum, semel degustatam ad alia gradum faciāt scholastici, alioqui inutiliter, & sine fructu ætatem suam agent; paululumque distabunt gymnasia ab antiquorum Philosophorum scholis, de quibus S. Clemens lib. 1. recognitionum, ait: *In principio cupiēs aliquid addiscere, Philosophorum frequentabam scholas; ubi nihil aliud, quam dogmatum assertiones, & impugnationes videbam; agi sine fine certamina arte syllogismorū, cōclusionumque agitari versutias. Hoc tamen sentiebam, quod essentia, ac definitiones rerum, nō pronatura sui, ac veritate causarum, sed pro ingenijs defendentium, false imaginantur, aut vere. Quod vtiā, non ita contingeret hac ætate, ubi solet tota disputatio, inani vocitationis strepitu hinc inde milis, aut remisis fallacijs, ab initio, vsque ad finem pertrahi. Quibus modus adhibendus esset, frānā daque perulantia, & exēplo magni Antonij ad amicum reduci. De quo Nizephor. libro 8. hist. cap. 4. *Præstantiori siquidem sapientia quadam; & nouo modo vna cum diuina prudentia, temere illatum cōtentionis studium contrahere, & ad moderationem conformare nouerat.**

22. Studia itaque in meliorem frugem commutabuntur, si disputatio, quæ instrumentum est ad ca-

peffendam solidam sapientiā, certis limitibus contineatur, si molesti sophistæ arceantur à liminibus; si certi canones statuamur, quos transgredi argumentatores non liceat, si prenoscatur, qui sunt viles disputatores, & sobrii, qui sophistæ, & ceruicosi: si præ oculis habeatur doctrina August. lib. 1. contra Grefcon. cap. 13. ibi: *Qui disputat (inquit) verum discernat à falso, quod qui non possunt, & tamen Dialectici videri volunt, per insidiosas interrogationes captant incautorum assensiones, vt ex eorum responsionibus, concludant illos in aperta falsitate deceptos, & irrideant, vel occultam fallitatem deceptos persuadeant, quam plerumque ipse existimant veritatem. Qui autem verus disputator est, id est veritatis à falsitate discretor, primo id apud seipsum agit, ne non rectè discernens ipse fallatur (quod nisi diuinitus adiutus facere non potest) deinde cum id quod apud se elegit ad alios docendos profert, inuuetur primitus, quid iam certi nouerint, vt ex ipsis eos adducat, ad ea quæ non nouerant, vel credere volebant, ostendens ea, consequentia his, quæ vel scientia, vel fide retinebant, vt per ea vera, quibus primo perspiciant, contentire cogantur; alia vera, quæ negauerant approbare, & sic verum, quod antea putabatut, discernatur a falso, cum inuenitur consentaneum, illi verò, quod iam ausu tenebatur. Hæc ille.*

Hæc si præ oculis haberetur M. Scholis facile verus a ficto, discerni posset, & vero admisso, fictus arce-ri posset, ne vberes fructus sobriae disputationis retardaret.

22 Sed quæ fruges ex sophismatibus? Pugna verborum, iurgia, dissidia, veritatis obumbratio, corruptela iuuenū studiosorum, qui tot obstaculū verborum ambagibus nil percipiunt, & his, quæ praua sūt facillimè affuehant. Melior politia portio in disciplina iuuenū ver-  
satur, quia inde pender trāquillitas, & incolumitas rei publicæ. Quid ergo in republica litterarū? Nihil ducetur institutio adolescentium, intererit, ne huiusmodi disputationibus, quib⁹ intersunt sophistæ; vbi rixæ, vbi fallaciæ. Olim Lacedæmones, teste Senec. lib. 3. de bened. exercitiā virium in gymnasijs interdixere, quibus quondam iuuenes, & exercebantur, & instruebantur, quia nec victi concedere volebant victoribus, neque robustiores exercere suas vires in delicates libere relinquebantur, ne eos tantillum læderent: & modo aderunt ipsi iuuenes his congressibus, quibus hi, qui nomen magistrorum præseferunt non minus nugantur; nisi ergo hi qui in culpa sunt, ne disputationes debito decore, & ordine exerceantur: iuuenes nihil fructus percipient, & si bis mille intersint disputationibus: in quibus ægrè percipere possunt quid lateat sub tot fallacijs, sub quibus litigatores siphistæ retia suorum argumentorum ten-

duat. Vt quæ manu ipsa palpantur oculis cernuntur, experientia percipiuntur, mille flexibus elabuntur, & tam falsa appareant, quæ ipsi iuuenes reputabāt verissimæ: & postquam alternis crepitibus vsque ad laterum diruptionem tota dies insumpta est, nulla veritas de nouo agnita repetiatur, fitque, quod semel contigisse narrat Septimius libro primo contra Iudæos. *Disputatio habita est Christiano cum prescelito Iudæo. Altercantibus cōtentioso furore, vterque diē in vesperam traxit, obstrepentibus etiam quibusdam speculatoribus singulorum; & nullo quodam veritas obumbrabatur.* Sic ille. Quid ergo spectare poterit studiosa iuuentus ex scholastica disputatione, si non eminentur litigiosi sophistæ. Vel ergo hi exulent: vel iuuentus gymnasijs non inter sit: nam si quendam Plato lib. 4. de repub. nec poesim homeri audire permisit, ne aut excitaretur ad bella, & dissidia, vel in nouitates extuaret; quid faceret integerrimæ prudentiæ vir, si ad portenta quædam sophismatum, si ad lites, & vociferationes a viri cernit iuuentutem; vti quæ ex praua indole sēper deteriora exempla concipit in prægrandiori ætate, semel imbibitum proruptum modum disputandi, & altercandi æmularetur, & fieret corruptela sobriae litteraturæ cum ingenti dispendio bonarum artiū. Huiusmodi ergo congressus literarij non exclusis sophistis con-

festi, cum semper erumpat in pugna verborum, quæ ad nihil utilis est, nisi ad subuersionem audientium, vt docuit Paulus 2. ad Corint. 2.

23 Quid ergo fructus reportabit iuuentus ex huiusmodi disputationibus vbi lingue et tota circa pugnas verborum, ex quibus, vt ait S. Petr<sup>o</sup> Apost. fit: Inuidie, contentiones, blasphemie, suspiciones male, confutationes hominum, qui corrupti sunt mente, & qui veritate privati sunt existimantes quatuor esse pietatem. Vide etiam S. Ambrosium epist. 1. ad Timoth. cap. 6. valeat ergo sophisticæ, & contentiosa disputatio, ex qua iactantia, vanitas, & dissentio tantum progerminat, vt ait D. Tho. 2. 2. q. 38. art. 2. valeant sophisticæ, si qui hucusque huic studio addicti sunt. Et disputationes Catholicæ peccato animo lactescant, veritas tantummodo vero animo perquiratur, cesse certatæ, ponantur æmulationes, alioqui fatius erit decertare, & vitare huiusmodi disputationes, vnde tota damna emergere possunt, & vitentur sophisticæ, qui vt ait Augustinus lib. 3. contra Iulian. cap. 1. cupientes exiguitatem suam, nomine solent certaminis consolari; & idcirco videri aliquid apud eos, quibus contemptibiles erant. Prouocant doctiores, & impudenter stimulant aculeis fallaciarum, & in modestis quâdoque tumultibus, sed prouocatos contempnimus, ait August. magis enim de certamin. nominari desiderabant, quàm formidabant in certamine superari, nec sperabant victorie gloriam, sed famam re-

quirebant collationis: vt illi, de quibus Naso lib. 9. metamorph.

Nec tam turpe fuit vinci, quam contemdisse decorum est,

Magnaque dat nobis tantus solatia victor.

24 Vt ergo his tanta solatia, quæ ex vanitate procedunt, demus, vitæ si fieri potest sophisticæ, & a gymnasijs elimina. Vita etiam disputatio nes, vbi passim concessa negant, negata concedunt, principia etiã notissima passim negant; quia ex vi instantis argumenti vident vrgeri nimis ab illis, & sic tota disputatio sæpè reducitur ad puram quæstionem de nomine, quæ inutilis est, & esse quæstionem de nomine, necesse est vbi negantur principia, vt docet Arist. 2. physic. cap. 1. text. 6. & inutiliter argui contra tales, docet ibi Philosophus, quia contra negantes principia, aut petentes principia non est arguendum, vt docet Arist. vt 1. lib. Elench. & D. Tho. 1. Cōtrag. cap. 7. nec tempus prætiosum sic in vacuum insumendum est, vt eleganter, & erudite proficitur Tertullian. lib. de præscriptione cap. 17. Vnde nec ad sophisticas eundem cum sua tuentur, quia censores sunt, & irrogiosi: & Proverb. 5. dicitur: Noli arguere derisorem: nam eo fit congressus ad Scholas, vt arguens aliquod lucri reportet; nullus autem sperari potest, inde, quia vt ait Tertul. lib. de præscript. cap. 12. Nemo inde struere potest, vnde destruitur nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur, quæta-

25 *mus ergo in nostro, & a nostris, id est, ab his, qui Aristotelicis præscriptis in disputando additi, norunt quidem sophisticandi artem, ut sophisticas euentilent; si quis autem augator, in respondendo est, aut inarguendo inrigiosus; eum, tanquam extraneum vitari si potest vetat, si valet; alioqui congressum vitat, quia ubi omnia sunt extraneæ (inquit Ter tul.) & aduersaria nostræ veniunt, ad hos veramur accedere, quis seruus cibaria ab extraneis, medicam ab inimico sperat? Quis miles ab infederatis, ne dicam ab hostibus regibus donationem, & stipendium captat, nisi planè desertor, & transfuga, & rebellis? Congruentius ergo est si vales emundare aream Scholasticam, sophisticomere, & inrigioso disputarem; a tuo gygnatio arcere quicumque, siue inter domesticos, siue inter extraneos ludum exerces litterarum, quia cor filium Domini est Proverb. 9. Qui audit derisorem, ipsi sibi iniuriam facit. Et infra cap. 22. Eijce derisorem, & exhibit cum eo iurgium, & cessabit cause, & contumelia.*

25 Sed ne amplius morer, de his satis: nam si omnia vellem proferre in medium, quæ in Philosophis, & Sanctis Patribus contra huiusmodi disputationes, quæ modum debite modestiæ excedunt, & sophisticis tantum tricis implicantur perlegi, pulueris eritij, fiderumque micantium, subducam numerum prius, ut alibi Catulus scripsit. Vide P. Ve Jazq. commet. ad epist. Pauli ad Philip. c. 2. v. 3. in notis ad amores,

26 *Vt autem eo, unde incepit; regrediatur, oratio Dialectica nostra est ars utilis valde, quia est ars disputandi, id est artificiosè, & rectè, quæque disputationem instruere docet: nomine autem disputationis intelligimus, non proteruam, non amaram, non ceruicosam, non pertinaci animositate tumultuantem, sed modestam, qualis esse decet veritatis inquisitionem, quæ accit, & excitet ingenium, quæ studium renouet, & inflammet, quæ stabiliat quoque veritatis positionem, falsitatis oppositione patefacta: ut scribebat quondam Gerson. tom. 1. epist. 1. ad studentes Collegij Nauaræ. Disputationem etiam rectam appello eam, quæ obseruat formam præscriptam à Sanctis Patribus in Concil. Tolet. 1. cap. 1. & in 4. cap. 3. & in Concil. Constant. sess. 1. & habetur in iure cap. in loco b: benedictionis 5. quæst. 4. & traditur à Concil. Trident. sessione secunda ibi, in loco benedictionis confidentibus Domini Sacerdotibus; nullus debet, aut immodestis vocibus obstrepere, aut tumultibus perturbare; nullis etiã falsis, vanisvè, aut obstinatis disceptationibus contendere. Sed quidquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti iuancij acies perturbato animo inflectatur. Sic ibi. Quod si hæc methodus, & forma disputandi in scholis obseruetur (quod & nos suadere tota hac disputatione conamur) nihil pulchrius, nihil utilius, aut delectabilius*

lius accidere posset, quam eiusmodi disputationibus interesse; si autem prædictæ leges parvipendantur, nihil fastidiosius, nihil inutilius auditoribus cōtingit, ut monet M. Bañez lib. 3. Dialect. capite 3. in fine.

( ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ )

## DISPUTATIO II.

Examīnantur, & illustrantur tertia,  
& quarta propositio Proce-  
mialis Magistri.

Soto.

Dub. 1. An operationes nostri intelle-  
ctus sint tantum tres?

**C**onclusio est affirmatiua. Hanc conclusionem non docuit expresse Arist. quia 3. de Anima c. 6. ex. 21. solum nominat simplicem apprehensionem in diuisibilem, & compositionem; sed nomine compositionis intellexisse duas operationes nempe secundam, & tertiam, concors sententia est interpretum: & cōstat, quia in libris Perih. docet quomodo intellectus in secunda operatione componat, & diuidat, & in libris Topicorum, & Elēchorum, & in libris de potentiori, & priori resolutione quomodo recte discurrat intellectus: & ratiocinationis, seu discursus meminit 2. de Anim. tex. 32. in antiqua translatione; & 12. met. lec. 8. Vide Bergom. in cōcord. dub. 43. Sed nostrā conclusionem docet D. Tho. perihem.

lect. 7. & 1. poster. lect. 1. & 1. p. q. 79. ar. 8. & q. 85. art. 5. & 1. 2. q. 90. ar. 7. ad 2. & in 1. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 1. & passim alibi: & in sensu Arist. loco iam signato loquitur Ferrar. lib. 3. de Anima q. 11. viderique potest R. M. Ioan. à S. Tho. lib. 3. de Anima q. 11. art. 3. R. R. Araujo to. 2. met. in princ. Fladr. 1. poster. q. 1. & alij plures Thomistæ.

2. Prob. rat. D. Th. 1. p. q. 85. ar. 5. in arg. Sed contra, voces sunt signa conceptuum ex Arist. 1. per. cap. 1. sed in voce dantur simplices dictiones, propositiones, & discursus, & sub his omnia, quæ loquimur comprehenduntur: ergo in mente dantur istæ tres tantum operationes. Dices, voces significare ad placitū, & nō ex natura rei; vnde & docet M. Soto lib. 1. Sumul. cap. 9. quod si lit. A. imponeretur ad significandū hominē album repræsentaret hoc: malè ergo ex illa triplici differētia vocum colligitur triplex intellectus operatio: siquidem si Angelus loquatur nobis, medijs similibus vocibus loqueretur: quin indè posset colligi ea triplex operatio in Angelo. Sed contra est, quod & si ex simplicitate vocis nequeat colligi simplicitas conceptus: tamen ex multiplicitate vocum non synonymarū colligitur in nobis, qui naturaliter conceptus voce exprimimus compositio conceptuum. Si enim eundem conceptum significarent plures voces istæ essent synonymæ: bene ergo colligitur, ex propositione, & discursu vocali, idē esse in conceptu nostro: &

& si non sit idem in Angelo qui nō utitur vocib⁹, nisi per accidēs. Nec in republica bene ordinata imponitur voces, nisi ad significādū, eo modo, quo concipimus, & in eo, ca su loquitur D. Tho.

3 Secundo probatur à D. Tho. nam Angeli in modo intelligendi assimilantur rebus incorruptibilibus, quæ in primo instanti adquirent totam suam perfectionem; intellectus autem humanus assimilatur rebus corruptibilibus, quæ per motum adquirent suam perfectionem: ergo sicut res corruptibiles, primo habent esse, secundo augmentantur, tertio quasi dilatantur, & extenduntur, sic intellectus primo intelligit essentiam rei, deinde componit prædicata essentialia, tandem ex illis dilatatur ad concludendas proprias passionēs.

4 Dices, hac probatione solū concludi, humanum intellectū nō habere à principio omnes species infusas, sicut Angelus, non vero quod componat, & discurrat: nā Angelus non simul intelligit omnia, de quibus habet species, & tunc cessivè intelligit, & præcedit de potentia ad actū, & cæli similiter mouentur. Sed contra est, quod Angelus simul intelligit se, & omne obiectum conexum cum sua perfectione naturali, & cæli à principio habent omnem perfectionem sibi necessariam, & solū mouentur ad ubi accidentale: sicut & Angelus successivè potest intelligere ea obiecta, circa quæ nō perficitur substā.

tialiter ei⁹ natura; at corruptibilia nullum actum sibi debitum habent completè a principio suæ generationis: ergo si intellectus noster assimilatur in intelligendo, cum corruptibilibus in essendo: circa nullum obiectum habebunt cognitionem perfectam sine compositione, & discursu: ergo præter simplicè apprehensionem, danda est cōpositio, & discursus. Præterea, intellectus noster nedum in adquirēdis speciebus comparatur rebus corruptibilibus: sed etiam in usu earum; siquidem adhuc posita specie nō penetrat simul omnem eius repræsentationem; sicut nec res corruptibilis, posita potentia cōpleta, operatur cum perfectione: verū adquirat perfectum usum specierum per motum: ergo gaudet illis tribus operationibus. Quod vero sufficiāt illæ tres operationes constat: nam per hoc, quod intelligit indivisibilem quidditatem, vel illi attribuit intellectus sua prædicata, vel ex illis deducit aliquam conclusionem potest intelligere omne intelligibile: ergo non sunt plures, quā tres operationes.

*Solventur argumenta.*

5 Sic comparatur discursus ad principia, sicut competitio ad iudicium mentale propositionis, sed compositio, & iudicium non constituit diuersas operationes: ergo nec discursus est diuersa operatio à secunda, per quam cognoscuntur principia. Conseq. videtur bona,

& mai. prob. ex D. Tho. 1. p. q. 79. art. 8. & 9. vbi docet, quod discursus se habet ad principia: sicut moueri ad quiescere, & acquirere ad habere. Sed quoniam de his redibit sermo frequenter in hac disputatione. Resp. neg. mai. ad prob. dico, quod iudicium resolutiuum, ad quod comparatur motus discursiuus, sicut acquirere ad habere, non pertinet ad secundam, sed ad tertiam operationem ex dicendis infra dubio 4. & 5.

6 Arg. 2. (& potest esse replica.) Tertia operatio tota versatur in eo, quod propriam passionem attribuat subiecto: & cognoscat illi in esse: sed huiusmodi attributio, & compositio, propria est secundae: ergo tertia non distinguitur a secunda. Dices, tertiam non componere absolute sicut secundam: sed ex principio, & ideo non esse idem. Et hoc modo etiam praemissae spectant ad tertiam non absolute, sed ut illatiue, ut ex illis aliud deducitur. Si insies, quod affirmatio, & negatio spectant ad secundam, & haec habent praemissae, vbi affirmatur medium de externis, & conclusio vbi affirmatur passio de proprio subiecto.

Resp. ex dictis, quod affirmatio, & negatio absolute sumptae spectant ad 2. at affirmatio, & negatio, ut illatiua, vel ut illata; ad tertiam. Sed de his latius infra.

7 Arg. 3. ad probandum esse plures operationes quam tres; quia operationes intellectus distinguuntur secundum quod diuerso modo

tendit intellectus in obiectum: sed componendo, & diuidendo tendere, sunt modi non minus oppositi, quam simpliciter, aut compositiue tendere: ergo sicut compositio est distincta operatio a prima, erit etiam diuersa a diuisione. Prob. min. Fuga, & accessus magis distinguuntur quam accessus simplex, & compositus: siquidem illi motus conueniunt in ratione accessus, at diuisio est negatio, & recessus intellectus remouentis vnum ab alio: & compositio est accessus, & applicatio: ergo. Dices, potius opposita esse intra idem genus, & circa idem, sed contra est: operationes intellectus non esse diuersi generis, sed solum diuersae speciei: ergo si compositio, & diuisio se habent sicut oppositi, & contrarii motus accessus, & fuga, different specie, quod intendit argumentum.

Resp. quod operationes intellectus non differunt a hon a, sed subalterna. Secundo, quod compositio, & diuisio, & si materialiter se habeant, sicut accessus, & recessus; tamen formaliter se habent per modum positiui actus, quia eodem actu positiuo iudicat intellectus: hominem esse animal, sicut iudicat non esse lapidem, vnde tota illa differentia se habet, quasi de materiali.

8 Arg. 4. Vnius potentiae vnus tantum datur actus formalis, ut ait D. Tho. 1. p. q. 77. art. 3. quia potentiae specificantur per actus: sed intellectus est vna potentia: ergo vnus

vnus tantum est eius actus, & nō triplex. Dices, esse vnum actum adæquatum, & formalem respectu potentie; posse tamen dari plures inter se specie subalterna diuersos, sicut in voluntate, simplex amor, intentio, & electio differunt, & sic loquimur in præsentī, dum dicimus esse tres operationes intellectus. Sed contra est, quod si ad multiplicandas operationes intellectus, sufficit inadæquata distinctio, nō tres solum, sed innumeræ debent multiplicari operationes intellectus, sunt enim innumeræ operationes, inadæquate diuersæ.

Resp. quod non sufficit quecūque inadæquata diuersitas ad multiplicandas operationes intellectus, sicut nec sufficit ad multiplicandas operationes voluntatis; quia multiplicantur species subalternæ operationum; quatenus diuerso modo tendit potentia in obiectum, & hic triplex tantum est: vt iam ostendi.

9. Arg. 5. ad probandū, quod non detur secūda operatio: homo distinguitur ab Angelo per discursum: ergo non datur compositio: nam si hæc daretur per eam deberet distingui cum sit primum per quod non conuenit, & differat omnia per ea, per quæ primo non conueniunt. Propositio hypothetica causalis, aut conditionalis cum sit argumentatiua spectat ad tertiam: ergo ad eam spectat cōponere hypotheticam: ergo multo magis categoricam. Resp. quod homo

differit adæquate ab Angelo per cōponere, & discurrere, & ex cōponere sumitur prima differentia, sed inadæquate.

Ad cons. resp. quod illæ propositiones hypotheticæ possunt dupliciter dari, vel in vi compositionis, vel in vi illationis: primo modo ad secundam, secundo modo ad tertiam spectant, quæ quidem vt dixi componit non absolute, sed illatiue, inde tamen non potest colligi tertiam, componere posse puram categoricam, in qua, vt talis nō est compositio illatiua: sed solū vnus ad aliud non vnus ex alio.

*Dub. 2. An tres operationes intellectus differant specie, & qualiter?*

1. Dicendum. Specie subalterna differre. Sic deduco ex lauelo tract. 2. de anima cap. 3. est communis inter nostros; & prob. a paritate voluntatis, vbi simplex amor, intentio, & electio specie subalterna differunt: quia ordo intentionis, & electionis plures actus specie athoma diuersos inuoluit. Tum, quia actus potentie specificè variatur ex diuerso modo formali attingendi obiecta: at simplex tendentia, compositio, & discursus sunt diuersi formaliter modi, & diuersam rationem obiectiuam attingentes: ergo variantur specie. Quod verò hæc species sit subalterna prob. quia in prima operatione alij sunt actus simplices vt attingentia quidam

ditatis: alij admittunt compositionem quandam, vt definitio mentalis, vt docet D. Tho. 1. p. q. 17. ar. 3. & q. 85. ar. 6. & lib. 3. de anima lect. 11. & 1. 2. q. 9. art. 1. ad 2. In secunda autem est compositio, diuisio, & iudicium. In tertia vero (vt infra dicam) est motus, discursus, via inuentionis, & iudicium resolutoriu: ergo.

*Soluntur argumenta.*

2 Arg. 1. ex D. Th. q. de anima art. 7. ad 2. vbi ait, quod anima intellectualis principia, & conclusiones intelligit per species à phantasmatibus abstractas, & idè non est diuersum intelligere secundum speciem. Sentit ergo, quod secunda operatio per quã principia, & tertia per quam cõclusiones intelliguntur, non differunt specie; sed etiam eadem specie impressa intelligitur quiditas per primam: ergo istæ tres operationes non differunt specie. ¶ Cõf. ex D. Tho. ibidem ad 3. motus nõ differt specie à termino; sed discursus comparatur ad iudicium principiorũ, sicut motus ad terminum, vt ait D. Tho. 1. p. q. 79. art. 8. & 9. ergo tertia operatio, specie non differt à secunda. Sed insuper totum hoc ordinatur ad cognoscendam quiditatẽ: ergo nec secunda differt à prima.

¶ Resp. mentem D. Th. esse quod illæ tres operationes eo quod sunt ab eadem specie non differunt specie adequata, quia ibi agebat de differentiã inter intellectum humanũ, & Angelicum; hoc tamen non tollit quia tres istæ operationes in ho-

mine specie differat inter se, vt explicui dub. ant. ¶ Ad conf. resp. probare, quod nõ differunt specie adequata respectu potentie cui subordinatur in ordine ad completam cognitionem sui obiecti, quod est quiditas cognita, secundum omnia prædicata; non verò, quod non differant inter se specie formali, sicut alteratio, & generatio, electio, & intentio, etiam si vna ordinetur ad aliam ex fine subiecti, & potentie à qua eliciuntur; ita vt finis, qui est intrinsecus respectu potetie, est extrinsecus respectu operationis, quæ a suo obiecto inadæquato habet speciem, & intrinsecum finem. Per quod latentes plures obiectiones claudicare eneruatæ coguntur.

3 Arg. 2. Magis, & minus intra idem genus non variat speciem, vt patet in magis, & minus albo: at secunda, & tertia operatio solum differunt penes magis, vel minus compositum, vt patet in propositione categorica, vel hypothetica: ergo.

Resp. quod secunda, & tertia operatio non differunt penes magis, aut minus, sed penes diuerso modo specifico componere, nempe, aut solum attribuendo, vel remouendo vnum alteri absolutè; aut vnum ex alio deducendo; vnde propositio hypothetica, & categorica, attendit solum maiori, vel minori compositione absoluta, spectant ad secundam, & solum illatiuè spectat ad tertiam. Vide D. Th. q. de anima art. 7. ad 6.

*Dub. 3. An istæ tres operationes formaliter sumptæ omni, soli, & semper intellectui humano congruant, & competant?*

¶ **1** Idem est ac inquirere, an aliqua ex his tribus operationibus, alteri ab homine, nempe Deo, Angelo, vel brutis possit convenire; & quia plura involuit titulus, seorsim euoluenda sunt singula.

*Prima conclusio.*

**2** Non potest homo componere, nisi præcesserit apprehensio, nec discurrere, nisi cõpotuerit. Est cõtra P. Lincæum 7. meth. tract. 4. c. 4. ubi ait, quod circa principia clarissima intellectus eodem actu apprehendit, & componit, & iudicat.

Sed oppositum est commune inter Thomistas; sic Caiet. 1. p. q. 85. art. 8. Ferrar. 1. Contrag. capit. 58. D. Thom. locis enumeratis; clarissimè 1. Perhierm. lect. 1. ibi: *Prima operatio ordinatur ad secundam, quia non potest esse compositio, & dimissio, nisi simplicium apprehensorum.* Vide etiam ipsum D. Thom. 1. Cõtrag. cap. 58. ratione 2. ¶ Tum prob. quia eo multiplicantur illæ operationes secundum D. Thom. locis iam citatis, quia intellectus procedit de potentia ad actum in usu specierum ob suam intrinsicam imperfectionem: sed hoc verificatur, & si cognoscat principia

clarissima: ergo etiam tunc exercet illas tres operationes.

Confir. ex D. Tho. ibidem, & ex lib. 3. de anim. lect. 11. quidditas intelligitur à prima operatione, vt totum quoddam confusione confusa: in secunda verò & 3. secundum partes, quasi integrales, quæ sunt methaphysica prædicata, & secundum partes potentiales: at naturale est prius cognoscere totum quàm partes, & prius confuse, quam distinctè: vt prob. Arist. 1. Physic. cap. 1. ergo non potest intellectus per eundem actum apprehendere, & componere. ¶ Sed nec potest discurrere, nisi præcesserit compositio: quia vt ait Arist. 1. post. lect. 1. & 1. priorum, cap. 1. discursus fit ex præexistente cognitione (quod & conuenit omni actui intellectualem secundum Arist. 1. loco) ergo discursus necessario supponit secundam operationem, & secunda primam.

**4** Inquires, an requiratur actualis cognitio, & processio vnus operationis ad alteram. ¶ Resp. sufficere, quod actu præcesserit, & maneat virtualiter. Sicut sufficit sic manere intentionem ad electionem, & hanc sic manere ad executionem. Sed quia P. Lincæus non fulcit suum placitum non restat argumentum cui fiat satis, ad alia, ergo pergen- dum.



*Secunda Conclusio.*


5 Soli homini competit vti his tribus operationibus in cognoscendo: Sic D. Tho. 1. p. q. 58. art. 4. & q. 85. art. 5. & in 3. c. l. 35. q. 2. art. 2. q. 1. & 1. 2. q. 1. art. 2. vbi negat brutis agere propter finem, & cognoscere attributionem: & conferendo cognoscere, & Angelis simul negat componere, & diuidere (quod de Deo notissimum est, ex 1. p. q. 14. art. 7.)

6 Suppono Angelos esse incorporeos, nec pendere ab obiecto sensibili in cognoscendo, ex 1. p. q. 51. artic. 1. Suppono etiam intellectum eius non esse eiusdem speciei cum nostro ex D. Tho. q. vnic. de anim. art. 7. Suppono, quod in ordine ad obiecta sibi naturaliter nota non discurrunt, ex 1. p. q. 58. art. 3. & 4. & solum dubito in ordine ad obiecta occulta mysteria gratiae cogitationes cordium, & futura contingentia, & loquor de Angelis reprobis (non de electis) quia isti temere multo conantur cognoscere, quae excedunt vires: vt cum clamabant Iesum esse Christum, quod ex quibusdam signis videbantur discurrere. Imò suppono, quod Angeli circa obiecta sibi naturaliter nota, nec pro exercitio libertatis, possunt discurrere, aut componere, vt docet Bañez 1. p. q. 58. art. 3. dub. 2. quia nunquam procedunt cum ignorantia illorum obiectorum, & hoc ipso quod se applicant ad cog-

noscendam hanc quidditatem, tanta est claritas luminis, vt nequeant non simplici intuitu omnia penetrare: sicut, neque ego possunt sub meridiana luce Solis, aduertere oculos ad aliquod obiectum, & non videre quae sunt in prospectu.

7 Probabilitate non caret, quod Angeli nequam circa obiecta, sibi occulta, nec à Deo reuelata componunt, & diuidunt: sic M. Bañ. 1. p. q. 38. ar. 3. dub. 3. referrens anonime aliquos Thomistas pro hoc placito, & Marsil. in 2. dist. 2. q. 6. Quia eo homo discurret, & componit, quia procedit de potentia ad actum circa aliqua, sibi ignota: sed Angeli nequam circa obiecta, sibi ignota audent proferre sententiam (à qua in tali casu se continent Angeli Sancti) procedendo de potentia ad actum: ergo possunt componere, & diuidere. Sed hinc non sequitur, quod hoc competat per se alteri, quam homini: quia sic cognoscere per accidens, & ex sua malitia contingit Angelis prauis, non ex inclinatione naturae, qui permittente Deo eorum superbiam deprimunt: ad morem humanum intelligendi subigendo.

8 Quod vero bruta non possint componere, aut discurrere, quia non possunt collatiuè cognoscere infra latius dicetur cum inquiramus an cognoscant bruta per signa.



Dub. 4. *Utrum homo in qualibet ex his operationibus proferat verbum mentale.*

1. *Cōclusio affirmat. Estque meo videri expressa in D. Thom. q. 9. de pot. art. 5. vbi nomine compositio nis intelligit 2. & 3. operationem, vt notauī dub. 1. huius disp. num. 1. Idem docet q. 4. de verit. art. 2. & 4. & quodlib. 5. art. 9. vbi expresse docet hoc de tertia. De qua solum est difficultas, eo quod consistit in motu illationis secundum aliquos non aduertentes, quod motus est discretus: & per inde format verbum de conclusione, quæ ad illam pertinet. Et prob. tertia operatio aliquid distinctum cognoscit à 1. & 2. alioqui nō erit actus cognitionis distinctus specie ab alijs duabus: sed homo in omni cognitione format verbum, ex D. Tho. 1. p. q. 27. ar. 1. ergo. ¶ Tum etiam, vt infra dicemus, præmissæ, & cōclusio, & iudicium de bona illatione spectant ad 3. ergo format verbum: non enim datur iudicium, nisi proferendo illud in aliquo verbo.*

*Soluentur Argumenta.*

2. Sed contra arg. ex D. Tho. 1. p. q. 24. artic. 2. ad 2. & opusc. 13. ex Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 16. qui Deo negat discursum, ne quod non accipit formam, & verbum sit in Deo: ergo discursus non format verbum.

Resp. ibi nō negare verbum vtcunq; sed verbum firmum de veritate, dum intellectus via inuentionis ante resolutionem discurret inquirendo veritatem: tunc enim non format verbum de veritate determinata, vt ait D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 2. ad 3.

3. Arg. 2. Tertia operatio eadem obiecta cognoscit ac 2. & solum attingit principia, vt ex quibus, & conclusionem, vt à præmissis, sed quoties idem est obiectum, & solum est differentia quoad modum: variato modo non produci- tur nouum verbum: vt patet quando notitia transit de intuitiua in abstractiuam, vel e contra: ergo sufficit quod secunda operatio proferat verbum, nec requiritur quod tertia.

Resp. hinc probari, quod 3. operatio tantum accidentaliter differt à 2. sicut differt notitia abstractiua ab intuitiua. Secundo, quod nec secunda operatio proferat verbum, quia subiectum, & prædicatum secundum se cognoscuntur à prima, & solum attinguntur ea extrema à secunda, vt de quo aliud dicitur, vel quod de alio. Dico ergo, quod sicut non tantum differt à prima quantum ad modum, sed etiā essentialiter, quia cognoscit veritatem, quam non assequitur prima, & cognoscit, & facit attributionem media copula affirmando, & negando, quod non facit prima: sic tertia differt à secunda, quia inferendo cognoscit: & iudicat de illatione,

latione, & attingit eas propositio-  
nes vt inferetes, vel vt illatas, quod  
non facit secunda operatio.

*Dub. 5. In quibus ex tribus hisope-  
rationibus reperitur veritas  
formalis.*

1 **I**N secunda operatione intelle-  
ctus componentis, & diuiden-  
ris, affirmantis, vel negantis dari ve-  
ritatem formalem adeò notū est,  
vt in præsentī non debeat vocari  
in disputatiōē. Videatur D. Th.  
1. p. q. 16. art. 2. sed tamen cum plu-  
res diuidant actū, quo componit se-  
cunda operatio, ab actu quo iudi-  
cat, ita esse, vel non esse, pro certo  
habendum veritatem formale solum  
reperiri in actu iudicij, vt pro-  
bat inter alios R.R. M. Arauj. 4. me-  
taph. q. 5. art. 4. quia veritas forma-  
lis est adæquatio intellectus cū re,  
ita quod sit intellecta ipsa adæqua-  
tio: sed hoc solū fit per iudiciū: er-  
go. Qua propter solum de 1. & 3.  
operatione disputandum.

*¶ 1. In prima operatione est veritas  
formalis, & si non dicat  
veritas.*

2 **V**eritas formalis est adæqua-  
tio intellectus cum re intel-  
lecta, vt transcendentalis est adæ-  
quatio rei cum intellectu diuino,  
quatenus habet esse ratū, & firmū  
in se adæquatum idæ diuinæ imi-  
tando eum. At veritas formalis, e-  
xercite quidē est in intellectu, qua-  
tenus adæquatur representatiōē  
cum re intellecta: est autem signa-

tē, quatenus dicit intellectus, ita et  
se enuntiando illam.

3 Intellectus media prima ope-  
ratione habet veritatem formale  
exercitam. Hoc ad minus inten-  
dunt Ferrar. 1. Cōtrag. c. 59. & 60.  
Capreol. in 1. dist. 19. q. 3. art. 1. cō-  
cisl. 3. Soncin. 6. met. q. 17. Et D.  
Tho. 3. de Anima lect. 11. vbi ait.  
*Licet ipsum intelligibile incomplexum  
non sit, neque verum, neque falsū; ta-  
men intellectus intelligendo ipsum ve-  
rus est, in quantum adæquatur rei in-  
tellectæ. Et 9. met. lect. 11. ait: At-  
tingere mente ad insum simplex, sci li-  
cet vt apprehendatur quid est: hoc  
est verum, quod est in simplicibus. Sen-  
tit ergo in prima operatione esse  
veritatem formalem, quæ consistit  
in adæquatione intellectus cum ob-  
iecto: quamuis ibi non sit veritas,  
vt dicta, & enuntiata, seu signata.  
Et ratio est, quia & si prima opera-  
tio non dicat signatē, ita esse sicut  
intelligit, ac perinde illa adæqua-  
tio intellectus cum re, in qua confi-  
sit veritas formalis non sit signatē  
in prima operatione, & sicut cog-  
nitum in cognoscente. Tamen ip-  
sam adæquationem reperiri, qua-  
tenus medio verbo mētis adæqua-  
tur intellectus cū quidditate intel-  
lecta, & in exercitio eā cognoscere  
dubitari non potest: ergo in 1. opera-  
tione reperitur veritas formalis e-  
xercite nō signatē. Et per hoc con-  
cordatur innumeræ sent. quas re-  
fert circa hoc M. Ioā. Mart. 1. p. me-  
taph. cōtrou. 12. ar. 5. §. 2. Vide D.  
Th. 1. perh. lect. 3.*

*Solutio huius argumenti.*

**P**ures authoritates, quib<sup>9</sup> docet Arist. quod veritas, & falsitas solum est in intellectu componente, & diuidente explicari possunt de veritate signate, & attente legēdus D. Tho. 1. perh. lect. 3. vbi nostra doctrina perspicua est. Arg. ergo 1. Veritas, & falsitas sunt formæ contrariæ ex D. Th. 1. p. q. 17. art. 4. ergo debent esse circa idem: sed prima operatio est incapax falsitatis formalis etiam exercitæ: nã vel attingit rem, & eam repræsentat, vel non: si primum nequit esse falsa; si secundum minus, cum nec rem attingat, nec affirmet, aut neget, vnde in prima operatione solum conceditur, falsitas occasionaliter, & per accidens à D. Tho. 3. de anima, & 9. Met. lec. 11. & 1. p. q. 17. ar. 3. ergo nec est veritas formalis exercitæ in prima operatione.

**R**esp. quod vel contrarietas nõ venatur nisi inter veritatem, & falsitatem formalem, signatè; vel quod ad eam nõ requiritur, quod vbi est vnum contrarium, possit esse alterum: quia in Christo fuit bonitas moralis in quolibet actu, & nõ potuit esse malitia; in intellectu Angelico est veritas circa verum naturale, & nequit esse falsitas; & in nobis circa prima principia. Sufficit ergo, quod vbi est vnum cõtrariũ, possit esse alterum conditionatè, si esset capax. Vide D. Th. in simili 2. 2. q. 24. art. 10. ad 1. & q. de verit. 21. art. 2. ad 1. Et M. Araujo. 4. Met. q. 5. art. 6. n. 42. vbi ostendit,

quod etsi in rebus detur veritas transcendentalis, non tamen potest dari falsitas, per quod nostra doctrina satis enucleatur.

5 Arg. 2. ad probandum, dari formalem veritatem signatè in prima operatione. Vt sit in intellectu veritas formalis signatè, & tanquã cognitum in cognoscente, sufficit iudicium exercitum de conuenientia sui cũ eo quod est in re: sed prima operatio gaudet hoc iudicio, si quidem percipit exercitè suam cõformitatem: ergo. Mai. prob. rum, quia vt in actu voluntatis sit bonitas formalis signatè, non requiritur nisi exercitum iudicium de cõformitate operationis cum recto appetitu, si quidem probabile satis sufficere primam apprehensionem ad regulandos actus morales alios: si ergo in prima apprehensione datur formalis veritas practica cum omni formalitate sufficiens ad regulandum actum moralem: cur non erit veritas formalis speculatiua cum omni formalitate. **R**esp. hoc argum. probare etiam esse veritatem formalem signatè: quia etiam in illo concedit D. Thom. ali quale iudicium exercitum. Vide 1. p. q. 59. art. 3. & q. 78. art. 4. ad 2. & q. 1. de verit. art. 9. & Arist. 3. de anima text. 144. Vnde sicut in sensu nõ sequitur, quod sit veritas formalis signatè ex illo iudicio exercito, sic nec sequitur in prima operatione.

Ad argum. igitur neg. mai. Ad prob. dico, sufficere veritatẽ exercitam

etiam primæ operationis, vt dirigat aliquem actum moralem, quia cū moralitas non sit formalis adæquatio sui cum appetitu. Sed desumatur ex eo, quod est in obiecto; bonitas enim est in rebus ipsis ad differentiam veritatis, sufficit exercita adæquatio, & exercitum iudicium de tali adæquatione, de quo vide D. Tho. q. 1. de verit. art. 3. in fine corp. At veritas formalis est rātum in intellectu, & inde deriuatur ad res, & ideo vt sit formaliter cū omni formalitate, & signatè, requiritur iudicium formale dicens, ita esse, vel non esse, sicut intellectus affirmat, vel negat; alioqui sola erit veritas formalis exercita.

6 Si contra istes: tum hinc deduci non magis esse veritatem in prima operatione, quam in sensu: at in isto non est formaliter etiam exercitè, sed solū materialiter, adhuc dato illo iudicio exercito: ergo nec est formaliter in 1. ¶ 2. Per aliud extremum eatenus est veritas formalis signatè in 2. operatione, quaten⁹ potest reflecti supra se iudicando de sua conformitate, vt ait D. Tho. q. 1. de verit. artic. 9. sed etiam prima operatio potest reflecti supra suam conformitatem, cū sit etiam reflexiua: ergo. ¶ Resp. in sensu dari illud iudicium exercitū materialiter, aut metaphoricè: at in prima operatione, etsi sit exercitum, est tamen formaliter, & propriè tale ob summam perfectionem, qua gaudet prima operatio respectiue ad sensum, & ideo in

sensu non est veritas vilo modo formalis, sicut in prima operatione; sed solum est materialis. ¶ Ad cōf. resp. non sufficere quamcumque reflexionem, sed requiri eam, quæ sit per sententiā formalem, quod fieri non potest signatè nisi ad finem duo extrema cōparata, inter quæ dicatur ita esse, vel non esse; cum autem prima operatio semper attingat aliquid simplex, & reflectatur super aliquid simplex, nunquā habet eam reflexionē iudicij, quā exigit D. Tho. ad formalem veritatem signatè, ad quam requiritur comparatio composita intellect⁹, & adæquationis eius ad rem, & insuper attributionis vnius extremi ad alterum, quoad esse, vel non esse. Sed de his satis, ne mittamus latam falcem in alienam messem.

§. 2. In tertia operatione est veritas formalis etiam signatè, & cum omni proprietate.

7 **C**onstat ex D. Tho. q. 1. de verit. art. 12. in fine, vbi postquam à prima operatione excluderat falsitatem, id quod negauerat de prima, cōcedit de secūda, & tertia sic: *In intellectu, secundum quod ad omnes operationes se extendit, præter primam ( & sic comprehendit opinionem, & ratiocinationem ) est falsitas.* Sed etsi vbi est veritas non sequatur bene, quod sit falsitas; bene tamen è contra: ergo in tertia operatione, quæ est ipsa ratiocinatio, potest esse veritas formalis cum

omni proprietate : siquidem ibi eam eadē proprietate qua est falsitas, & veritas in secunda operatione eam concedit D. Thom. 3. operationi. ¶ Præterea D. Thom. 1. poster. lect. 1. docet, quod logica dirigit 1. & 2. operationem intellectus, vt vero ostendat quo pacto Logica dirigit tertiam, quatenus distinguitur a 1. & 2. ait, hoc facere, quatenus potest esse veritatis defectus, & vt certo sciat veritates mediatas, & iudicet de illis per resolutionem. Vide ibi latè, & attentè, & meam sententiā inuenies expressè. ¶ Insuper idem D. Tho. 1. de anim. lec. 8. ad verba Arist. text. 48. vbi ait, quod intelligentia quieti magis assimilatur, quam motui, similiter & ipsa ratiocinatio. Inquit D. Thom. per illa verba nedum intelligentiæ: Sed etiā ratiocinationi cōcedere Arist. in herentiam ad vnam partem; in qua conl. iudicium. Et 1. p. q. 59. ar. 1. ad 1. ait: Ratio idem cognoscit ac intelligentia; quia intelligentia simplici intuitu, ac ratio resoluendo ad prima principia. Dat ergo rationi, siue discursui iudiciū resolutiuum. ¶ Vnde & 1. part. quæst. 79. art. 9. attribuit D. Thom. Rationi superioris iudicare de rebus inferioribus, per causas superiores aternas. Sentit ergo esse iudicium in ratione, vt ratio est, sed ratio est discursus, & 3. operatio: ergo.

8 Prob. quia conclusio mentalis, & simul præmissæ spectant ad discursum, non quidem absolute, sed vt ex vno ad aliud mouetur in-

tellectus, vt infra probabo: neque enim motus est pura illatio; hæc enim est nota motus discreti, non tamen correspondet illi aliquis actus intellectus, qui sit tertia operatio, sed potius denotat successiuum motum discretum discursiuum, ex præmissis notis procedentem ad attingendam conclusionem ignotam: vt satis indicat D. Thom. opuscul. 47. cap. 1. & 1. part. quæst. 53. artic. 3. sed in conclusione vt illata est veritas, & in principijs etiam, vt inferentibus (siquidem tota ars syllogistica in eo sistit; ne detur antecedens verum, & consequens falsum:) ergo tertia operatio, quæ est ratiocinatio, seu discursus veritate continet.

9 Prob. 2. sic. Sciētia est habitus per discursum acquisitus, & inclinans in similes actus discursiuos: sed scientia est habitus iudicatiuus veritatis; vt dicitur 1. part. quæst. 79. art. 10. ad 3. & alibi passim; ergo discursus quo acquiritur, & in quem inclinatur, etiam est iudicatiuus veritatis: patet consequentia, quia effectus præsupponit in causa virtutem, quam in se habet; ergo si scientia est iudicatiua, discursus quo acquiritur, erit iudicatiuus. ¶ Si dicas, scientiam esse iudicatiuam, & resolutoriam, nō ratione discursus; sed ratione principiorum, quæ cognoscuntur actu 2. operationis. Contra est, quia actus luminis principiorū non sunt actus elicti ab habitu scientifico: at habitus

ctus scientiæ inclinatur in actus resolutorios, & iudicativos similes his à quibus gignitur: ergo illi actus non sunt principiorum; sed actus rationis ut ratio est. Cum ergo certum sit, quod actus scientiæ non sit à lumine principiorum, sed ab intellectu, ut ratio est, quia scientia perficit intellectum, ut ratio, & ut sic sit discursivus: sequitur, quod discursus scientificus, ut talis, resolvit iudicando conclusiones in principia, & attingit conclusionem, secūdam quod est veritas mediata, & deducta formaliter, & non tantum ut veritas est absolutè: ergo in tertia operatione est veritas formalis.

*Solvuntur argumenta.*

10 Sed contra arg. ex D. Thom. 2. 2. q. 3. art. 4. ubi ait: *Sicut inquisitio pertinet ad rationem, ita iudicium pertinet ad intellectum, ut speculativa scientia dicitur iudicativa, inquantum per resolutionem in prima principia de veritate inquisitorum dividitur.* Sentit ergo, quod iudicium non pertinet ad rationem, seu discursum. ¶ Resp. quod D. Thom. negat rationi iudicium, & assignat intellectui, non quia discursus non iudicat, vel quia tale iudicium elicitive sit à lumine principiorum; sed quia obiective terminatur ad principia, in quibus de inquisitis dicitur: & mihi persuadeo, quia ibi loquebatur de incōsideratione opposita prudentiæ, quatenus caret iudicio prudentiæ: certum autem

est, quod iudicium prudentiæ non est synderesis, sed finesis, & rationis practicæ; etsi obiective tendat ad principia, & regulas quibus examinat media inquisita. Vel negatur iudicium rationi, & tribuitur intellectui, quia in iudicio convenit ratio cum intellectu principiorum cum iudicet per principia; unde tale iudicium nō est proprium rationis, ut ratio. Unde D. Thom. q. 15. de verit. art. 1. ad 4. ait: *Iudicium nō est proprium rationis, per quod ab intellectu distinguitur, quia etiā intellectus iudicat.* Vide ibi ad quintum, ubi egregie ad rem nostram agitur.

11 Arg. 2. Veritas sumitur ab eo quod res est, vel non est, & ab eo quod sic iudicet intellectus; sed in discursu nō est propriè affirmatio, vel negatio, sed potius illatio: ergo min. constat; nam copula discursus non est nota affirmationis, vel negationis, veritatis, vel falsitatis, sed solum bonitatis consequentiæ: at veritas, & iudicium denotatur per copulam orationis: ergo discursus, seu syllogismus mentalis, nō dicit veritatem. ¶ Dices, quod discursus, & habet motum, & habet ipsos terminos motus, nempe antecedens, & consequens, unde sicut componit unum cū altero, ita affirmat non unum de altero, sed unum ex altero inferri: fateor ergo quod ratione notæ illationis non habet verū, sed benè moveri; sed ratione propositionū quibus constat, quæque componit illatione habet veritatem, & iudiciū de recta illatione.

Neque est necesse, quod omnis copula sit nota veritatis: sed hoc solum requiritur in secunda operatione. ¶ Sed contrastat bonitas consequentiæ, & discursus cum falsitate consequentis: ergo veritas non est de ratione discursus: nam si esset, non staret bonitas discursus, sine veritate. ¶ Resp. veritatē discursus non esse absolutam, sed illatam, & sic quamvis sit falsa conclusio absolute, est tamen vera ex suppositione præmissarum, & assensus ad illas, & ad hoc ostendendum cedit totus discursus, & sic saluat veritatem sui iudicij: quia e... veritas non consistit in eo, quod res sit, vel non sit absolute: sed in eo, quod ita deducatur ex alio.

*Dub. 6. Quenam ex tribus his operationibus sit perfectior reliquis?*

*§. 1. Prima operatio imperfectior est reliquis.*

■ **P**rob. intellectus cognoscit, ut procedens de potentia ad actum, & de imperfecto ad perfectum, ex Arist. 1. physic. cap. 1. ergo prima operatio ex natura intellectus nostri est imperfectissima, eo ipso, adest prima. Vide D. Tho. 1. p. q. 79. art. 8. & q. 85. art. 5. & q. 1. de veritate art. 1. ¶ Confirm. perfectio intellectus consistit in iudicio, quo intellectus est verus veritate formali signate cognita, ex D. Th. 1. p. q. 16. art. 2. & q. 15. de verit. ar

tic. 1. & 2. at huiusmodi iudicium, & veritas non est in prima operatione; cum tamen sit in alijs: ut ex dubio antec. constat: ergo prima operatio est imperfectior reliquis.

Dices, hinc sequi primam operationem esse imperfectiorem accidentaliter sicut actus primus materiæ primæ; si absint actus secundi accidentales, non vero quod non sit perfectior substantialiter: nam de ratione actus primi, est dignitas, & excellentia super actus consecutos. Contra est, quod cum secunda, & tertia operatio perficiant intellectum circa veritatem, & cognoscibilitatem omnium prædicatorum, quæ sunt in obiecto, non se habent sicut actus accidentales extra lineam essentialem intellectus: sed se habent sicut gradus ultimiores in eadem linea: at isti actus qui in eadem linea sunt ultimis essentialiter esse perfectiores constat in materia prima, quæ magis perficitur ab eadem forma secundum quod perficitur ultimo gradu rationalitatis, quæ secundum quod perficitur primo gradu corporeitatis: ergo cum se habeat pariformiter intellectus noster in cognitione veritatis, secundum tres istas operationes, sequitur primam esse imperfectissimam.

*Soluntur Argumenta.*

2 Arg. 1. illa est perfectior cognitio, quæ nobilius obiectum attingit, & perfectiori modo; at prima operatio attingit, quod quid est, quod est per se obiectum intellectus ut vide

te est in Bergom. in tabul. ver. intel-  
lectus na. 2. alias perfectiori modo,  
quia si n. olcius attingit: ergo.

Resp. etiam alias operationes  
attingere quidditatem penetrando  
in ea alia prædicata, quæ latebant  
in prima, & perfectiori modo,  
quia clariori, & cum maiori distin-  
ctione; nec maior simplicitas fa-  
uet, quia est simplicitas priuatiua;  
sicut eam, quam habet materia pri-  
ma respectu compositi: non vero  
simplicitas eminentiæ, qualis repe-  
ritur in iudicio secundæ, & terciæ o-  
perationis. ¶ Sed contra est, quod  
omnis quæstio soluitur, per quod  
quid est, tamquã per quid simpli-  
cius, at id ad quod spectat termi-  
nus resolutionis debet esse perfec-  
tus: ergo prima operatio, ad quã  
spectat, quod quid est perfectior  
est. Vide D. Tho. 7. metaph. lect. 1.  
& 2. poster. lect. 1. ¶ Resp. ter-  
minum resolutionis non esse per-  
fectiorem: quia compositum na-  
turale resoluitur in materiã, & for-  
mam, quæ non sunt perfectiores.  
Et dato, quod esset dico: quod si-  
cut principia vt in ea resoluitur cõ-  
clusio spectant ad tertiam, vt infra  
dicam. Sic, quod quid est, & ei⁹ dif-  
finitio, vt est medium, vel extre-  
mã syllogismi spectat ad 3. vel ad  
summum ad 2. & ideò non infer-  
tur primã esse perfectiorem; quia  
non attingit, quod quid est vt ter-  
minum resolutionis, sed absolu-  
tè.

3 Arg. per primam operatio-  
nem intellectus noster magis assi-

milatur Deo, & Angelo in modo  
simpliciter intelligendi, quam per  
alias, sed inferior assimilatur supe-  
riori, per id quod est perfectius: er-  
go. ¶ Resp. magis assimilari per iu-  
diciũ, quod & simplex est, & vni-  
tatem attingit, quodque simplex  
est non per priuationem perfectio-  
nis, vt prima operatio, sed per emi-  
nentiam, media qua supremum in-  
fimi eleuatur ad attingendum infi-  
mum supremi.

¶ 2. Discursus noster est motus dis-  
cretus, & quasi circu-  
laris.

4. **A**git D. Tho. de motu discre-  
to, & eius natura, 1. p. q. 52.  
art. 1. & 2. & nostram conclusionẽ  
satis innuit ibidem q. 85. art. 4. ad  
1. ex eius doctrina probatur mo-  
do interum. Quia discursus noster  
est motus intellectualis non conti-  
nuus: ergo discretus (cum non de-  
tur medium.) Prob. min. Tũ, quia  
continuitas motus sumitur à con-  
tinuitate, & diuisibilitate spatij:  
sed motus discursus intellectualis,  
non fit in spatio diuisibili: ergo.  
Tum, quia Arist. 1. de Anima text.  
39. ait tantum esse tres species mo-  
tus continui, latio localis, nutritio,  
augmentatio, aut diminutio, & al-  
teratio: sed in nulla ex his speciebus  
continetur discursus vt per se pa-  
tet: ergo non est motus continuus.  
Conf. probatio: quia Arist. 1. de A-  
nima lec. 8. eo probat primũ moto-  
rem non esse animam mundi, quia  
cum

cum sit intellectualis non posset continue mouere mundum secundum omnes partes media intellectu: sed quasi discrete moueret, quia hoc est proprium motus intellectualis: sed motus discursus est intellectualis: ergo discretus. Vide ibi D. Tho. 6. *hospita op. n. one* in fine.

5 Hinc colligo, quod cum de ratione motus discreti sit, uterque terminus a quo, & ad quem, & non in aliquo medio, ut docet D. T. 1. p. q. 52. art. 1. & 2. si discursus est ab antecedenti inconsequens via inquisitionis, & a consequenti ad antecedens via resolutionis: tam antecedens, quam consequens, ut intellecta sunt de integritate discursus, non quidem intelligendo ea absolute, sed prima via attingit antecedens, ut ex quo infertur consequens, & hoc ut illatum, & rursus resolutorie regreditur ad antecedens, ut ibi inuenta examinet. Infero secundo esse motum circularē ab eodem in idem, non quidem eodem modo quo volebat Plato, & impugnat Plato 1. de Anima lect. 8. sed modo iam explicato, de quo D. Tho. 1. p. q. 85. art. 5. & q. 15. de Verit. art. 1.

*Soluuntur Argumenta.*

6 Arg. 1. ex D. Thom. 1. 2. q. 13. art. 7. ad 5. nostram intelligence non mensuratur tempore discrete, sed continuo: ergo non est motus discretus. Prob. conseq. nam motus adæquatur cum tempore, tanquam cum mensura. ¶ Resp. non

per se mensurati tempore continuo, sed per accidens ratione phantasmatum, a quibus pender; iudicium vero de re non debet sumi a mensura per accidens; unde sicut oratio quæ est species quantitatis discrete, in se est quid discretum, & tamen apud nos per accidens mensuratur a tempore continuo, sic de discursu nostro.

7 Arg. 2. motus discretus est motus perfecti, imperfecti vero motus continuus, de quo D. Tho. 1. p. q. 53. art. 1. ad 1. & 2. Sed noster discursus est motus imperfecti; siquidem, relinquit intellectum in potentia: nam dum est in conclusione est in potentia ad resolutionem: ergo. ¶ Confirm. si discursus esset motus discretus, sequeretur, quod cum Angelus moueretur discrete intellectualiter discurreret, sed hoc est falsum, & contra D. Tho. ergo, & unde sequitur. ¶ Resp. continuitatem non consistere in eo, quod relinquat in potentia utcumque, sed in eo, quod diuisibiliter attingat terminum ad quem, & non simul (alioqui cum Angelus vult transire de vno loco in aliud attingendo aliqua loca intermedia, & relinquendo alia, moueretur continue) cum ergo discursus attingat conclusionem totam simul, & inde ad principia simul resolutorie moueatur, quamuis dum est in conclusione sit in potentia ad resolutionem non impeditur discretio motus. Vide Caiet. 1. p. q. 85. art. 5. & Soncin. 9. metaph. q. 19.

¶ *Conf. dico, ad discursum non sufficere successiuam attingentiam intellectiuam aliquarum veritatum; sed requiri quod vna cognitio sit causa alterius, quod quia non contingit in Angelo, & fit in nobis, ideo est apud nos discursus, & non in Angelo. Vide D. Thom. 1. part. q. 14. art. 7. & q. 58. art. 3. & in 2. dist. 32. q. 2. art. 4. ad 2. & q. 8. de verit. art. 4. ad 1.*

§. 3. *Tertia operatio intellectus alijs est perfectior.*

8. *Prob. Eo secunda operatio est perfectior prima, secundum D. Tho. 1. poster. & 1. perh. lect. 1. quia prima ordinatur ad 2. & hæc continet perfectionem 1. superaddendo. Sed secundum D. Tho. ibi 2. non minus ordinatur ad 3. quam 1. ad 2. aliàs cum tertia sit motus discretus con-  
fili. 1. omnem perfectionem secundæ cum ad eam spectet præmissæ, & conclusio. Insuper penetrat conclusionem in; & ex principijs, quod non poterat penetrare lumen principiorum: ergo 3. operatio est perfectior 2. & cum 2. sit perfectior 1. de primo ad vltimum 3. est perfectior inter omnes operationes intellectus. ¶ *Conf. secundum D. Tho. 1. p. q. 12. art. 8. cognitio conclusionis in, & ex principijs: perfectior est quam cognitio principiorum secundum se; at prima spectat ad 3. quia illa est terminus motus discursiui, vt ait D. Th. ibidē q. 85. art. 5. & in motu discreto est terminus de ratione motus; ergo tertia est**

perfectior. ¶ *Conf. 2. Illa est perfectior operatio, per quam intellectus humanus continuatur cum Angelico, quia supremum infimi attingit infimum supremi: sed quo vltimo quidditate, & principia penetrat, est quo continuatur cum cognitione Angelica, que hoc ipsum simplicissima præstat cognitione: ergo.*

9. *Tota hæc doctrina videtur D. Th. 1. p. q. 59. art. 1. ad 1. vbi ait: Ratio per discursum peruenit ad cognoscendum illud quod intellectus sine discursu cognouit: Ergo penetrat ipsa principia resoluendo in illa. Vide per otium ibi. q. 79. ar. 8. ad 3. attendendo ad argumentum cui satisfacit, & 1. 2. q. 5. art. 1. ad 1. & in 2. dist. 9. q. vnic. art. 8. ad 1. & hic clarissime loquitur.*

*Soluuntur argumenta.*

10. *Arg. 1. ex D. Tho. q. 15. de verit. ar. 1. in fine corp. vbi ait: Intellectus in quantum est perfectus veritatem cognoscit, in quantum vero est imperfectus discursu indiget: Ergo discursus est ab intellectu vt imperfectus. ¶ *Conf. ex 1. p. q. 79. art. 8. vbi ait, quæ ratio se habet ad intellectum vt motus ad quietem, & adquirere ad habere. Sed motus, & adquirere dicitur imperfectio nē: ergo 3. operatio est imperfectior 2. ad quæ spectant terminus, & ipsum habere. ¶ *Resp. quod sicut in secunda operatione est motus compositionis, & quies iudicij, vbi est terminus, ita in 3. est motus inquisitionis, & quies resolutionis: vnde & Arist. 1. de Anim. text. 48. ait:***

*Intelligentia assimilatur quietis magis, quam motui similiter, & ratiocinationi, unde cum D. Tho. ait, quod intellectus dum ratiocinatur est imperfectus, & quod discurrere comparatur ad intellectum sicut motus ad terminum, loquitur de discursu inadæquatè sumendo pro actu inquisitionis, non vero adæquatè, sumendo etiam pro resolutorio iudicio, in quo quiescit, in quoque assimilatur intelligentiæ, quia quiescit in principijs melius penetratis: recede dicta ex D. Tho. dub. antec. nu. 10. & hic nu. 9. Et aduertendum, quod D. Tho. i. p. q. 14. ar. 7. docet, quod discursus noster pluralitatem actuum inuoluit videri de bet q. 8. de verit. art. 15. 1. 2. q. 57. art. 2. ad 2. & Flandr. 1. post. q. 2. artic. 1.*

11 Arg. 2. Si actus discursus adæquatè sumptus esset perfectior actu a minis principiorum, qui est supremus in linea secundæ operationis, sequeretur scientiã esse perfectiorem lumine principiorum, quia habitus specificatur per actus: sed hoc est falsum, & contra D. Th. 1. 2. q. 57. artic. 2. ergo & inde sequitur. ¶ Resp. habitum principiorum esse perfectiorem non secundum se, sed quoad nos. Tum à modo, quia est à natura, & naturaliter tendit. Tum, quia sine motu; tum, quia sine periculo erroris: nec amplius intendit D. Tho.

12 Arg. 3. secundum D. Tho. 1. p. q. 53. terminus non spectat ad motum discretum vt quiete attrac-

tus, quatenus mobile se habet in illo eodem modo nunc, & prius: sed vt in fieri attractus primo ex altero termino, & quatenus se habet in illo mobile aliter nunc, & prius: ergo principia non spectant ad tertiam operationem vt quiete, & per cõteplationem attracta via resolutionis: ergo sic spectant ad 2. ergo se habet ad illã 3. sicut moueri ad quiescere, & acquirere ad habere, secundum D. Tho. 1. p. q. 79. artic. 8. sed motus discretus vt in fieri attingit terminum imperfectiori modo attingit, quam si attingat quiete, & in facto esse: ergo adhuc via resolutionis imperfectior est actus 3. operationis, quam secundæ, quæ quiete attingit ea principia, vt in quibus cernit conclusiones inuentas.

Resp. negando, quod ad tertiam operationem nõ spectet illa quies in principijs via resolutionis, de quo Arist. citatus nu. 10. quamuis ergo non sit idem actus motus, & quies, & tertia operatio, vt motus non attingat principia in facto esse, tamen ea attingit. Sic quatenus quiescit in illis, habet enim tertia operatio plures actus, sicut & secundus.

13 Arg. 4. actus discursus, sicut & scientiæ non est circa veritates immediatas, sed circa mediatas, quæ sunt proprium obiectum formale eius, alioqui Theologia non distingueretur à fide: ergo falsum est, quod discursus per actum aliquem attingat perfectiori modo principia, quam lumen principiorum: sic enim

enim haberet pro obiecto forma-  
li veritatem immediatam, potius  
quam lumen principiorum, & so-  
lum de materiali attingeret verita-  
tem mediatam. ¶ Resp. ad dis-  
cursum non attingere veritatem im-  
mediatam absolutè & vt quod: sed  
solum veritatem mediatam, quã  
ingreditur principium vt quo, tan-  
quam principium, vel vt termi-  
nus, & sic semper saluatur obiectũ  
scientiæ esse veritatem mediatã:  
quia conclusio est mediata, vt  
quod, & principia non attinguntur  
nisi vt sunt mediata vt quo. ¶ Et  
a idere possumus, quod in termino  
discursus via contemplationis, e-  
tiam attingit principia vt quod,  
non absolutè, sed vt in illis cernun-  
tur iam conclusiones, & tunc non  
dicitur attingere veritatem imme-  
diatam, quia terminatiuè ad me-  
dia demonstrationis cognoscun-  
tur.

14 Arg. 5. Discursus menta-  
li s est syllogismus mentalis: sed hic  
non continet conclusionem, nec  
integratur ex eius cognitione: er-  
go fuit ratio conclusionis. Prob. mi-  
nor: syllogismus mentalis est mo-  
dus sciendi mentalis, & oratio ig-  
noti manifestatiua; at cõclusio nõ  
est manifestatiua, sed manifestata  
à præmissis: ergo illis solum cõstat  
discursus. Quod vero ad argumen-  
tationem non spectet iudicium de  
illatione: & simul vtramque præ-  
missæ, & conclusio manifestis ver-  
bis, docet D. Tho. 1. Contragent.  
cap. 37. num. 1. ergo.

Resp. discursum nostrum nõ es-  
se syllogismum, vel argumentatio-  
nem adequatè, sed solum inadæ-  
quatè consideratum; & ideo verũ  
est, quod quatenus syllogismus, aut  
argumentatio solum præmissis cõ-  
stat (demonstret hoc) at quatenus dis-  
cursus, integratur etiam ex cogni-  
tione conclusionis, & ex iudicio re-  
solutiuo, nec oppositum docet ibi  
D. Tho.

15 Tandem enervatur ratio  
conclusionis: quia secundũ D. Th.  
1. Cõtragent. cap. 37. & q. 8. de ve-  
rit. art. 13. in fine corporis, cum ea  
operatio nostri intellectus sit per-  
fectior, qua noster intellectus assi-  
milatur Angelico, & continuatur  
cum illo, docet, quod ratio, seu dis-  
cursus non habet hoc, sed intellec-  
tus. Et sic ait, quod *supremum in no-  
stro intellectu non est ratio, sed intelle-  
ctus, qui est rationis origo.* Vide in for-  
te singula verba, quæ apertissima  
sunt. ¶ Resp. vt sæpè dixi, D. Th.  
vocare discursum nostrum *intellec-  
tum*, quatenus attingit principia,  
non secundum se, sed vt sunt ratio-  
nis origo, vt ex quibus deducitur  
conclusio, vel vt in quæ resoluitur  
veritas cõclusionis, quod ex dictis  
nu. 10. non obscure apparet: vnde  
ex illa doctrina nõ sequitur aliquid  
contra nos.

16 Sed fateor hæc argumen-  
ta, quæ proposui multum vigere  
contra iustum modum, quo defendi  
conclusionem, & solutiones dati s  
scatere miris difficultatibus, quæ  
propterea ad exercitium tyronum  
di-

illud, & istum modum dicendi propugnauit: nam mea sententia alia via debet saluari.

*Q. 2. Aptiori, & veriori, ac facilius via defenditur tertiam operationem esse perfectiorem.*

17 **P**rob. ergo aliter. Perfectio alicuius potentiae, seu modi operandi non sumitur ex quocumque actu, sed ex perfectissimo (alioqui intellectus non esset perfectior voluntate, cum actus ergo sit imperfectior Charitate) sed perfectissimus actus tertiae operationis, siue discursus, est perfectior perfectissimo actu 2. operationis, qui est actus luminis principiorum: ergo absolute tertia operatio est perfectior 2. Prob. min. Actus sapientiae, & ipse habitus sunt discursui cum sint demonstratiui, & cognitione rei per causam, in quo consistere discursum, docet D. Tho. 1. 2. q. 57. art. 2. in corp. & ad 1. & 2. & q. 8. de verit. art. 15. & 1. Contragēt. cap. 47. & 1. p. q. 14. art. 7. & q. 38. art. 3. de quo Flandr. 1. post. q. 1. ar. 1. & 2. & q. 2. ar. 1. Sed habitus, & actus sapientiae est perfectior habitu, & actu primorum principiorum, ut expresse docet D. Th. 1. 2. q. 57. art. 2. ad 1. (& ibi Contr. Medina, & Greg. Mart. cum alijs Thomistis) & q. 1. Prolog. art. 3. & 1. 2. q. 66. art. 5. & q. 65. art. 7. & alibi passim: ergo vera est illa min. Et ratio est, quia indicat de principijs, & ea ex-

plicat, & per altissimas causas defendit, & explicat: ergo.

18 Dices, hoc praestare sapientiam procedendo ex aliquo principio per se noto, & resolvendo in illud: cum autem cognitio principiorum sit actus secundae operationis, ex illa prouenit tota perfectio sapientiae, non ex discursu. Contra est: tum, quod haec euasio satis praclusa est toto §. antec. Tum etiam, quia sapientia per causas altissimas demonstrat ipsa principia, non procedendo ex ipsis principijs, sed potius ea concludendo contra negantes: non ergo pendet à principijs; sed potius principia ipsa pendent ab illa.

19 Ex hac doctrina facillime diluuntur omnes obiectiones propositae §. antec. nam dato, quod discursus scientificus sit imperfectior actu secundae operationis, quia pendet à cognitione principiorum, & resoluit in illum; respectu tamen discursus sapientiae è contra res se habet, & sic secunda operatio pendet à 3.

20 Urget contra istum modum dicendi, quod si habitus, & actus sapientiae naturalis esset perfectior habitu, & actu principiorum, sequeretur Theologiam nostram, & donum sapientiae quoad actum, & habitum esse perfectius quidquam actus, & habitus fidei: sed hoc esse falsissimum, cuiuslibet mediocre erudito, & versato in doctrina D. Tho. satis constat: ergo. Tū, quia eo per nos sapientia naturalis esset

esse perfectior lumine principio. quia ea defendit, & explicat, sed hoc idem præstat donum sapientie respectu fidei ex D. Thom. in 3. dist. 35. q. 2. ar. 1. quæstion. 1. ad 1. & Theologia ex eodem 1. par. q. 1. artic. 6. & tamen est perfectior fides; ergo. ¶ Resp. Theologiam naturalem esse inferiorē fide, quia est acquisita, & quantum ad modum naturalis, & si ratione scientie beatæ quasi radicaliter est perfectior fide, & solum ratione status imperfectior: quia modo naturali habetur. Donum verò sapientie non iudicat de veritatibus fidei per principia intellectualia; sed per quandam consensualitatem, & saporem affectuum hortū a charitate: ut ait D. Thom. 1. p. q. 1. artic. 8. & 2. 2. tota q. 45. & ideo non est perfectior; at sapientia naturalis in linea intellectuali, in ipsa serie, & ordine naturali iudicat per modū superioris de principijs; ideoque est perfectior.

*Dub. 7. An, & quo modo Logica dirigat tres operationes intellectus nostri.*

1. **F**acile percipitur quod Logica dirigat 2. & 3. operationem in materia contingenti; sed difficilimum est, quomodo possit dirigere primā cum in ea nequeat esse error, & quomodo 2. in materia necessaria, in qua lumine principiorum dicitur nequit errare: sicut neque 3. in consequentiā immediata ad 1. principia, quia secundū aliquos est per se nota, ubi autem ne,

quit esse error; non habet locū artificialiā directio.

*Unica Conclusio.*

2. Nihilominus dico, Logicā dirigere tres operationes intellectus: sic Arist. 2. meth. lect. 5. D. Tho. ibi, & 1. poster. & 1. perh. lect. 1. Arist. 1. topic. cap. 2. Senec. epist. 91. S. Hieron. epist. ad Paulinum, & plures quorū memini trac. 1. Log. disp. 1. dub. 1. §. 2. Flandr. 1. poster. q. 1. ar. 2. & 1. Metap. q. 1. ar. 2. ad ult. & q. 8. ar. 5. & 6. & videri potest Mal. q. 1. proem. Log. sec. 1. sed ante probationē aduerto, id quod probavi, ibidē dub. 2. §. 4. & ostendit sedulo Flandr. 1. poster. q. 1. art. 7. adducto D. Th. in 1. dist. 33. q. 1. ar. 1. ad 3. Quod Logica nō dirigat operationes formales in seipsis, sed ex parte obiecti; declarās quomodo debeat applicari tribus operationibus, in 1. per 2. intensionē termini, & prædicabilis, & prædicamentū in 2. etiā circa propositiones necessarias, per se intensionē subiecti, & prædicati, & prædicationis directæ, vel indirectæ. Circa 3. iusta omnes intentiones quas in libris de priori, & posteriori analisi docet Arist. hoc obiecto bene applicato: prima operatio errare nequit, nec formaliter, nec occasionaliter: & 2. errare non potest, si prædicatio sit directa in materia necessaria: & 3. errare non potest circa primam conclusionem proximam primis principijs, si recte sint præmissæ dispositæ: si autē obiecta in debite sint applicata, errabit, non quidem defectu luminis,

nis, sed defectu applicationis qua  
deficiente, deficit potestas non er-  
randi, aut formaliter, aut occasio-  
naliter. Ideoque ad hoc logica diri-  
git, vt debito modo proponantur  
obiecta, & sic vitabitur error, alio-  
qui omnia erunt confusa.

3. Prob. ergo. Vbi potest esse er-  
ror, ibi est necessaria directio, sed  
in applicando obiecto triplicis o-  
perationis potest esse error: ergo  
necessaria est directio, sed hanc pre-  
stat logica: ergo dirigit tres opera-  
tiones intellectus. Quod in 2. & 3.  
operatione in materia contingenti,  
& circa consequentias mediatas  
manifestum est: quod vero in 1. &  
in 2. circa propositiones immedia-  
tas, & in tertia circa consequentias  
immediate connexas. Prob. Nam  
& si prima operatio nequeat erra-  
re circa quidditatem hominis, si  
phantasma eius actu moueat, & eli-  
ciatur eius species, tamē potest er-  
rare in cognitione quasi reflexa,  
quatenus denominat hominem se-  
cundā intentione termini, aut co-  
ponit eius definitionem, sub qua ra-  
tione deseruit 2. operariopi. Et si  
in materia necessaria nō rectē dis-  
ponit attributionem secundam in-  
tentionem debitae subiectionis, &  
perfectionis; & idem est in recta  
dispositione pramillarum in ordi-  
ne ad consequentiam immediatā,  
quia hec omnes intētionēs non sunt  
naturaliter notæ, sed artificialiter  
attribuuntur: ergo triplex opera-  
tio capax est erroris, & perinde di-  
rectionis logicæ.

Conf. Logica non dirigit, nisi  
quatenus docet facere secundam  
intentionem modifcendi: hic re-  
peritur in triplici operatione cum  
periculo erroris: ergo triplex ope-  
ratio dirigitur per se à logica, non  
absolutē, sed in ordine ad fabri-  
candum modum sciendi artificio-  
sum.

*Soluantur Argumenta.*

4. Arg. 1. Prima operatio semel  
posita specie quidditatis errare nō  
potest, quia hæc indiuisibiliter at-  
tingitur: ergo vel tota, vel nihil; si  
primū n, non fallitur, nec errat. Si  
secundū, non errat, quia nihil at-  
tingit, & in eo casu negativè se ha-  
bet, & totus defectus non est ex par-  
te illius, sed quia non representa-  
tur specie. Sicut contingit in visu  
respectu proprii sensibilis: ergo ca-  
pax non est directionis artificio-  
sæ.

Resp. ex dictis, non posse errare  
circa cognitionem directā: posse  
tamen errare in applicatione quasi  
reflexa secundæ intentionis artifi-  
ciosæ: modi sciendi, sub qua deser-  
uit alijs operationibus. Sic enim  
est occasio errandi in alijs opera-  
tionibus, vt videre est in Pergom.  
verb. falsitas, nu 3. Si contra istes,  
secundam intentionem fieri non  
posse à prima operatione, quia hæc  
non est comparatiua, ac perinde si  
circa suum obiectum directē attac-  
tum errare nequit, neque circa ap-  
plicationem errare poterit.

Resp. ex dictis in logic. tract. 2.  
disp.

disp. 2. dub. 7. §. 2. Relationes illas rationis, vniuersalitatís, termini, &c. posse fieri a prima operatione, quia non requirunt cognitionem compositam, sed solum simplicem, quæ ad 1. spectat operationem.

5 Arg. 2. Sicut Logica dirigit operationes intellectus speculatiui, sic prudentia dirigit operationes voluntatis; sed prudentia non dirigit actus primo primos voluntatis, qui non diriguntur a iudicio deliberatiuo: ergo nec logica potest dirigere primam apprehensionem. ¶ Prob. conseq. Quia vtrouque par ratio est nõ errandi a se, & agendi naturaliter.

Resp. Voluntatem dirigi posse a prudentia in simplicibus actibus amoris, vel odij, qui vocantur secundo primi: in intellectu autem speculatiui actus quibus intentiones secundæ attribuntur obiectis simplicibus sunt secundo primi, quia secunda attentio, & secunda intentio, vt ait Soto, idem est: ergo paritate sumpta a prudentia debet 1. operatio dirigi a logica in speculatiuis, sicut voluntas in omni operatione dirigitur a prudentia.

6 Arg. 3. Qui benè apprehēdit, benè iudicat, maximè in materia necessaria primorum principiorum: vbi explicatis terminis nequit intellectus non assentiri. Et benè cognitís principijs, & dispositis, necessario, & sine errore cogitur intellectus assentiri conclusioni: ergo da-

to, quod 1. operatio dirigatur a logica, non potest dirigi secunda; & dato, quod 2. dirigatur, nequit dirigi tertia. ¶ Resp. Quod posita bona apprehensione directa obiecti; benè iudicabit intellectus de principijs explicatis terminis in cognitione directa; at non quoad modum denominandi, & fabricandi secundas intentiones: quia diuersæ sunt quæ spectant ad 1. & 2. & 3. operationem; vnde cum ad 3. pertineat disponere præmissas, in modo, & figura cum debita distributione medijs, & hoc possit ignorari etiã cognitís principijs absolute; fit consequens posse esse errorem in triplici operatione circa modum fabricandi secundam intentionem, & per consequens indigere directione logica.

6 Arg. 4. Sicut quod prima potest esse occasio erroris formalis in alijs operationibus, dirigitur a logica, etiã deberet dirigi ab illa in intellectu agens, phantasia, & cogitativa, quæ ex participatione rationis, etiã habet discursus circa singularia, quia turbata functione harum potentiarum, certissimè turbabitur iudicium intellectus, deberent etiã corrigi passionibus a logica, quia illis prævalentibus peruertitur iudicium veritatis in speculatiuis etiã, vt experimur quotidie: sed hoc est falsum: ergo etiã erit a veritate alienum, quod ob errorem occasionarum dirigatur a logica 1. operatio intellectus.

Resp. eas operationes non diri-

52  
 g. a logica; quia nequeunt artificio  
 se fabricare secundas intentiones,  
 vt dixi in Log. tract. 2. disp. 3. dub.  
 6. §. 2. Cum tamen huius fabricæ  
 sit capax prima operatio intelle-  
 ctus cum periculo errandi; & dan-  
 di occasionem, vt in consimilibus  
 errent alie operationes.

*Dub. 8. An recta methodo incipiendum  
 sit in dialectica à termino.*

1. **V**T dixi in proem. Log. dub.  
 1. §. 1. Dialectica differt a  
 Logica; in eo quod vna agit de for-  
 ma, alia de materia, vna secun-  
 da intèntione prioristica, alia de po-  
 sterioristica; vnde sicut in Logica  
 incipitur a predicamentis, & ab  
 vniuersalitate, & predicabilitate,  
 quæ illis simplicibus conceptibus  
 rerum posterioristicè competunt,  
 quia predicamenta simpliciora e-  
 lementa sunt in quæ resoluitur om-  
 nis facta posterioristica: ita prio-  
 risticè videtur quod nomen, & ver-  
 bum, quæ sunt simpliciores partes  
 orationis, & ratio, seu secunda in-  
 tentio termini, debeant initiū præ-  
 stare dialecticæ, quia simpliciora  
 elementa sunt, in quæ resoluitur fa-  
 brica prioristica, eumque vltimum  
 in resolutione sit primum in com-  
 positione, videtur inchoandum es-  
 se a termino à quo simplex compo-  
 nitur propositio.

*Vnica Conclusio.*

2. Vt recta methodus obserue-  
 tur in Dialectica est incipiendum à  
 termino; sic communiter Thomi-

stæ: Gonus Salius, Murcia, Villalp.  
 & alij. Prob. secundum Aristot. 1.  
 Physic. capit. 1. & ibidem de hist.  
 animal. & 1. ethic. A simpliciori-  
 bus, & vniuersalioribus in commu-  
 ni incipiendum, quia hæc sunt no-  
 tiora nobis secundum naturā, quam  
 ars immitatur: sed terminus est ele-  
 mentum simplicius inter omnia de  
 quibus agit Logica, est etiam vni-  
 uersalior. ( non quidem in prædi-  
 cando ) sed in componendo: ergo  
 a termino in communi est inchoan-  
 dum, sic enim proceditur ab imper-  
 fecto ad perfectum à notioribus no-  
 bis ad ea quæ sunt notiora secundū  
 naturam, & sic a facillioribus nobis  
 ad ea quæ sunt difficiliora; sic enim  
 seruetur rectus ordo doctrine vt ex  
 his quæ animus facillè nouit, surgat  
 ad incognita, quæ nō nouit, & hinc  
 quæ vltu facilliori didicit quasi con-  
 fricatus incalcescat.

*Soluentur Argumenta.*

3. Arg. 1. Simpliciora sunt syl-  
 labæ, vox; significatio, ex quibus  
 constat terminus; ergo non est in-  
 cipiendum à termino, sed a voce, so-  
 no, vel significatione. ¶ Præterea,  
 modus sciendi est notior, & facillior  
 cum sit ratio cognoscendi ignorum:  
 ergo ab illo, & non a termino est in-  
 cipiendum. Et dato quod non esset  
 facillior, tamē est quid necessariū,  
 quia tradit modum definiendi: er-  
 go qua ratione docuit D. T. opus.  
 70. q. 6. ar. 1. ad 2. non esse incipiē-  
 dū à Mathematicis, & si sunt facilio-  
 res, sed a Logica, quia necessarior;

eadē tēnemur dicere, incipiendū à modo sciendi in Dialectica, & non à termino. Præterea, terminus est concretum constans voce, & significatione: ergo cū vox, vel secunda intentio sint simpliciora, saltē hoc titulo ab illis incipiendū prius, quam tractetur de termino.

4. Resp. quod logica incipit à secunda intentione modi sciendi in concreto, sed quia hæc constat partibus, & simplicior est secunda intentio termini, fit, quod inde sit inchoatum. Vox autem, & significatio, & si possint explicari in Dialectica, quia tamen sunt quid alienū, & ex parte substrati huius concreti se tenet, quod constat rebus diuine: for in generum, de voce, sono, syllabis, signis, per se non agitur in logica, sed præsupponuntur hæc omnia esto ex abundantia doctrine de his etiam tractetur, sed non per se. Nec obstat, quod significatio est genus ad terminū, est enim genus alienum, & ex parte substrati, definitione physica termini in concreto: & ideo non debet agi de signo per se.

5. Arg. 2. Dialectica procedit artificiosè: at nihil potest sic quoad quidditatem cognosci, nisi media definitione: ergo prius debuit agi de illa, quam de termino: alioqui termini quidditas incipiet cognosci non artificiosè. Præterea, nihil potest quidditatiuè cognosci, nisi cognoscatur id per quod habet quidditatem, at terminus habet esse per ordinē ad propositionem: ex

go illa incognita, male incipitur à termino. ¶ Resp. quod hic incipimus à simpliciori parte modi sciendi, & definitionis incipiendo à termino, & sic, quamuis non incipiatur à definitione in actu signato incipimus ab illa in actu exercito, & hoc sufficit ad hoc, quod artificiosè cognoscatur quidditas termini, quia addiscentem oportet aliquid credere, donec plenius informetur. ¶ Ad conf. quod terminus diffinitur per propositionē in obliquo; & ideo sufficit eam cognoscere in confuso, donec de illa plenius tractetur, quod cōtingit in omni artificiosa cognitione, ubi ex partibus deuenitur ad totum, & nō à toto ad partes (esset enim cognitio confusa) eū tamen omnis pars diffiniatur per ordinem ad totum.

6. Sed contra est, quod & si totum cognitione distincta cognoscatur per partes essentielles. At tamen totum integrale, è contra est, prius enim debet cognosci homo, quam manus hominis, at obiectū Dialecticæ est secunda intētio modi sciendi, cuius terminus non est pars essentialis, sed solum integralis: ergo.

Resp. quod sicut materia, & forma sunt partes essentielles entis mobilis; & ideo à principijs incipit physica: sic terminus, saltim mediātè est elementum, & pars essentialis secundæ intētionis modi sciendi, quia hic essentialiter est oratio cuius ratio est, quod partes eius separatæ aliquid significant.

# TRACTATUS SECVNDVS

## De signis in communi, & in particulari.

Disputatio prima, de signo ut sic, eiusque essentia, & constitutio.

*Dubium primum, an definitio signi ut sic bona sit, & exacta?*

**D**ARI Signa notius est quam eget probatione, eius passim meminit sacra pagina, quod & legendo cōcordantia. acilē obuiabit unicuique: eo Mathematici diuidunt zodiacum: eo Iurisperiti patrata facinora, & maleficia deprehendunt: eo medici malignas febres, & occultas affectiones norunt. Et si credimus M. Sent. dist. 1. tota Theologia Sapiētia in eo sita esse viderur, si res significatas, & signa rectē percipiamus: ergo & si significatio res sit, non nihil aliena a nostro instituto, necessaria tamē valdē est: agendum ergo de signo quam diligentissimē.

*Vnica Conclusio.*

1. Illa definitio signi, quam tradit M. Soto, nēpē: *Signum est, quod potentia cognoscitua aliquid aliud à se representat*, bona est. Ratio est, quia cōstat ratione generica, & differentiali. Ratio generica est representare potentia cognoscitiuæ, quia hoc cuilibet obiecto cōpetit. Differentialis est aliud à se representare.

*Soluantur Argumenta.*

3. Arg. 1. Hæc vox homo est signum conceptus, qui est in mente loquentis, & tamen illum non representat: ergo illa particula *representat*, malē ponitur in definitione. Prob. min. non mouet audientem ad formandum conceptū de mente loquentis, sed de homine representato: ergo. ¶ Resp. quod immediatē mouet ad cognoscendum conceptum loquentis, & mediatē rem significatā: vt docet D. Tho. 1. perh. lect. 2. & 1. p. q. 13. ar. 1. q. 9. de pot. art. 5. & ex Contrag. cap. 11. Sed cōtra est. Non esse dubium quod significat conceptum, sed quod representet: hoc enim est falsum: tum quia non representat, nisi idem quod conceptus loquentis: sed ille non representat se, cum non sit conceptus reflexus, sed directus: ergo. Tum quia hæc vox homo idē representat si formerur ab aue, siue homine, vel sobrio, vel dormiente, at tunc non representat conceptum: ergo nec cum profertur ab homine. Tum quia si representat idem, ego intelligerem per

per hanc orationem, homo est animal, ac per istam, conceptus hominis est conceptus animalis, sed hoc est falsum: ergo. ¶ Resp. ad 1. quod conceptus ille repræsentat se exercite, non signate, vt infra dicemus, & sic repræsentat illum vox prolata. Ad 2. quod in eo casu nec significat illa vox, nec repræsentat eodem modo. Ad 3. quod vox homo, respectu conceptus est signum repræsentatiuum tantum, non autem suppositiuum simul: & ideo non eodem modo repræsentat ac illa oratio, nec pro eodem potest accipi.

4 Arg. 2. Contra illam particulam *aliud a se*: quia *blitiri* in hac propositione: *Blitiri non est nomen*, significat se non minus, quam si diceret *ly amo non est nomen*, sed ibi *ly amo* significat se: ergo & *ly blitiri*: ergo datur signum, non aliud a se repræsentans. ¶ Resp. M. Soto, quod ibi non significant se illæ voces, sed potius sunt res significata; quia semper intelligitur, ac si diceretur, hæc vox *blitiri*, hæc vox *amo*. Sed contra, quod Pater Linc. lib. 6. dialect. tract. 1. capit. 1. citans pro se Arriagam, & Tellez, & alios æstimat dari posse signum sui ipsius.

5 Quod & conatur probare; quia conceptus entis in sententia Thomistarum, non significat rationem præcissam, sed immediate quodlibet ens; sed ille conceptus est ens: ergo significat se, cum ille conceptus sit signum omnium

quæ repræsentat. ¶ Resp. quod ille conceptus repræsentat se in actu exercito, & non significat se, sed omnia alia à se, & sic non significat mēti omnia quæ repræsentat. Sed contra est, quod in illo conceptu linea entis, & linea intelligibilis virtualiter sunt distinctæ; sed hoc sufficit vt ille conceptus sit signum sui, & idem dic de quouis alio repræsentante se, vbi linea repræsentatiua distinguitur a linea entis: ergo. Prob. vt sacrificium Eucharistiæ sit signum sacrificij Crucis: vt ait D. Thom. 3. part. quæst. 85. artic. 1. ad 1., sufficit distinctio rationis, seu virtualis (non idem idem numero Christus offertur) ergo etiam ibi sufficit illa diuersitas. ¶ Resp. quod in Eucharistia species sunt quæ habent rationem signi, & hæc distinguuntur realiter à Christo Domino cum pendit in Cruce. ¶ Præterquamquod, sacrificium est in genere actionis, vt ait Magister Nuño 3. p. quæst. 83. artic. 2. dub. 1. ac perinde licet res oblata sit eadem, tamē sacrificia sunt realiter diuersa, & ideo non est idem, nec sufficit distinctio virtualis, vt aliquid seipsum repræsentet.

6 Sed quia non vaccat immorari in hac quæst. an idem possit esse signum sui ipsius: vide Magist. in 1. distinct. 1. & D. Thom. ibi in exposit. lit. & in 4. distinct. 8. quæst. 1. artic. 2. quæstiunc. 1. ad 1. & quæstiunc. 2. ad 3. Soncin. 12. Methap. quæst. 59. Sot. lib. 1. sum.

cap. 2. not. 2. Conimbric. lib. 1. de  
Interpr. capit. 1. question. 1. art. 1.  
Torr. de Trinit. quest. 27. ar. 2. dis-  
put. 2. citanturque S. Ambros. lib.  
de Abrah. capit. 4. & S. Anselm. si-  
ue Hæruus. noster super epist. ad  
Rom. 4.

7 Arg. 3. hæc vox homo scrip-  
ta in lib. clauso est signum; & ta-  
men nulli potentie cognoscitiue  
representat; vt per se constat: er-  
go illæ particule male ponuntur  
in diffinitione. ¶ Resp. Magister  
Soto cum Alens. 4. part. quest. 1. ar-  
tic. 1. ad 2. non representare actu,  
sed aptitudine, hoc tam suffice-  
re, vt bona sit diffinitio, quia  
illa verba, non dicunt actum, sed  
tantum aptitudinem. Contra est,  
de quo non verificatur actu diffini-  
tio, non est actu diffinitum; ideo-  
que quod non est actu animal, non  
est actu homo: ergo si illa vox ac-  
tu non representat dum est in li-  
bro clauso; non est actu signum cu-  
ius oppositum supponit Soto.

Conf. quæ consistunt in vsu, &  
exercitio, eo sublato non sunt; si-  
cut patet in relatione, sed signum  
(ad differentiã rerũ) est cuius vsus  
est in significandis, vt ex August. do-  
cet Magister Sentent. in 1. distinct.  
1. ergo si tunc non habet actu re-  
presentare, non est signum.

Resp. quod vt actu sit aliquid,  
sufficit quod actu verificetur diffi-  
nitio in sensu, quem importat ver-  
ba: vnde si non important, nisi ap-  
titudinem sufficit actu conuenire  
aptitudinem, quod verificatur in

illa voce, sicut vt sit actu homo:  
non requiritur acturatiocinari. Et  
vt sit animal, non requiritur actu  
sentire hominem. ¶ Ad confir-  
quod Magister non dixit essentiam  
signi consistere in significatione ac-  
tualis, seu in vsu; sed quod vsus eius  
est significatio, quod longè diuer-  
sum est: ideoque non vrget argum.  
sed de hoc reddibit sermo, cum ege-  
ro de signo ad placitum.

Dub. 2. An signum sit in genere rei;  
an in genere obiecti, & in linea in-  
telligibili.

1. **L**inea entis, & veri differunt.  
Linea, quia quæ sunt de linea  
entis data sunt, vt sint ipsa, vel alia,  
& exercitium eorum est esse ac fi-  
nis eorum, quæ sunt in linea intel-  
ligibili primo, & per se sunt data  
vt cognoscantur, & eorum exerci-  
tium consistit in obijci, seu cognos-  
ci: de quo vide Caiet. 1. p. q. 2. art. 3.  
& quest. 14. art. 4. & quest. 55. art.  
3. his positis, sit.

*Vnica conclusio.*

2. Signum formaliter non est  
in linea entis, sed in linea intelli-  
bilis mediij obiectiui. Est sent. S. Au-  
gustin. lib. 1. de doctrin. Christiana,  
& M. in 1. dist. 1. & S. Thom. ibi in  
explicat. vbi cõdistingunt lineam  
signi à linea rerum: vide D. Tho.  
in 4. distinct. 1. quest. 1. art. 1. quæ-  
stion. 2. & quest. 6. artic. 2. ad 5.  
& quest. 9. de verit. art. 4. ad 4. &  
ibi quest. 3. art. 1. ad 2. & quest. 7.  
art. 5. ad 1. & 1. part. quest. 13. art.

1. ad 2. & 3. & artic. 9. ad 2. Estque communis inter nostros, & videri potest Ortiz tract. de signis in principio, §. unico. Et prob. signum est in genere representatiuo: vt patet ex diffinitione: ergo non est in linea entis, sed in linea intelligibili obiecti representantis aliud, ac perinde in linea obiecti mediij.

Prob. conf. quia representare est se obijcere potentie cognoscitiue, & habere suum exercitium in ordine ad illam, non vero in ordine ad esse.

3. Dices, signum pro materiali esse in linea obiecti representatiui mediij; at pro formali esse in linea entis relatiui, quia eius exercitium consistit in substitui pro signato, hoc autem formaliter dicit relationem: ratio autem in linea entis est, non in linea obiecti.

4. Sed contra est, quod illa ratio potius se habet ex consequenti: nam formalis ratio signi, est signatum notificare potentie; & illud illi reddere presens, at hoc prestat intelligibilitate media, & representatione: ergo per hanc constituitur in ratione signi. Præterquamquod illa ratio substitutionis pro signato est ad hoc quod loco illius cognoscatur signum, & ducat in signatum: ergo finis signi ad potentiam cognoscentem est: ergo illa ratio vt entitas non se habet formaliter, sed vel de materiali, vel consequen-

ter.

*Soluuntur Argumenta.*

4. Oppositum tuetur Hæret. lib. 1. dialect. capit. 2. quæst. 1. artic. 3. ad 3. & quæst. 4. artic. 2. Magister Ioann. à Sabct. Thom. disp. 21. Log. artic. 1. Et probat. nihil est sub determinato genere, quod non sit sub aliqua eius specie determinata, & eam constituat; sed signum cum sit ratio analoga ad omnia signa nullam continet rationem specificam in linea intelligibili: ergo non continetur sub hoc genere.

Resp. quod imò potius non est in linea entis, quia signum naturale, & ad placitum non constituunt vnã rationem vniuocam in linea entis, cum tamen eam constituent vniuocè in linea obiecti. Præterquamquod ratio non vrget, quia ratio sani est analoga, & idem est de relatione vt abstrahit a linea reali, & rationis, & tamen sunt determinatè in linea entis.

5. Arg. 2. Eo signum non esset in linea entis, quia ducit in cognitionem signati, sed etiam omnis creatura ducit in cognitionem creatoris, & tamen non constituitur creatura per esse obiectiuum: ergo.

Resp. quod creatura reduplicatiuè, & per id quo in linea entis creati constituitur, non ducit formaliter in cognitionem Dei, sed specificatiuè, & quatenus intrat lineam intelligibilem: at signum ad hoc est

est impositum vt significet id, quod ducitur intellectus ad cognitionē alterius: non autem ad significandum esse quod habet ab altero: & ideo signum est in linea obiecti intelligibilis formaliter.

6 Arg. 3. Formale constitutum signi est ordo ad signatum à quo specificatur: at hic non est formaliter in linea intelligibili, sed præcise in linea entis: ergo. Prob. min. quia linea intelligibilis est ad potentiam intelligentem: ergo si signum, vt infra dicemus, non constituitur per ordinem ad potentiā, sed præcise ad signatum; sequitur, non esse formaliter in linea intelligibili. ¶ Resp. esse ad signatum non vtcumque, sed cum connexionē, seu connotatione ad potentiā, cui reddit cognoscibile signatum, & hoc sufficit, imò & requiritur, vt signum sit intelligibile medium ductiuum in notitiam alterius.

Dub. 3. An signum constitutur per ordinem predicamentalem ad signatum, an per transcendentalem?

3 Circa hoc dubium duplex sententia versatur. Prima asserit constitui signum relatione predicamentali, seu secundum esse, sic RR. Araujo 3. Metaph. q. 2. art. 2. Ioan. à S. Thom. q. 21. Log. art. 1. Huert. lib. 1. Sūmul. c. 2. q. 1. art. 2. Solerque citari Caiet. 1. p. q. 28. art. 1. Scot. Quodl. 13. art. 3. Agid. in 1. dist. 27. q. 3. Secunda docet re-

latione transcendentali constitui. Sic Ortiz tract. 2. confer. 2. & cōmuniter nostrates in manuscrip. tis. Mag. autem Ioan. Mart. lib. 1. Dialect. c. 2. q. 4. vnumquēque iubet in hac parte pro suo sensu abundare, quia problema est.

Vnica conclusio.

2 Secūda sententia verior est; & prob. Signū est medium ductiuū in cognitionē alterius, cū quadā dependentiā, & subordinatione, sed cognita creatura, v. gr. vt effectus Dei, & cum transcendentali ordine ad ipsum; & si esset impossibilis resultantia relationis secundum esse, illa duceret in notitiam, cū subordinatione, & dependentiā à Deo, & per modum mediū obiecti ui: ergo haberet essentiam signi: ergo illa non constituitur relatione secundum esse. ¶ Dicant, tūc solum saluari rationem signi fundamentaliter, quia præter hoc dicit signum rationem substituti pro signato, quod intelligi nequit sine relatione secundum esse. Sed contra est, vniuscuiusque essentiam saluari, dum verificatur definitio, at præcisa relatione substituti, verificatur definitio signi; nec licet nouas fingere definitiones: ergo.

Secundo, iuxta D. Tho. q. 9. de Pot. art. 4. ad 5. signum debet esse præcognitum ante signatum; at ratio non facit vnum præcognosci, sed potius facit duo extrema relata esse simul natura, & cognitio

ne: ergo signum non constituitur formaliter relatione secundum esse. ¶ 3. signum substituit pro signato, non entitatiuè, sed cognoscitiuè; at linea cognoscibilis, & representatiua non est relatiua, sed absoluta: ergo. Prob. min. Quia linea cognoscitiua distinguitur à linea entis: ratio autem per se diuidit genus entis: ergo quod est formaliter in linea cognoscibili non potest constitui relatione, quæ formaliter est in linea entis. Tandem mediū appetibile (& si aliàs possit ex consequenti dicere relationem secundum esse ad finem) tamē non constituitur, sed proportionem intrinsecam, quam dicit ad finem: ergo idem dicendum de signo, quod est mediū cognoscitiuum respectu signati.

3. Secundo prob. signū comparatur ad signatum sicut potentia ad obiectum: ergo sicut illa formaliter est in linea obiecti, sic signum in linea signati; at signatum nō constituitur in ratione talis per relationem secundum esse, sed per suam intrinsecam intelligibilitatem mediatam, & ultimam: ergo signum non constituitur in ratione talis, per relationem secundum esse: sed sua absoluta intelligibilitate media vt transcendentaliter ordinata ad signatū. Nec valet dicere, quod signatum vt tale etiam constituitur relatione: quia non est intelligibile mediatum vt cūque, sed à medio, quod substituitur. Sed contra est, quod illa substitutio, vt dictum est

intelligibilis, & vltimitas signati etiam est intelligibilis: ergo vtraque est in linea absoluta, & non in relatiua.

4. Prob. 3. & est confirmatio rationis precedentis: mediū repræsentatiuū vt sic, vt abstrahit à medio à priori, & à posteriori est in linea absoluta; sed signum est mediū, quasi à posteriori: ergo est in linea absoluta. Mai. prob. Idem genus nō potest constitui per differentias diuersi generis: vt docet Arist. 4. Topic. cap. 1. & lib. 6. c. 4. sed mediū à priori constituitur per intrinsecam immaterialitatem, & intelligibilitatem absolutam: ergo & signum quod est mediū à posteriori.

5. Prob. 4. hoc nomen signum est nomen absolutum. Sed nomē significat rationem rei, & quidditatem: ergo. Prob. mai. regula ad cognoscendum, an nomen sit absolutum, vel relatiuum, est si formaliter significat aliquid absolutum, etiam si consequatur ratio: vel si directè significat ipsam relationem, de qua regula vide D. Tho. 1. p. q. 13. art. 7. ad 1. & q. 4. de verit. art. 1. & in 2. dist. 10. q. 1. art. 5. ad 8. & dist. 30. q. 1. art. 2. & apud Authorē opusc. 48. tract. de prædicam. c. 1. sed hoc nomen signum, directè significat aliquid absolutum, & ex consequenti solum relationem: ergo est nomen absolutum. Min. prob. quia D. Tho. in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. ad 1. *Sacramentum est aliquid vniuersale in genere signi, vel cause, quorum vtrumque*

que importat relationem. Sed nomē causæ ex consequenti importat relationem, & est nomen absolutū: ergo & signum. Idē fere habet ibi dist. 4. q. 1. art. 1. & 3. p. q. 63. artic. 2. ad 1. ubi ait. *Signum importat relationem fundatā in aliquo.* Sed in phrasid D. Th. cum dicitur, quod aliquid importatur in significato nominis, idem est, ac dicere, quod nō significatur directē, sed ex consequenti: ergo. ¶ Prob. min. cū in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. dicit, quod *Character importat triplicem rationē, intelligitur ex consequenti.* Similiter cū 2. 2. q. 146. art. 1. ait, quod *abstinentia importat subtractionem ciborum*; quia *substractio dicit defectum, & virtus consistit in medio, ut ibi notat ad 2.* Et cum 1. 2. q. 23. art. 4. cum dicit, quod *amor importat convenientiam, & connaturalitatem.* Unde 1. p. q. 20. art. 1. ad 1. denegans Deo iram, hoc facit, quia *ira importat de formali imperfectionem.* Vbi scitē addidit illam particulā *de formali*, quia si absolutē solum diceret, quod *ira importat imperfectionem*: deberet intelligi de consequenti: ergo.

6 Tum etiam, eo nomē creator est absolutum, sicut & nomen creaturæ, quia Deus non creat per relationem, sed per virtutem absolutam, ex D. Tho. q. 8. de Pot. art. 2. ad 3. & 1. p. q. 13. art. 7. ad 1. Et creatura terminat creationem per relationem, sed per suum esse, sed etiam signum non ducit, nec representat potentie signatum per

relationem, sed per suam intelligibilitatem diminutam, ut proportionatam alteri, sicut probatū est: ergo est nomen absolutum.

7 Prob. 5. Si signum essentialiter consisteret in relatione, exercitium signi etiā cōsisteret in exercitio relationis; at cessante exercitio relationis secundum esse manet exercitium signi: ergo non consistit essentialiter in relatione. Maior certa est, ut patet in paternitate, & filiatione. Min. prob. nam cessante reali relatione imaginis ad Imperatorem, eo mortuo æquē beneduci in notitiam eius.

Resp. quod mortuo Cæsare, imago Cæsaris significat illum ratione relationis rationis, quæ per accidens ibi est, sicut verbum Dei relatione rationis terminat maternitatem B. Virginis in natura assumpta. Sed contra est, quod independenter à tali relatione imago est similis Imperatori: sed ratio ducendi est similitudo, siquidem vñ simile per aliud cognoscitur independenter à quavis relatione: ergo si sublata relatione nequit non esse medium cognoscendi deficienter, nequibit non esse signum. Quod amplius patet supposito, quod Angeli cognoscūt per meū cōceptū cognitum obiectum eius, tāquam per signum: supposito etiam quod nō fingunt Angeli entia rationis in huiusmodi obiectis naturalibus: cū enim anima separata manifestat Angelo suum conceptum, medio illo cognoscit obiectum talis cōceptus.

tanquam p̄r signum, & tamen si obiectum sit abiens non dicit conceptus relationem realem, neque rationis, quia eam non fingit Angelus: ergo datur exercitiū significādi, sine relatione reali, aut rationis. Nec valet dicere, quod tunc manet signum fundamētaliter, & per fundamentum exercet munus manifestandi aliud à se eū deficiencia, sed non munus signi: quia hoc fit, p̄r relationē substituti. Hoc enim erit questio de voce, nos enim rationem signi conformiter ad definitionem constituimus in ratione mediij representatiui, & ductiui in noticiam alterius cum deficiencia, & cetera dicimus se habere ex consequenti, & si hoc datur nobis, non amplius intendimus, sed dicimus relationem signi, vt substitui se habere, ex consequenti.

*Soluuuntur Argumenta.*

7 Arguat 1. ex testimonio D. Thom. 3. part. q. 63. art. 2. ad 3. vbi ait: *Quod signum importat relationē fundatam in aliquo.* Sed quia hoc est meum fundamentū vide dicta n. 5.

8 Arg. 2. Ex D. Th. in 4. dist. 3. q. 1. art. 1. vbi ait: *Quod baptismus in quantum est sacramentum, est in genere relationis.* Loquebatur autem de Sacramento, quatenus est in genere signi: ergo cum ratio generica sit primo, & essentialis, sequitur signum constitui per relationem.

Resp. Quod ibi est sermo de signo ad placitum, quod est relatio rationis transcendentalis, quæ maxime reducitur ad genus relationis

secundum esse. Et hoc modo potest responderi alteri testimonio D. Thom. quod quivis poterit expendere ex D. Thom. ibidem dist. 8. q. 1. art. 2. quæstione. 1. ad 1. vbi ait, quod sicut relationis dari potest relatio, nempe per accidens, quia pater sic potest esse filius: ita signi potest dari per accidens signū, & sic Sacramenta veteris legis poterant esse signa Sacramentorum nouæ legis.

Resp. Enim, vel quod hoc concedit gratis, quod signum cōstituitur relatione secundum esse, quia hoc dato optimè soluitur ex doctrina ibi tradita a D. Thom. Vel quod loquitur de relatione rationis reperto in signo ad placitum, quod reductiue spectat ad relationem rationis secundum esse, nec exemplū tenet in omnibus alioqui sicut, filius, & pater sunt relatiua mutua ita signum esset relatiuum mutuum, quod est falsum.

9 Arg. 3. Secundum D. Thom. 1. part. q. 13. artic. 7. ad 1. & 6. illud est nomē relatiuum, quod nec diffinitur, nec cognosci potest, nisi in ordine ad alterum, at qui signum nequit cognosci, aut diffiniri, nisi in ordine ad signatum: ergo est nomē relatiuum. ¶ Resp. illud esse relatiuum quod diffinitur ad alterum, tanquam ad purum terminū, non vero quod diffinitur ad alterū tanquam ad mēsurā, alioqui nomen potentis, & sciētis esset relatiuum, & nomē mediij appetibilis, signū autē diffinitur in ordine ad signatum.

tanquam ad mensuram, non vero  
tāquam ad purum terminum. Sed  
contra est, quod relativa non mu-  
tua non sunt ad aliud, tanquam ad  
purum terminum. ¶ Resp. ne-  
gando antec. ex dictis in Logica  
tract. de relat. dub. 7. sed hoc dato,  
dico omnia nomina, que significāt  
relativa, non mutua sō primo, sed  
ex consequenti significant relatio-  
nem, ut patet in hoc nomine scien-  
tia, & potentia, ac perinde hoc idē  
coninget in signo.

10 Arg. 4. Significare non est  
precisē representare alterū, hoc  
enim fit potentia, sed est substitui  
pro altero: at hoc dicit esse alte-  
rius sicut seruus est domini: ergo di-  
cit relationem. ¶ Resp. instan-  
do in medio appetibili, quod non  
precisē dicit appeti: hoc enim est  
ad appetitum, sed substitui loco al-  
terius: & tamen ratio mediij est ab-  
soluta cū relatione transcendentia-  
li. ¶ Dico ergo, quod significare  
est substitui loco alterius intelli-  
gibiliter cum connexionē ad intelle-  
ctum, & sic non precisē dicit esse al-  
terius: sed dicit intrinsecam intel-  
ligibilitatem transcendentē taliter or-  
dinatam ad signatum, sed non pu-  
rum respectum, quia hoc non habe-  
ret rationem mediij intelligibilis,  
ac perinde nec rationem signi. Ha-  
bet enim substitui, tāquam quid  
notius ac per consequens dicendo  
in recto cognoscibilitatem absolu-  
tam.

11 Arg. 5. (& potest esse repli-  
ca) signum respicit signatum ut

purum terminum: ergo est purē re-  
lativum. Prob. ant. nam & si signa-  
tum nullam exerceat causalitatē  
in signum, tamen per hoc precisē  
se, quod terminet proportionem  
signi ad se deficientem habet ratio-  
nem signati. ¶ Resp. quod si ea  
proportio esset precisē per modū  
termini, iam non esset signatum,  
quia id cum quo diceret proportio-  
nem non esset precognitum, sed  
simul cognitione: quamvis ergo sig-  
natum non dicat causalitatem phy-  
sicam in signum: nequit tamen nō  
dicere causalitatem formæ extrin-  
secæ ( sicut eam quam dicit obie-  
ctum ad potentiam ) quia signatū  
comparatur ad signum sicut obie-  
ctum ultimum ad obiectum me-  
dium.

12 Arg. 6. hoc nomen imago  
significat relationem secundum ef-  
fe: ergo in hoc nomen signū. Prob.  
conseq. nam imago imperfecta est  
signum. Ant. prob. ex Aug. 7. de Tri-  
nit. c. 1. ubi ait ; quid est absurdus,  
quam imaginem ad se dicit. ¶ Resp.  
neg. ant. nam imago ex consequē-  
ti dicit in creatis relationem: & Au-  
gust. loquitur in diuinis, ubi abstra-  
cto motu ab origine, quam dicit  
imago solum remanet relatio.

Dub. 4. An signum cōstruatur per  
grammā ad potentiam, vel ad sig-  
natum, & quomodo impo-  
ret respectum ad po-  
tentiam?

1 M Ira est in re non magni mo-  
menti varietas sententiarū.

Prima asserit, signum per accidens  
 coalescere ex ordine ad potentiam,  
 & ad signatum. Sic Conimbr. lib.  
 1. de interpret. cap. 1. q. 1. ar. 1. Lin-  
 ceus lib. 6. Dialect. tract. 1. cap. 2.  
 nu. 9. ¶ Secunda asserit, signum  
 vnica relatione respectu ad signum,  
 & ad potentiam sicut ad duos termi-  
 nos incoptos, sicut filius eandem ad  
 patrem, & matrem: sic plures ex no-  
 stris in manuscriptis. ¶ Sed ad  
 hanc sententiam reduci possunt di-  
 centes, quod licet per se dicat rela-  
 tionem ad signatum, tamen sicut  
 in diuisione est complementum vni-  
 tatis, ita ordo ad potentiam est co-  
 plementum relationis, quam dicit  
 signum ad signatum. Sic Huert. hic  
 c. 2. lib. 1. q. 1. ar. 3. Siue hoc comple-  
 mentum sit accidentale, vt tenent  
 S. Bonau. in 4. dist. 1. q. 2. & Cabre-  
 ra 3. p. q. 60. art. 1. disp. 1. §. 5. Siue  
 sit ratio tantum, seu terminus se-  
 cundarius: vt explicant RR. Ioan.  
 à S. Tho. disp. 22. Log. ar. 3. & RR.  
 Araujo 3. met. q. 2. art. 2. dub. 2. A-  
 lij, quo ratio generica tumitur in  
 signo ab ordine ad potentiam: ra-  
 tio vero differentialis ab ordine ad  
 signatum. Sed communior nostræ  
 Scholæ frequentius in scholis de-  
 sentata sententia asserit. Signum adæ-  
 quatè dicere ordinem ad signatum;  
 ad potentiam vero nec transcendē-  
 talem, nec predicamentalem ordi-  
 nem dicere, sed solum connate  
 potentiam vt cui sit representa-  
 tio illa media in ordine ad sig-  
 natum. Sic Ortiz tract.

2. Sum. confer. 1.

*Vnica Conclusio.*

2. Hæc vltima sententia vera  
 est. Prob. signum est in linea obie-  
 cti mediij intelligibilis: ergo adæ-  
 quatè dicit ordinem ad signatum,  
 ad quem ordinatur, tanquã mediũ  
 ad finem, & nullum dicit ordinem  
 ad potentiam. Prob. quia obiectũ  
 est mensura perfectiua potentię: at  
 mensura, & obiectum nullum di-  
 cit ordinem ad potentiam: vt pro-  
 bat D. Tho. 1. p. q. 13. art. 7. ergo sig-  
 num adæquatè dicit ordinem ad sig-  
 natum, & nullum dicit ordinem ad  
 potētiã. Nec valet dicere, quod  
 signa adiuuenta sunt, ob. indigen-  
 tiam potentię vt manducatur ad  
 signatum: ergo respicit illam pro  
 fine. ¶ Resp. respicere illum vt  
 finem effectum, & perfectibile nõ  
 vt finem, cuius gratia sit signum;  
 quia obiectum non habet potētiã  
 pro fine, sed è contra. Vel dicen-  
 dum, quod quia res nobiscum ad-  
 ducere non possumus vt imur sig-  
 nis pro rebus: potius ergo finis est  
 signatum, quod quia non adest pro  
 illo adducitur signum ad potētiã.  
 Ex his sequitur facillimè destructio  
 omnium aliarum sententiãrum: quod  
 quisquis attentè considerauerit fa-  
 cilè inueniet.

*Soluuntur argumenta.*

3. Arg. 1. Signum dicit ordinem  
 ad signatum, at signatum, vt potè  
 obiectum connectitur cum poten-  
 tiã: ergo signum secundo, vel  
 ex consequenti dicit ordinem ad  
 potentiam: nam quod dicit ordi-  
 nem

nem ad v. nuncium altero con-  
 xum, & consequenter ordinatur ad  
 illa, cum quo conecitur talis ter-  
 minus. ¶ Resp. Signatum conne-  
 citur potentia per modum ob-  
 iecti, & mensura eius, & signum di-  
 cere ordinem ad potentiam, qua-  
 si specificando secundario poten-  
 tiam, non vero vt subordinatum  
 potentia, quia hoc ipso, quod sig-  
 num est in linea obiecti mediij sub-  
 ordinati ad signatum, tanquam ad  
 obiectum vltimum: respicit pote-  
 tiam vt quid conaxum per modum  
 specificati, & sic respicit illam vt spe-  
 cificas eam propter si- atum, nec  
 amplius probat argumentum. Sed  
 contra est, quod signum perficit  
 potentiam, estque mensura obiec-  
 tiua, tanquam medium, & instrumen-  
 tum signati: at non est contra ra-  
 tionem causae instrumentalis: per-  
 fici ab effectu, & subordinari illi er-  
 go nec erit contra rationem signi  
 vt obiecti mediij subordinari pote-  
 tia. ¶ Resp. signum non esse in-  
 strumentum rigorosum agens per  
 virtutem derivatam a signato, quae  
 sit tota ratio agendi: nam signum  
 per propriam intelligibilitatem no-  
 tificat potentiam signatum: sed assi-  
 milari instrumento, quatenus ali-  
 qualiter subordinatur signato, ac  
 per consequens non subordinatur  
 potentiae: sed potius mensurat eam,  
 aliter in ordine ad signatum.

4 Arg. 2. secundum D. Tho. in  
 1. dist. 3. q. 1. art. 1. ad 3. amabile  
 dicit relationem realem ad aman-  
 tem: & tamen est obiectum eius: er-

go esto signum debeat esse obiectum  
 medium intelligens, dicit ordinem  
 realem ad intellectum. Ratio ergo  
 petita in signo a ratione obiecti,  
 non probat intentum. ¶ Resp.  
 ibi D. Tho. non loqui de obiecto a-  
 mabili secundum quod est obiec-  
 tum, sed secundum quod amabilia  
 amore amicitiae sunt correlativa,  
 & dicunt mutuam redamationem.

5 Arg. 3. Secundum D. Tho.  
 Quodl. 5. q. 5. art. 2. ad 2. verbum me-  
 tis, quod est signum formale obie-  
 cti, est instrumentum potentiae ad  
 cognoscendum, & hoc praestat, qua-  
 reus est medium cognitiois, sed  
 instrumentum subordinatur illi, a  
 quo sumitur: ergo aliquod signum  
 essentialiter subordinatur poten-  
 tia. ¶ Conf. 1. idem est constitui-  
 tum, & distinctum rei, at ordo  
 ad potentiam distinguit rationem  
 signi a ratione imaginis imperfec-  
 ta: vt infra dicitur: ergo constituit  
 signum. Secundo, conceptus quem  
 ego formo de Petro mihi est sig-  
 num formale; Angelo autem, si vel-  
 lit medio illo cognoscere eundem  
 Petrum, est signum instrumentale:  
 at non alia ratione, nisi quia est a  
 diuersis potentijs cognitus: ergo  
 ordo ad potentiam, & distin-  
 guit, & constituit rationem signi.

Resp. non esse verbum stricte in-  
 strumentum potentiae, sed metha-  
 phoricè, quia non virtute potentiae  
 representat: sed potius represen-  
 tando perficit, & specificat eam: sed  
 dici instrumentum, quatenus me-  
 dio illo percipit intellectus obie-  
 ctum.

Ad primam cōf. quod ratio signi non distinguitur à ratione imaginis ex ordine ad potentiā, sed quia vna ratio est in linea entis, alia in linea obiecti.

¶ Ad secundam, quod in illo verbo mentis dupl. v. illa ratio signi distinguitur, non per diuersum ordinē ad potentiā, sed per diuersum modum quo obiectum, seu signatum representat diuersis potentijs, quas illo diuerso modo diuersimode perficit, & specificat, vel quasi specificat illa diuersa ratio significandi.

6 Arg. 4. Signum est in linea intelligibili passiuā: at passiuum habet esse in ordine ad agens, estque illi imperfectius, & subordinatur illi: ergo signum dicit ordinem ad potentiā.

¶ Dices: esse in genere passiuo grammaticaliter tantum, non formaliter; nam sic potius specificat, & dat perfectionem potentiæ.

¶ Sed contra est, quod intelligibile existit, & redditur cognitum ad intra per intellectum: at à quo aliquid existit habet esse tanquam ab agente formaliter: ergo obiectum nedum grammaticaliter, sed etiam formaliter comparatur passiuæ ad intellectionem, & perficitur ab ea. Et in signo amplius apparet, quia antequam cognoscatur à potentia non habet exercitium representandi: ergo habet totū suū existere, & exercitium à potentia. Si dicas, quod existit à potentia ex

trinsece solum, & inde non sequi, quod signum dicat intrinsece ordinem ad potentiā. ¶ Contra est, quod etiam potentia extrinsece perficitur ab obiecto, tanquam à forma, & specificatio extrinsece: ergo si hoc sufficit, vt constituaue potentia per ordinem ad obiectū in genere causæ formalis, cur non sufficiet, vt signum, vel obiectum constituatur per ordinem ad potentiā, tanquam à quo existit in genere causæ effectiue. Cum inter Thomistas iste mutus ordo, non sit impossibilis.

7 Resp. quod signum redditur cognitum, & quasi existens, & habens exercitium, non à potentia secundum se, sed mediā specie, & sic potius a se existit quam à potentia, nec illi debet suam existentiam, seu exercitium nisi forte tanquam à conditione: at potentia habet suū esse ab obiecto tanquam à ratione formali intrinseca mediā specie, qua informatur, ac perinde semper est dispar ratio; siquidē intrinsece pendet, & perficitur ab obiecto potentia; at signum nec intrinsece perficitur à potentia, neque extrinsece exercet suam rationem ab illa nisi tanquam à conditione.

8 Arg. 5. signum ad placitum, vel constituitur impositione, vel forma rationis; at verumque essentialiter pendet ab intellectu, vt per se patet: ergo aliquod signum constituitur per dependentiam à potentia intellectiua.

Dices, pendere ab intellectu effectiue, & in esse entis, non formaliter, & in esse medi; intelligibilis. ¶ Contra est, quod signum ad placitum essentialiter differt à signo naturali in formali ratione significationis: at differentia in alio stare nequit, quam in eo, quod unum significat à natura; aliud verò ab intellectu: ergo formaliter dicitur signum ad placitum ordinem ad intellectum. ¶ Dices, quod differunt penes ordinem ad signatum naturalem, vel non naturalem, & ideo potentia à qua hoc habent esse, se habet materialiter, & per suppositiue. ¶ Sed contra; etiam si actio per se primo dicat ordinem ad terminum, quia tamen hoc habet ab agente, ex eo quod est tendentia agentis ad terminum, saltem de complemento eius ordo ad agens importatus, per *ly ab*; sed etiam signum ad placitum est ordo ad signatum à beneplacito intellectus gubernantis rem publicam: ergo nequit non dicere ordinem ad intellectum imponentis, saltem per modum complementi. ¶ Resp. vel non esse eandem rationem, quia actio est in linea entis, & sic potest dicere ordinem ad principium à quo est: at signum est formaliter in linea intelligibili, & solum materialiter in linea entis; & ideo solum de materiali dicitur ordinem ad impositorem, formaliter verò non. Vel dic, quod cum signum ad placitum sit artefactum quoddam dicitur ordinem ad imponentem media idea, seu con-

ceptu signati, ad quod exprimentum, & notificandum imponit signa; ac perinde non dicit ordinem ad imponentem, seu eius intellectum formaliter, sed materialiter, quatenus præexistit in eius intellectu conceptus signati, medio quo imponitur.

9. Ex his soluitur alia obiectio molesta; specieitas significat naturam, ut conceptam: ergo dicit ordinem ad intellectum concipiendum: ergo iam datur signum significans cum dependentia ab intellectu. ¶ Resp. quod sicut hoc nomen intellectus significat potentiam, ut res significata est & si pendet; non verò ut cognoscens in exercitio, sic specieitas significat naturam intellectam signate, & subordinatur intellectui; non verò ut in exercitio cognoscit intellectus naturam sic intellectam, media ista voce specieitas.

10. Arg. 6. Linea veri intelligibilis secundum D. Thom. q. 21. de verit. art. 1. & in 1. dist. 19. q. 3. et. 1. in hoc distinguitur à linea entis, quod hæc absoluta est in se, illa vero completur per ordinem ad intellectum: sed signum est in linea veri, & obiecti intelligibilis: ergo constitui debet, vel saltem compleri eius essentia per ordinem ad intellectum. ¶ Resp. D. Thom. loqui de constitutiuo lineæ vere, non quoad esse, sed quoad explicari, menturam enim explicamus per ordinem rationis ad menturabile: nam reuera constituitur linea veri, per eminentiam quandam men-

mensuræ, & specificatiui conno-  
tante intellectum ut quid a se perfe-  
ctibile.

*Dub. 3. An signum debeat esse notius,  
& imperfectiue signato?*

1 **D**E hoc agimus in presenti,  
ut melius innotescat ratio  
signi; nō enim sufficit aliud a se re-  
presentare, nisi hoc fiat cum ali-  
qua prænotione, & deficientia.

*Prima conclusio.*

2 Signum ut habeat rationē ta-  
lis, debet esse notius signato quoad  
nos. Sic D. Thom. in 4. dist. 1. q. 1.  
art. 1. questiūc. 1. ad 3. & questiūc.  
2. & q. 9. de verit. art. 4. ad 5. Et ra-  
tio est, quia signa sunt instituta, ut  
manuducatur intellectus in cog-  
nitionem ignoti; at si quoad nos  
non essent notiora signato, hoc nō  
præferrent, quin potius signatum  
manuduceret in cognitionem sig-  
ni: ergo. ¶ Dixi notiora quoad  
nos, & non dixi signa debere esse  
notiora secundum se: quia illa sunt  
media cognoscēdi a priori, & cum  
quodam supereminētia ad rem  
manifestatam: at signum est me-  
dium a posteriori, & deficientis, &  
ideo solū potest esse notius quoad  
nos.

*Soluuntur Argumenta.*

3 Sed contra arg. 1. conceptus  
lapidis est signum formale lapidis,  
& tamen est ignotior quoad nos:  
ergo. Prob. min. conceptus ille est  
spiritualis, lapis est sensibilis, at no-  
tiora sunt quoad nos sensibilia, quā

spiritualia: quia illa cognoscimus  
in se, & per propriam speciem; illa  
vero per speciem alienam, & con-  
notatiue ergo. ¶ Resp. quod il-  
le conceptus sub ea ratione qua est  
signum, & ratio manifestandi lapi-  
dem est notior illo quoad nos, &  
sic ut quo est quid materiale, & sen-  
sibile representatiue: esto ut quod,  
& in actu signato sit quid ignotius,  
& connotatiue cognoscibilis.

4 Arg. 2. esto Imperator ad sit  
præsens possumus illum cognosce-  
re per signum imaginis, & tamen  
notior est Imperator quoad nos,  
cum sit præsens: ergo signum non  
requiritur, quod sit notius quoad  
nos. ¶ Resp. quod & si Impera-  
tor absolute sit notior, tamen ut  
intellectus utitur signo, & non res-  
picit actu Imperatorem, notius est  
signum quoad nos.

*Secunda conclusio.*

3 Signum ut tale est ignobili-  
signato, non quidem in esse rei ( &  
si in signis naturalibus id contingat )  
sed in esse medi; intelligibilis  
( quod dixerim propter signa ali-  
qua ad placitum, benè namque po-  
test, quod est nobilius, imponi ad  
significandum ignobilius: sed ta-  
men formaliter, & in esse intelli-  
gibili hoc essentialiter competit  
signo, ut dicat deficientiam a signa-  
to; hoc intentum prosequitur Au-  
gust. libr. de Magistro. capit. 9. dum  
ait: *Iam ergo intelligas, volo, res, quæ  
significantur, pluris, quem signa esse  
gendēdas; quid quid enim propter aliud*

est, *vilius sit, necesse est, quam id, propter quod est.* Vbi rationem totam aperuit signum est intelligibilitas media, propter signatum representans; sed id quod est propter aliud comparatur ad illud vt medium ad finem; est ergo deficiens, & imperfectius illo cuius signum est. Etiam ostendit nostram conclusionem Dominicus Nanus in sua Pollianthea verb. *Signum*, dum ait: *Signum est quedam parua significatio, totius rei qualitates significans: vbi satis indicat de ratione signi esse diminutam insinuationem signati.* Et tandem M. Bañez libr. 1. dia. 7. capit. de nom. non minus eleganter, quam concise nostram conclusionem illustrat, dum inquit: *Evenim secundum Latinæ linguæ proprietatem ratio signi, & significandi imperfectam representationem in se habet respectu rei representatae. Nam si quis profecto expressè aliquam veritatem doceat ineptè dixerimus illam significasse, qui enim significat, non ex integro re presentē facit.*

*Soluantur Argumenta.*

6 Arg. 1. plura media sunt nobiliora fine: ergo ex quo signum comparatur, vt medium ad signatum, non sequitur esse ignobilius in linea intelligibili. Prob. ant. Incarnatio fuit medium nostræ Redemptionis, & custodia angelica est mediū nostræ salutis, & vnumquodque operans est propter suam operationem, ex Arist. 2. de cæl. text. 17. & tamen hæc omnia sunt perfectiora finibus, ad quos assumuntur vt media: ergo. ¶ Resp. posse optimè

illa omnia esse perfectiora, & esse media, quia solum respiciunt eos fines, vt effectus: at signum respicit finem præcisè, vt cuius gratia est, ac perinde bene inde colligitur esse imperfectius signato. ¶ Si infes: actus si fiat delectabiliter, est signum habitus, ex D. Thom. in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. & tamen est perfectior habitu, & finis eius, ex D. Thom. 1. 2. q. 51. art. 4. ad 3. & q. 71. artic. 3. ad 3. & q. 5. de pot. art. 5. ad 14. & q. 1. de verit. ar. 12. ad 5, ergo falsum est, quod id solum, quod comparatur ad aliud, vt ad finem cuius gratia, possit esse signum illius. ¶ Resp. quod actus quantum ad substantiam non est signum, sed ratio a priori demonstrandi potentiam: sed solum ratione modi delectabilitatis demonstrat habitum; ille autem modus imperfectior est habitu; & ideo potest esse signum illius. ¶ Pter quæ quod satis probabile est inter Thomistas, quod actus secundum quid tantum est perfectior habitu; simpliciter autem imperfectior, de quo nunc locus non est differendi.

*Dub. 6. An causa principalis, vt talis, possit esse signum sui effectus?*

1 Suppono contra Conimbriens. lib. 1. de interpret. cap. 1. q. 1. art. 2. quod causalitas causæ non est ratio significandi: quia causalitas est in linea entis, & significatio est in linea intelligibili, neque causa est signum a priori, sed medium a priori, non signum, nam pugnat ratio sig-

Et cū rationē a priori obiecti a sub-  
ant. num. 5. Sed dato, quod forma-  
litas causæ euni sit in linea entis nō  
sit ratio signi. Inquirimus an saltim  
eam fundet; sicut dato, quod ratio  
effectus euni sit in linea entis, & ra-  
tio imaginis imperfectæ euni sit  
in eadem linea, nec fit formaliter  
eadem euni ratione signi, quæ est  
in linea obiecti, tamen ratio effe-  
ctus, & imaginis imperfectæ fun-  
dant rationem signi, & sic verifica-  
tur, quod effectus est signū causæ,  
& imago imperfecta sui prothoty-  
pi; si etiam verificetur quod causa  
principalis sit signum sui effectus.

*Vnica conclusio.*

2. Dicendum, quod causa prin-  
cipalis vt talis, nec est ratio signi; ne-  
que eam fundat. Sic D. Thom. q.  
95. art. 5. vbi ait, quod nisi aliquid  
sit effectus immediatus alicuius,  
vel procedat ab eadem causa a quo  
aliud procedit nequit esse signum;  
sed clarius 3. part. quest. 62. artic. 1.  
ad 1. vbi ait: *Causa principalis, non  
proprie potest dici signum effectus, licet  
occulit, etiam si ipsa sit sensibilis, & ma-  
nifesta.* Ratio est, quia signum, &  
eius intelligibilitas dependet a sig-  
nato, vt dub. ant. dictum est; at cau-  
sa principalis vt talis, nec dicit de-  
pendentiam ab effecta, nec fundat  
intelligibilitatem dependentē, &  
diminutam; sed potius causa est ra-  
tio a priori demonstrandi effectum:  
ergo causa principalis, nec dicit,  
nec fundat rationem signi. Quod  
etiam ostenditur, quia secundum  
D. Thom. 1. 2. quest. 66. art. 3. ad 3.

& 2. 2. q. 48. art. 3. ad 2. & 1. part. q.  
4. a. 2. effectus habet esse in causa no-  
biliori modo, quam in se, sed causa  
fundat cognoscibilitatem effectus,  
quatenus habet esse illius, alias ra-  
tio signi est ignobilior signato: ergo  
causa principalis non fundat, nec  
habet rationem signi.

3. Si Dicas, quod iuxta D. Tho.  
1. ethic. lect. 12. causa corporea cor-  
ruptibilis agens media actione tra-  
senti respicit suū effectum vt fi-  
nem, quia sic consequitur conserva-  
tionem speciei.

Contra est, quod si respicit  
vt finem, iam sub ea ratione nō est  
causa effectus, sed effectus eius, &  
sic non mirum, quod sit signum fi-  
nis; sed tamen reuera respicit effe-  
ctum vt finem extrinsecum, leu vt  
finem effectum, ac perinde vt me-  
dium ad sui conservationem vt fi-  
nem cuius gratia, & sic nullo modo  
est signū effectus. Nec obest quod  
actio transiens vt talis habet pro fi-  
ne cuius gratia effectum, quia actio  
illa est accidēs, & est a potentia pro-  
xima accidentali tanquā ab instru-  
mento, & sic non mirum, quod sub  
ordinetur effectui vt fini, ceteram  
agens, quod est causa principalis so-  
lum respicit effectum, vt finē effe-  
ctum.

*Soluantur Argumenta.*

4. Arg. 1. ex D. Tho. in 4. dist. 13  
q. 1. art. 1. quæstionem. 1. ad 5. vbi ait:  
*Quandoque causa est manifesta quoad  
nos, vt potest cadens sub sensu, effectus au-  
tem occultus, vt si expectatur in futu-  
rum, & tunc nihil prohibet causam esse*

*signum effectus.* Et sic ait quest. 9. de pot. art. 4. ad 5. quod dispositiones celorum sunt signa euentuum futurorum. Et 1. p. q. 70. art. 2. ad 2. Idemque docet in 2. dist. 15. q. 1. artic. 2. ad 1. Sentit ergo si causa est sensibilis, & nobis manifesta; effectus autem occultus, est signum sui effectus.

5. Resp. Vel D. Thom. reuocasse sententiam per testimonium a nobis adductum, qui cum sit ex tertia parte, maiorem fidem facit eum sit ultimam voluntas auctoris; vel quod dispositiones celorum, de quibus ibi erat sermo, causant ratione motus, ad quem se habent instrumentaliter in genere causae effectiuae: reuera enim causa principalis est Angelus mouens. Vel, quod cum effectus illi occulti sunt contingentes, & impedibiles, non continentur in causa determinate, sed cum indifferentia; & ideo causa continet effectum cum deficientia, quantum ad esse determinatum, & sic antequam causa determinetur, effectus futurus est occultus, & indifferens; & ideo potest significari tantum per causam, quia nondum habet determinationem: at nos loquimur de causa ut determinata: quae sunt aptiores resolutiones, quam ea quam tradit Ortiz, quae (in peccata littera D. Thom.) non est ad rem.

6. Secundo arg. ad idem. Causa principalis aequiuoca est vere signum sui effectus: ergo. Prob. repraesentat aliud a se, cum effectus sit diuersae speciei: ergo est signum, a diffinitio


ne ad diffinitum. ¶ Dices, non re praesentare aliud a se cum deficientia. Contra est, quod hoc non ponitur in definitione signi: ergo vel diminuta est diffinitio, vel causa aequiuoca est vere signum. ¶ Resp. quod ut scite ait Magister Soto libr. 1. summul. cap. 2. not. 2. diffinitiones debent esse breuissimae, nec onerando sunt multis particulis, sed plura relinquenda sunt explicationi Magistrorum. ¶ Dico ergo quod causa aequiuoca, vel potest considerari secundum indifferentiam quam habet ad plures effectus, & sic diminute repraesentat esse cuiuslibet determinate, & sic potest esse signum, ut dictum est: sed sic non habet strictam rationem causae, cum sic a se non habeat determinate influere: vel potest considerari, ut determinate influat in suum effectum, & sic non est signum, sed ratio a priori manifestans effectum, sicut cum Deus per suam essentiam determinatam a decreto cognoscit effectus creatos, quos sublato decreto solum posset cognoscere coniecturaliter, & diminute in sua essentia: & ideo dicimus, quod tota ratio cognoscendi illos est decretum, quia Deo non debet concedi cognitio tantum coniecturalis, quae subest periculo falsitatis. Ideo enim Astrologi, saepe falluntur circa futuros euentus, quia de illis enuntiant per causas aequiuocas, non determinatas, praedictione tantum coniecturali.

7. Arg. 3. Causa principalis, ut talis, diffinitur per effectum: ergo

pendet ab illo in cognoscere: ergo potest esse signum illius, nam quod habet intelligibilitatem dependentem ab alio, manifestat illud per modum signi. ¶ Resp. quod causa principalis quoad nos tantum determinatur per effectum, & in obliquo, non quoad se, & per consequens non dicit intelligibilitatem dependentem ab effectu.

8 Arg. 4. Etiam si esse effectus perfectiori modo sit in causa absolute, quam in effectu; tamen in se, & extra causas, magis proprie habet esse effectus, quam in causa sua: sed ista deficientia sufficit vt verbum mentis habeat rationem signi, respectu sui obiecti, etiam si res inferiores nobis esse habeant in verbo mentis, quam in se; vt ait D. Th. cum August. quest. 4. de verit. ar. 1. arg. 1. & 2. ergo causa principalis, vt talis est signum effectus. ¶ Resp. quod esse effectus est in illo cum maiori proprietate, sed non cum minori dependentia; habet enim esse totaliter a sua causa effectus. At in verbo mentis habet esse res materialis cum maiori perfectione secundum quid, sed cum omnimoda dependentia ab obiecto a quo verbum nostrum causatur media specie, & a quo menturatur, & specificatur, & ideo non est idem.

nec currit eadem  
ratio.



*Dubium 7. An causa instrumentalis, vt talis, sit signum sui effectus?*

1 **C**onclusio est affirmatiua: non taliter, quod ratio causalis sit ratio formalis significandi; sed talis, quod fundet, quia ratio causalis instrumentalis est in linea entis: cum tamen ratio signi sit in linea intelligibili. Probatur ergo conclusio. Sic D. Tho. 3. p. q. 62. art. 1. ad 1. *Causa instrumentalis si sit manifesta, potest dici signum effectus occulti, eo quod non solum est causa, sed quodammodo effectus.*

2 Prob. ratione. Causa instrumentalis, vt talis, est effectus causalis principalis, a quo mouetur ad effectum tanquam ad aliquid excedens, & ad aliquid cui subordinatur instrumentum ex applicatione causalis principalis, at quod concurrat vt effectus, & cum subordinatione, non est vnde, non possit habere rationem signi: ergo causa instrumentalis, vt talis, fundat rationem signi respectu sui effectus. ¶ Confirmatur, agens principale ex intentione producat effectum, & quatenus in sua virtute prehabet illum, mouet, & applicat instrumentum, & medium quo consequitur effectum: ergo ipse effectus, vt prehabitus in causa, causat instrumentum: ergo instrumentum, nedum est effectus agens principalis, sed potius est effectus sui effectus: sed effectus, vt talis significat causam: ergo & causa instrumentalis significat suum effectum.

*Soluuntur argumenta.*

2. Arg. 1. Auctoritas D. Thom. & ratio in illa fundata, solum suadet, quod instrumentum possit assumi ut signum ad placitum, ad quod omnino materialiter se habet esse, vel non esse instrumentum, siquidem eque bene posset assumi, etiam si non esset causa instrumentalis: ergo ex illis verbis male assumitur fundamentum ad affirmandum, quod instrumentum habet rationem signi naturalis. Ant. est certum, quia ibi loquitur D. Thom. de Sacramentis, quæ sunt signa ad placitum: & consequenter videtur bona. Et augetur difficultas: si Sacramenta reuera causarent gratiam, & tamen non essent imposita ad illam significandam, non significarent nobis gratiam, quia medijs illis non esset unde veniremus in cognitionem gratiæ tanquam per signum naturale, alio qui infidelis videndo baptismum cognosceret gratiam baptismi: hoc est falsum: ergo. ¶ Resp. quod significatio hæc ad placitum reperita in Sacramentis, est practica, ac perinde simul imponit Sacramentum, & eleuat, facitque instrumentum, unde intelligi non potest esse instrumentum sine impositione, neque impositionem sine elevatione instrumentaria: quia Sacramentum non est instrumentum naturale; sed tantum ad placitum; & ideo una ratio comitatur aliam. Et D. Thom. argumentatur: de ratione instrumenti est esse signum: ergo instru-

mentum naturale erit signum naturale effectus, & instrumentum ad placitum, erit signum ad placitum: sed Sacramenta sunt instrumenta ad placitum, respectu gratiæ: ergo sunt signa ad placitum gratiæ. Ac perinde infidelis non cognoscit gratiam in baptizato, quia non cognoscit Sacramentum Baptismi esse instrumentum assumptum ad eam ad causandam gratiam.

3. Arg. 2. causa instrumentalis ut talis dat esse effectui: ergo ut sic non pendet, sed potius facit a se pendere effectum: ergo prout sic non est signum. Consequentia constat ex dictis, & antecedenti videtur certum. ¶ Dices, dare esse effectui non ex propria virtute, ac perinde pendere ab effectu ex cuius intentione mouetur ad agendum motione virtuosa, & dante illi virtutem.

Contra est, quod ut causa instrumentalis est prior effectu: ergo est independens ab illo.

Resp. quod iuxta D. Thom. q. 9. de verit. art. 1. ad 5. de ratione signi non est esse prius, vel posterius effectu; sed solum esse quid notius cum deficientia, & hoc habet instrumentum. Secundo, quod & si sit prior executione, non tamen intentione; & ideo non ideo non pendet ab effectu.

4. Arg. 2. humanitas Christi est instrumentum coniunctum diuinitatis ad causandam gratiam in alijs, & tamen est perfectior gratia, cum illa sit substantia; & hæc accidens: ergo datur instrumentum per-

fectus effectui: ergo causa instrumentalis ex genere suo, non est imperfectio effectui.

*Soluuntur argumenta.*

Resp. ex doctrina Thomistarū 1. 2. q. 112. art. 1. quod humanitas est perfectior gratia materialiter, & entitatiuè, non formaliter, & causalitiuè: quia gratia ex quo est supernaturalis excedit ratione ordinis in quo est supernaturalis omnē actiuitatem naturalem cuiuslibet naturæ substantialis creatæ, & creabilis.

Dub. 8. *Verum vnum si simile respectu alterius perfecte sibi simile possit esse signum?*

**C**onclusio est negatiua, communis inter Thomistas, & expressa in D. Tho. 3. p. q. 3. art. 1. ad 3. ibi: *Si enim secundum omnia esset similitudo, iam non esset signum.* Et prob. rat. tum, quia vnum simile representando aliud perfecte simile, non representat aliud à se: ergo non est signum eius. Prob. ant. quæ sunt perfecte similia, in eo quod talia sūt vnum, si quidem similitudo fundatur in vnitatem, de quo D. Tho. 1. p. q. 31. a. 1. per totum, & in 1. dist. 9. q. 1. ar. 1. & 1. Contragent. cap. 29. ergo verum est ant. siquidem in quo aliqua sunt vnum, non sunt aliud, & aliud. Tum etiam probatur: nam perfecte similia in eo in quo talia sunt non admittunt aliquam deficientiam in similitudine: ergo nec deficientiam: at signū essentialiter dicit representationē deficientem respectu signati: ergo vnum simile respectu perfecte similis, non est signum.

2. Arg. 1. Quando depingitur illa imago B. Dominici, quæ D. Virgo Dei paræptissima Ordinis nostri Tutelaræ è celo ad terras detulit apud Oppidū de Soriano in Calabria: hæc est perfecte similis alteri, si graphice sit effigiata ab illa, & adamusim exemplata, & deducta manu periti artificis: ergo est signū illius. Prob. consequ. nam sicut prima imago est signum B. Dominici in se, ita & hæc est signum illius, quæ est in Calabria cum pari modo ducat in notitiam eius. ¶ Resp. hanc secundam imaginem esse representationem adequatam primæ iconis, seu imaginis, & non esse signum illius si non deficit; sed vtramlibet fore signum B. Dominici nostri magni parentis in seipso. Dices: distinctio numerica sufficit vt imago de Soriano per modū ideæ in mente artificis existens causet alteram: ergo sufficit vt hæc secunda dependeat ab altera; & tamen manet perfecta similitudo: ergo sufficit vt sic signum alterius, siquidem ad hoc videtur sufficere, quod representet alteram cū dependentia ab illa. Secundo, sequitur, quod si detur exterior statua Cæsaris representans eius staturam, lineamenta, colores cū eadē perfectione, quæ habet in se Cæsar, non possit esse signum illius; at hoc falsum est, & contra communem consensum: ergo perfecta similitudo non obstat significationi.

Resp.

3. Resp. quod quando vna imago exercet rationem ideæ, vel propriam respectu alterius; ideo est, quia habet aliquam excellentiam, & dignitatem in se, nempe, quia descendit a cælo, vel ob aliam causam, quam tralumptum adæquationem non potest, & sic perfecta similitudo expressata potest esse signum archetypicæ imaginis, non quia est perfecte similis in lineamentis, sed quia ducit in cognitionem eius, quæ habet specialem dignitatem, quia descendit a cælo, & non adæquat hanc dignitatem. ¶ Ad conf. dico, quod cum statua illa representet illam staturam, colorem, & lineamenta Cæsaris, non præcise vt lineamenta sunt, sed vt erant in viuo Cæsare, & in hoc deficiat statua, quantum vis sit similis in coloribus, hac ratione potest esse signum Cæsaris, & non alias.

4. Conceptus reflexus est similis perfecte directo, & tamen est signum eius: ergo. ¶ Resp. negando maiorem, quia directus, in recto est similitudo lapidis v. gr. & tamen reflexus conceptus est similitudo directi in recto in esse entis, sed lapidis solum in obliquo; & adhuc in esse entis deficit, quia verum esse reale, quod habet directum in se, habet reflexus intentionaliter: at vnum perfecte simile, nedum in esse representatiuo est alterum, sed in esse entis, quia habet formam eiusdem rationis. (per quod fit obuiam pluribus replicis, quæ hinc tollent accumulari) & ideo non est signum.

5. Arg. In humanis filius est perfecte similis patri, cum generatio sit in perfectam similitudinem naturæ; & tamen potest esse signum patris, eo quod causatur ab illo: (in humanis enim secundum quod generatio creata distinguitur ad diuinam origo est causalitas, & dependentia) ergo cum ad significationem sufficiat representatio cum dependentia a representato, erit vera significatio in filio creato respectu patris. ¶ Resp. eatenus iohannem filiū posse esse signum patris, quatenus in aliquibus accidentibus corporeis non est perfecte illi similis; at in forma substantiali nequit esse representatio significativa, quia perfecte assimulantur. Nec obstat causalitas, & dependentia, quia hæc est quoad rationem materialem, & numericam, non autem quoad rationem specificam, in qua est perfecta similitudo; vt ait D. Tho. 1. p. q. 104. art. 1. & 3. Contrag. à cap. 65. 67. & 94. & q. 5. de pot. artic. 1. Alioquin pater causando filiū, causaret se si sub ratione specifica causaret filium.

Dub. 9. *Vtrum ratio imaginis imperfectæ, & ratio signi distinguantur?*

1. **V**T sit imago necessario requiritur deductio, & expressio illius, cuius est imago, ita vt procedat similis formaliter ex vi expressionis, vel in specie, vel in aliquo signo proprio speciei. Sic D. T.

1. p. q. 35. art. 1. & 2. & in contextibus: erit perfecta imago si deducatur similis in forma specifica: imperfecta vero si tantum eundat similis in signo speciei, vt statua Imperatoris, quæ assimilatur illi in colore, statura, & alijs accidentibus; de quo D. Tho. q. 93. 1. p. ab art. 2. & q. 10. de verit. art. 7. & nunc inquiritur de imagine imperfecta.

*Vnica conclusio.*

2. Imago imperfecta, signū quidem est rei imaginata; sed tamen ibi distinguitur ratio signi, & ratio imaginis. Ratio vnica est, quia ratio imaginis spectat ad lineam entis, non vero ad genus representati, aut ad genus intelligibile, vt late probant nostri Thomistæ cōtra. Vazq. 1. p. q. 27. art. 3. & q. 35. art. 4. vbi poterunt videri Salmanticenses: et ratio signi est in linea representatiua, & intelligibili: ergo & si verum sit, quod ratio signi consequatur ad rationem imaginis imperfectæ; sicut verum sequitur ad eas; tamē ratio signi, & ratio imaginis imperfectæ debent distingui, ad minus virtualiter.

*Soluantur Argumenta.*

3. Arg. 1. De ratione imaginis imperfectæ, est assimilari suo prototypo cum dependentia ab illo: ergo est de eius ratione ducere imperfecte in eius notitiam: sed hoc idem de formali ratione constitutiua signi: ergo ratio imaginis, & ratio signi non distinguuntur.

Dices, quod etsi talis imago ha-

beat assimilari imperfecte prototypo, tamen ex consequenti habet ducere in cognitionem eius; ac per inde non formaliter, sed ex consequenti habet rationem signi.

Cōtra est, quod imago artificialis, & imperfecta, non fit ea intentione vt sit, sed precise vt representatiua sit: ergo de ratione talis imaginis est esse in linea veri, & intelligibilis: nam vt dixi dub. 2. huius disput. in hoc cognoscetur, an aliquid sit primario in linea entis, vel in esse representatiuo, si fiat vt sit, vel si non fiat primo, & per se vt sit, sed sit vt representet: ergo si hoc habet imago imperfecta; primario est in linea veri, & intelligibilis imperfecti: ergo in linea signi.

Resp. quod imagines artificiosa fiunt ex intentione, quod representent, non ex intentione, & fine operis, & ex fine intrinseco; sic namque ad similitudinem, quæ est in linea entis terminatur productio; sed ex fine extrinseco operantis, quod non obstat vt ratio imaginis, & signi distinguantur virtualiter in nostro casu imaginis imperfectæ.

4. Arg. 2. in nostro conceptu ratio imaginis imperfectæ, & ratio signi non distinguuntur cū ibi ratio imaginis sit intentionalis: ergo nec in imagine artificiali, aut naturali debent distingui. Prob. consequ. quia conuenit vniocè in ratione imaginis. ¶ Si dicas, etiam ibi distingui, quia exercet rationem imaginis, quatenus terminat dictionem

nem, & rationem signi; quatenus terminat contemplationem.

Contra est, quod dictio, & contemplatio non distinguuntur virtualiter in nostro intellectu; ergo neque termini debent distingui virtualiter: ergo ratio imaginis, & signi ibi non distinguuntur virtualiter. Tum, quia non procedit verbum ab obiecto in esse entis, sed intentionaliter, & media specie intelligibili: ergo non est imago entitativa; sed representativa.

3. Resp. ad primam replicam: vel neg. aut. vel eo dato, quod ea, quae non distinguuntur virtualiter respectu dictionis, & contemplationis possunt distingui virtualiter in ordine ad alias rationes, seu connotata, nempe ad suum esse; & ad signatum. Ad 2. quod quavis verbum procedat ab obiecto media specie intelligibili, non procedit tamen formaliter in esse representativo, nisi ex consequenti, quia obiectum quatenus mittit speciem non exercet munus obiecti, sed munus cause, ut plures aiunt. Sed melius est dare, quod in verbo mentis ratio imaginis, & signi non distinguuntur virtualiter, cum tamen distinguantur in alijs imaginibus imperfectis, naturalibus, vel artificialibus: quia ibi est imago intentionalis; hic au-

tem physica, & entitativa.



Dub. 10. An signum efficiat cognitionem sui in quantum est signum?

1. Istota reducitur ad signum naturale instrumentale, supposito, quod non constituitur relatione secundum esse: nam si daretur hac constitui cum relatio non sit forma activa, inepta esset praesens disquisitio; sicut etiam foret designatio ad placitum, siue extrinseca denominationatione, siue forma rationis constitutur, quia nihil horum est forma activa; idem dico de signo formali ut tale; hoc enim terminus est cognitionis, non principium, ac perinde, nec potest significare efficiendo. Nec disquiritur, an signum efficiat signatum, sicut contingit in Sacramento, quae sunt signa ad placitum, & significando efficiunt (ut plures docent) sed de signo loquimur speculativo, & controversia versatur in effectione cognitionis signati. Nec dissensio est, an signum instrumentale efficiat, quatenus mittit speciem impressam sui. Tum, quia non est adeo compertum, an huiusmodi species efficiat. Tum, quia eiusmodi immissio specierum, aut per accidens se habet ad formalem significationem, de qua loquimur, aut saltem praesuppositivè.

Prima Conclusio.

2. Signum quatenus significat formaliter non efficit cognitionem sui, aut signati. Sic communiter Thomista. Sic M. Soto lib. 1. Sum. c. 2. Huert. Ioan. a S. Th. Ortiz, M.

Ioan.

Ioan. Mart. vbi Soto q. 2. num. 14. Et est D. Thom. q. 11. de verit. art. 1. in corp. & peculiariter ad 2. vbi ait: *Cognitio rerum in nobis non efficitur cognitione signorum* (sed per cognitionem principiorum) *cognitio enim principiorum facit in nobis scientiam, non cognitio signorum*. Sentit ergo nedum signa non esse actiua; sed neque cognitionē ipsam signorum efficere in nobis cognitionem signati.

3. Prob. signum vt tale est in linea obiecti terminatiui; vt infra probabitur cum de his obiectis sermo fit, ita vt immisio specierum antecedenter se habeat, at obiectum vt tale non efficit, sed præcisè terminat: terminus autem nō efficit, vt etiam ostendit Caiet. 1. p. q. 27. art. 1. §. *ad cuius euidenciam*: ergo si signum est formaliter obiectū mediū, erit terminus non vltimus cognitionis: ergo neque efficit cognitionem sui, neque signati. Prob. cōseq. nam sui cognitionē terminat, sed idem non est principium; & terminus suæ actionis: ergo sui cognitionem non efficit; at respectu cognitionis signati est etiam terminus non vltimus: ergo non efficit alioqui non cōcurreret in linea obiecti terminatiui; sed in linea principij determinat: ergo ad cognitionē signati per modū causæ formalis extrinsecè; nō autē per modū principij efficientis. ¶ Si dicas, nō esse absurdū, quod fumus terminādo cognitionē sui, moueat ad cognitionē ignis, & mouendo efficiat cū nō sit

cōtra rationē obiecti motiui efficere. ¶ Cōtra est, quod fumus, v. gr. non aliter posset efficere cognitionē fumi; nisi vel mediātē quatenus ex vi terminandi cognitionē suam mitteret in intellectum speciem fumi, mediātē qua intellectus exiret in cognitionem fumi, vel in mediātē quatenus fumus ipse vltus esset intra intellectum. Sed neutro modo potest: ergo. Prob. quia fumus seipso non potest causare speciem ignis; sed viso fumo determinatur intellectus vt vtatur specie ignis, quā habet in memoria, & recordeatur ignis. Nec immediātē potest efficere talē cognitionē, quia fumus est ad extra, & non intra intellectum; at principium immediātē effectiuum cognitionis, quæ est actus vitalis debet esse intra.

Et dato, quod fumus ex vi terminationis cognitionis sui immitteret in intellectum cognitionem ignis, non inde sequeretur, quod efficieret quatenus significat; sed hoc faceret sub alia rationē: quia signū exercet significationem, quatenus repræsentat notitiā aliud: at hæc representatio fit terminando notitiā, & præsentando illi obiectum, alioqui species significaret si sufficeret representatio in actu primo antecedēs notitiā: ergo nulla ratione saluatur, quod signum efficiat, quatenus significat. ¶ Dices, fumum saltem medio conceptu sui efficere cognitionem ignis. Cōtra est; tum, quod verbum mentale nō efficit, cum etiam sit terminus;

tum, quia illud verbum fumi fumū significat, & non ignem: ergo si efficit (quod nego) non est inquantū lignum, sed sub illa ratione materialiter, & concomitanter se habente. Nec saluatur, quod signum instrumentale efficiat: sed ad summū, quod formale, quod satis apparet esse impossibile.

*soluuntur argumenta.*

4 Arg. 1. pro sent. opposita, quam tuentur Conimbric. 1. de interpret. c. 2. q. 1. ar. 2. Ortiz trac. 2. de sign. co. f. 16. vbi vtrumque defendit, & alij. Ex D. Th. 3. p. q. 64. art. 4. ad 1. vbi vim efficaciam Sacramentorum comparat energie vocis, quæ mouet audientem; sed illa energia mouet representādo, ita vt quanto viuidius representatur per vocem, & gestum, tanto efficacius moueat: ergo sicut Sacramenta inquantū talia vere efficiunt; sic signa vocalia inquantū significant efficiunt. ¶ Conf. 1. ex opusc. 16. vbi ait D. Tho. quod actio speculi, quæ est representatio non potest attribui homini: ergo speculū vt representat, & significat agit, & efficit. Secundo ex eodem D. Th. q. 11. de verit. artic. 1. vbi ait, quod verba Doctoris propinquius se habent ad causandam scientiā in discipulo, quam signa sensibilia extra animā existentia: ergo sentit, quod magis, vel minus proximè, tam signa verbalia magistri, quā signa ad extra sensibilia reuera efficiunt, & causant noticiam scientificam. Denique in 4. dist. 1. q. 1. artic. 1. que-

siue. 1. ad 5. ait, quod demonstratio, quia procedit à signo communi. Sed à quo procedit demonstratio, est causa conclusionis: procedit enim ex causis cōclusionis, siue in edendo, siue in cognoscendo: ergo signum commune efficit.

5 Resp. quod energia non consistit in ipsa representatione, sed in acrimonia quadam antecedenti deriuata ab imaginatione, quæ quasi subsernitur representationi vocis, & gestus, & actionis: quod patet, quia eadem verba eodem gestu, & actione prolata vnū mouent, alterum non, & ab vno excitant, ab alio non; vnde Hieron. dixit in prologo Galeato. latētis energie, quid sepius latere in viua voce energia autem efficaciam sonat iuxta Ambros. Calepinum: ergo illa efficaciam, quæ latet in voce, & representatione, quæ patula est, & nō latet, distinctum quid est ab ipsa representatione, cum idem latere, & patere non possit, cuius energie, seu efficacie rationē in Demotene repertam, sic descripsit Valer. lib. 8. (cuius etiam meminuit ibi Hieron.) vbi ait: *Aeschinem eius aduersarium ardorem dicendi suscepisse expertum acerrimum vigorem oculorum, terribile vultus pondus accommodatum singulis verbis sonum vocis, efficacissimos corporis motus.* Non ergo representatio ipsa vocis energia, sed ab ipsa imaginatione in prolatione, voce, gestu, motu, & statu corporis imbibita efficacia.

Ad 1. conf. quod illa non est ve-

ra actio, sed metaphorica, & est representatiua, non formaliter, sed causaliter, quatenus ex refractione specierum causatur imago representatiua hominis. De quo D. Th. 3. Contrag. c. 10. & 3. p. q. 76. ar. 3. & in 4. dist. 10. q. 1. ar. 3. quest. 5. & dist. 44. q. 2. ar. 1. quest. 4. ad 4.

Ad 2. quod nec verba, nec signa sensibilia causant remotè, aut propinque in quantum significant; sed antecedenter in quantum emittunt speciem sui in animum audientis, aut videntis. ¶ Ad 3. quod demonstratio, quia procedit à signo obiectiue cognitio, non tamen ab illo effectiue influente, quia demonstratio, ut suo loco dixi, non procedit à causis obiectiue efficientibus, sed à cognitione causarum formalium rei.

6 Arg. 2. signum instrumentale determinat intellectum, ut sit principium determinatum cognitionis signati: ergo habet rationem principij effectiui. Prob. cōseq. quod determinat principium adæquatam per modum formæ agit, seu est ratio agendi: ergo si signum determinat intellectum ad cognitionem signati, erit ratio agendi, saltem ut quo. Cōfirmatur, & si præmissæ formales in ordine ad obiectiuas sint actio, & cognitio, quia tamè determinat intellectum ad conclusionis cognitionem, concurrunt effectiue ad cognitionem conclusionis, sed etiam signum ut cognitum determinat intellectum ad cognitionem signati: ergo concurrunt effectiue ad cognitionem signati. ¶ Resp.

quod id quod sic determinat intrinsecè, potest concurrere effectiue cū principio, quod determinat: si tamen solum determinet extrinsecè, & per modum termini, nō potest efficere: at præmissæ formales determinant per modum formæ, aut quasi formæ intrinsecè; & ideo ex argumento ad summum probatur, quod cognitio signi possit efficere cognitionem signati, non vero quod ipsum signum, esto eius species impressa, & cognitio possit efficere, ut dictum est. ¶ Si contra istes, quod secundum D. Tho. & Caiet. 1. p. q. 56. ar. 1. de ratione obiecti actionis immanentis est efficere cognitionem, quam specificat: ergo cum signum sit obiectum non erit contra rationem efficere. Tum etiam, signum excitat ad cognitionem signati: sed hæc excitatio intelligi nequit, nisi moueat efficiendo: ergo. ¶ Resp. quod obiectum efficit, quatenus motuum, non in quantum terminatiuum, & quod signum est in linea obiecti terminatiui, non ultimi; & ideo non sufficit: vnde illa excitatio formalis quædā determinatio intellectus est per modum formæ extrinsecæ, seu obiecti terminatiui nō ultimi; & ideo signum, ut tale, non efficit, cuius oppositum magis est in intelligibile.

7 Arg 3. ex diffinitione signi instrumentalis tradita ab August. & à M. Soto; dicitur enim de illo, quod facit in alterius cognitionem venire ex vi sua significationis: ergo effi-

circognitionem signati. ¶ Resp. quod facit venire in alterius cognitionem obiectiue, non autem obiectiue, sicut Arist. dixit, quod lux facit colores in actu, & intelligitur hoc facere obiectiue, non autem effectiue; de quo D. Th. 1. p. q. 67 ar. 3. ad 3. & q. 79 ar. 3. ad 2. & Quodl. 7. q. 2. art. 1. sic etiam dicitur, quod bonum facit diffusionem sui, scilicet obiectiue; de quo D. Th. q. 21. de verit. art. 1. ad 4.

8 Arg. Sacramenta noue, & veteris legis conueniunt vniuocè, & solum differunt per res causare, aut non causare: ergo efficere est vna ex differentiis diuidentibus signum: ergo datur significare effectiue. ¶ Resp. quod Sacramenta veteris, & noue legis, differunt quidem in ratione instrumenti physici, aut moralis, non autem in ratione signi, quia signi non est causare. V. de D. T. 3. p. q. 62. ar. 2. ait, quod si Sacramenta noue legis non causant physicè gratiam, non transcendunt rationem signi, vt innuat, quod ratio causæ, & signi distinguitur; de quo etiam nouissime scribit N. M. Fr. Gaspar Ruiz 3. p. q. 60. ar. 1. dubio 1. conc. 7. & dub. 2. per totum.

*Secunda Conclusio.*

8 Hæc propositio signum efficit, non minus est accidentalis, quæ hæc album currit. Prob. non minus per accidens se habet ad signum instrumentale immittere speciem sui in intellectum, media qua posset efficere (& non alias) cognitionem signati, quæ ad albedinè, & disgregati-

nè vitæ, curius albi: ergo non minus accidentalis est vna, quæ altera propositio. Prob. nã si fumus cognosceretur per speciem infusam, & quæ benè duceret in cognitionem ignis, quæ si speciem immisisset, at quia albedo sine cursu & quæ benè disgregat illa propositio *album currit* est accidentalis: ergo & ista.

*Soluantur argumenta.*

9 In contra arg. hæc propositio, *Sacramentum nouæ legis efficit gratiam* est per se saltim in 2. modo, vt tuctur Ruiz citatus ibi dub. 2. ergo & ista, *signum efficit*; nam Sacramenta sunt signa. Tū, quia non minus vox significatiua habet efficere speciem sui, quæ sacramenta causare gratiam: ergo non minus est per se, quod signum vocale efficit, quam quod noua sacramenta causant gratiam. ¶ Resp. quod sacramenta duo habent, & esse signa, & esse instrumenta physica. Ratione primi per se causant gratiam, secus ratione secundæ: nã practica significatio stabat in illis, quæ erant veteris legis sacramenta, & tamen non causabant, & nunc ad rationem signi per accidens est virtus physica causatiua gratiæ reperta in nostris Sacramentis. Ad illud de voce respondeo, non per se habere eam vocem immittere speciem: nam & quæ benè eam immitteret, & si non esset imposita ad significandum, sed hoc per acci-

dens præsuppositi-  
uè illi conue-  
nit.



## DISPUTATIO II.

De diuisione signi in naturale, & ad placitum.

Dub. 1. An huiusmodi diuisio sit uniuoca, nec ne?

**D**iuisio signi, in naturale, & ad placitū celeberrima semper fuit, eius meminit Arist. 1. perhier. c. 1. Aug. lib. 2. de doct. Christ. cap. 1. Mag. in 1. dist. 1. & vniuersi Dialectici cū suo Antesignano Petro Hisp. lib. 1. sum. cap. 1. Sed quia resolutio dubij propositi depēdet ex diuerso modo, quo diuersi cōstituant signum naturale, & ad placitum, quid in vnaquaque sentētia tenendum sit, breuiter explicabo.

*Prima Conclusio.*

2 In hypothesis, quod tam signum naturale, quam ad placitum constituantur forma rationis, hæc diuisio sumpta pro abstractis, est uniuoca; in concreto autem, seu ratione fundamenti est analogæ.

Prima pars prob. quia ratio rationis ad signatū formaliter sumpta vtrobique est eiusdem generis.

¶ 2. Pars constat, quia fundamenta sunt inæqualia, nempe, quod ex natura sua substernitur, aut solū ex beneplacito, vt sit medium ductivum in notitiam alterius: ergo ex hoc capite analogæ est diuisio; sed sicut albū, si diuidatur in lac, niuē, & calcem, est accidētis in subiecta: sit hæc diuisio significationis in naturalem, & ad placitum debet esse

accidētis in subiecta analogicæ participantia rationem formalis significationis.

*Secunda Conclusio.*

3 In Hypothesi, quod signū naturale constituitur relatione reali secundum esse, & ad placitum relatione rationis secundū esse, certius est hanc distinctionem proformali esse analogā, quia certius est enti reali, & rationis nihil dari uniuocū in linea entis; cū autē in hac hypothesis cōstitutiuū formale significationis, pertineat ad lineā entis; sit consequens, quod cū in ea linea, & serie nequeat huiusmodi cōstitutiuæ, realis scilicet, & rationis relatio signi vtriusque constitutiuæ conuenire uniuoce.

Nec valet dicere, quod saltem uniuocè conuenient quatenus in esse representatiuo, ducunt in signatum: nam in huiusmodi hypothesis cōstitutio signi non est in linea obiecti formaliter; sed in linea entis: ergo si in linea entis non conueniūt formaliter uniuocè signū naturale, & ad placitū, parum interest, quod in alia linea possint conuenire, cū hæc diuisio signi sit essentialis, & secundum rationem constitutiuam.

4 Nec obstat, quod scibile uniuoce diuiditur in ens reale, & rationis: ergo & signum sumptum proformali, scilicet relatione reali, vel rationis. Quia signum in illa hypothesis est in linea entis, & cum enti reali, & rationis nil detur uniuocū, ista diuisio necessario est analogæ: et diuisio scibilis est diuisio obiecti,

ti, & in linea obiectiua, potest dari ratio vniuoca enti reali, & rationis enti finito, & infinito, vt patet in metaphysica, & nos diximus agentes de primatu Logicæ in acquisitione.

5. Nec obstat 2. quod D. Tho. 3. part. q. 60. ar. 6. ad 2. docet, quod ex significatione, & verbis fit vnū per se: ergo ex relatione reali, & rationis significatiua, etiam fiet vnū per se in ratione communi. Quia ibi non loquitur D. Thom. de vnitae prædicationis, sed de vnitae artefacti concreti cuiusdam accidentalis resultante in Sacramento, ex rebus, & verbis, & ex verbis, & significatione ad placitum constituta ex relatione rationis.

*Tertia Conclusio.*

6. In hypothesi, quod signum ad placitum constituitur impositione, seu denominatione tantum extrinseca, & signū naturale per aliquid intrinsecum (siue sit ordo realis, siue rationis, seu sit ordo prædicamentalis, seu transcendentalis) dicendū est, hanc diuisionem pro formali esse analogā quasi attributionis, quia in vno ex membris diuidentibus ratio diuisi est intrinsecè, in alio est extrinsecè, sicut cum sanum diuiditur in animal, & vrinam. Et in hac hypothesi constitutio signi etiam est in linea entis, & non in linea obiecti, quia extrinseca denominatio, seu impositio in linea obiecti cognoscibilis iam est forma rationis intrinseca, quia illa extrinseca denominatio entitative est non ens, &

prima diuisio entis, est in ens, & non ens, & non ens cognosci nequit, nisi ad modum entis. non stat ergo dicere, quod signum ad placitum constituitur per denominationem extrinsecā, & simul dicere, quod eius constitutum est in linea obiecti, & intelligibilis; cū illa negatio entis, seu extrinseca denominatio intelligibilis non sit, nisi quatenus induit rationē entis rationis intrinseci.

*Quarta Conclusio.*

7. In hypothesi, quod signum naturale constituitur ordine transcendentali reali ad signatum, & signū ad placitum ordine rationis secundum esse, certo certius est hanc diuisionem esse analogam: siquidem certissimum est, quod nisi duobus extremis nihil datur vniuocū, maxime cum hoc ipso, quod signum ad placitum constituitur relatione secundū esse (etsi illa sit rationis) eius constitutum, non spectat ad lineam obiecti, sed ad lineam entis.

*Quinta Conclusio.*

8. In hypothesi, quod signū naturale constituitur ordine transcendentali reali ad signatum, & signum ad placitum ordine transcendentali rationis, vtrumque signum habet constitutum in linea obiecti, & sic diuisio formaliter est vniuoca, etsi materialiter sit analogā; sicut diuisio scibilis in Logicum, & Physicū, & Mathematicum; quod constat, nā quæ sunt analogā in genere entis possunt vniuocari in genere artificiali, vt patet in clauī ferrea, aurea,

rea, & argentea. Et quæ in genere entis sunt analogæ, possunt uniuocari in genere scibilis, vt patet in exemplo posito, quia æquè benè saluatur forma, & finis in vna materia, ac in alia, sed quantum ad notitiam rei significatæ: quæ benè in ratione obiecti mediij ducimur per signum naturale, ac per signum ad placitum: ergo. Prob. min. quia res geste in aliquo bello æquè benè noscuntur; imò & melius per voces, & scripta, quæ sunt signa ad placitum, ac per tabellas graphice picta; imò scriptis multo melius percipimus, ducim hortamenta, fines occultos, rerum casus, & euentus: ergo.

*Soluntur Argumenta.*

9 Arg. 1. contra hanc 5. concl. In hac hypothese constitutum signi ad placitum, est ratio mediij secundum quid ductiui, & tamen in signo naturali est simpliciter talis: ergo diuisio est analogæ. Prob. mai. quia in signo ad placitum ratio mediij est aliquid rationis fabricatum ab intellectu ad similitudinem signi naturalis: ergo est secundum quid. ¶ Resp. quod illa inæqualitas est in esse entis, non in esse obiecti mediij in ordine ad signatum: sicut dicitur de obiecto Logicæ, quod in esse entis habet dependentiam ab obiectis aliarum scientiarum, sed non in esse scibilis, & obiecti; at hoc ipso, quod signum ad placitum constituitur relatione rationis transcendentali, eius formale constitutum, non attenditur per id, quod habet in

linea entis, sed solum per id quod habet in linea obiectiui: habet se ergo de materiali illa inimitabilitas, de formali autem, & quantum ad exercitium mediij ductiui omnimoda est æqualitas.

10 Arg. 2. & est replica. Secundum D. Th. 1. p. q. 30. art. 1. & q. 4. de verit. art. 1. ad 7. significatio vocis, quæ est ad placitum, deriuatur à significatione, quæ est in conceptu, & est naturalis in illo, in quo etiam per prius inuenitur; sed vbi ratio diuisi per prius est in vno membro, quam in alio, diuisio est analogæ: ergo hæc diuisio significationis est analogæ. ¶ Responderur. Dari analogiam si illa prioritas proueniat ex ratione formali, non autem si ex ratione materiali; tunc enim solum est analogia phisica, non logica; vnde quia ratio enuntian-di prius inuenitur in affirmatione, quam in negatione, non ex ratione formali; sed ex materiali; Ideo ait D. Thom. 1. per hiermen. lect. 8. quod diuisio propositionis in affirmatiuam, & negatiuam, est uniuocæ logicè, & tantum phisicè analogæ. At hæc inæqualitas, prioritas, & dependentia verbi vocalis à mentali, est non in formali ratione significandi, & in genere causa: formalis, sed in esse entis, in genere causa: efficiētis, & finalis, vt ait D. Th. eadem q. 4. de ver. art. 1. ergo ex inde non inferitur, quod hæc diuisio sit analogæ logicè, sed ad summum phisicè, quia solum est prioritas, & dependentia in linea entis, non ve

in linea obiecti. ¶ Sed contra, linea obiecti intelligibilis consequitur ad lineam entis, estque non minus transcendens quam ens: sed signum naturale, & ad placitum ob transcendentiam (quæ sufficit causare analogiã, vt suo loco dixi) analogantur in linea entis: ergo etiam debent analogari in linea signi, seu obiecti mediij intelligibilis.

¶ Resp. ex dictis sup. disp. 1. tract. 1. dub. 2. quod intelligibilitas absoluta, quæ est ad se, & absoluta, & consequitur ad ens, & transcendit sicut illud; at ea quæ est relata non adequatur cum ente, neque transcendit: cū ergo intelligibilitas mediij ductiui, vt sonat nomen mediij, nō sit ad se, aut absoluta, stante analogia in linea entis inter signum naturale, & ad placitum, saluatur vniuersalis in linea signi, & mediij ductiui, obiectiui, & intelligibilis.

*Dub. 2. An signum naturale constituatur respectu transcendentali, an prædicamentali, an reali, an rationis, an autem abstrahat?*

1. **Q**uod signum vt sic non constituitur ordine prædicamentali, sed solum transcendentali, statuiamus disp. ant. dub. 3. ac perinde cum signū naturale per se participet rationem cōmunem signi vt sic, ex dictis ibi satis constat, signum naturali ordine transcendentali ad signatum debere constitui, nec specialis indagatio opus est: ideo que solum est sedulo inquirendum nunc, an iste ordo transcendentalis,

quo constituitur signum naturale sit determinatè realis, an rationis, an autem permissiue se habeat constitutio signi naturalis ad vtrūque; & nomine respectus realis intelligo illū, qui non est fictus, vt saluetur ille quem dicit ens rationis ad intellectum, à quo tanquam a vera causa habet totum esse.

*Vnica conclusio.*

2. Signū naturale determinatè constituitur relatione nō ficta. Sic Ortiz tract. 2. de signis conf. 4. & prob. ex dictis toto hoc tract. specialiter disp. 1. dub. 3. Ratio est, quia esse fictū, & esse ex natura alicuius omnino implicat: at qui omne signū naturale, secundū quod distinguitur à signo ad placitū, est illud, quod ab intrinseco, & ex natura sua representat: ergo implicat, quod nō constituitur determinatè, per ordinē verū, & non fictū ad signatū, ac perinde sicut repugnat in dictis, quod signum naturale permissiue sit nō naturale, etiã repugnat, quod in sua cōstitutione permitat ordinē fictū.

*Soluentur argumenta.*

3. In oppositū pugnant M.M. I. u. na, & Pereda asserentes, omne signū naturale determinatè constitui ordine rationis ad signatū, & R.R. M.M. Arauj. 3. meth. q. 2. ar. 2. dub. 1. append. & Ioann. à S. Tho. q. 21. Log. art. 2. & Huert. q. 1. de sign. asserentes, quod saltem permittunt constitui per formam rationis.

Et arg. 1. ex D. Tho. q. 9. de verit. art. 4. ad 5. vbi ait: *De ratione signi saltem duo esse præcognita à nobis*

bi: et ergo de ratione constitutiva eius est esse cognitum, at cuius esse consistit in cognosci, seu apprehendi eas rationis est: ergo constitutivum cuiuslibet signi, etiam naturalis consistit in aliquo rationis. ¶ Resp. ibi non dicitur, quod essentia signi sit cognosci; sed esse præcognitum, sumendo actum secundum pro primo, ut ostendat signum esse in linea obiecti mediæ; non ita ut totum esse eius consistat in exercitio, sicut ens rationis, imo ut sæpè monui ex M. Soto sicut verba in definitione, non dicunt actum, sed aptitudinem; sic neque cum ratio alicuius explicatus, actus ipse dicit aptitudinem. ¶ Si contra instes, D. T. ibi docuisse rationem signi non consistere in eo quod aliquid sit prius, vel posterius, sed in eo, quod sit præcognitum: at sic esse præcognitum independenter ab eo, quod sit prius, vel posterius in natura à solo intellectu pendet, & quod sic pendet, ens rationis est: sentit ergo ibi D. Tho. rationem constitutivam signi, ut sic esse aliquid rationis determinate. ¶ Resp. quod aliquid potest esse præcognoscibile à nobis independenter ab eo, quod sit prius, vel posterius in natura, per hoc, quod sit magis proportionatum cum nostro intellectu, & sic intelligendus est D. Tho. quin sit necesse recurrere ad eas rationis fictum, quod pugnat cum significatione naturali.

4 Arg. 2. Ratio signi consistit in esse obiectum medium per modum mensuræ intellectus, ut supra satis

diffusè est dictum: sed totum hoc nihil intrinsecum ponit nisi denominationem provenientem ab obiecto: ergo consistit in aliquo rationis. Prob. consequentia: nam quod nihil ponit in re, & solum pedit ab intellectu aliquid rationis est.

Resp. hinc probari, quod omnia obiecta sunt aliquid rationis, & quod esse visibile sit quid fictum. Sed resp. quod licet nihil ponat nisi denominationem extrinsecam, quantum ad actualem denominationem, tamen ponit totam intelligibilitatem intrinsecam quantum ad actum primum, & quantum ad actualem terminationem, & in hoc consistit signum naturale, ut obiectum medium est; sicut & quodlibet aliud obiectum.

5 Arg. 3. signum naturale instrumentale est instrumentum potentie: ergo habet virtutem ab illa, sed quod habet esse non à se, sed ab intellectu ens rationis est: ergo si constituitur in ratione signi naturalis instrumentalis per virtutem derivatam ab intellectu per aliquid rationis constituitur. ¶ Resp. tale signum non esse instrumentum potentie; sed potius signati, ad perficiendam potentiam (ut sæpè monui.) ¶ Contra est, quod tale signum ex præexistenti sui cognitione habet vim ducendi ad signatum: ergo est instrumentum potentie vim habens ab illa, quod illa præcognitio est conditio se tenens ex parte cognoscentis, non ex parte signi, quod ex illa proportionate ducit ad signatum, sicut

medium à priori obiectivum ex se  
habet vim demonstrandi conclu-  
sionem, quamvis præcognitio sit  
conditio ex parte intellectus se te-  
nens.

6. Arg. 4. ad probandum, quod  
secunda intentio, seu ens rationis  
nequit esse signum suæ causæ: quia  
prius cognoscitur illa cura sit ens  
reale, & cū sit exercitium, quo fit  
ens rationis; & quia signum est mē-  
sura potentia: at ens rationis ex se  
non mensurat potentiam; sed po-  
tius mensuratur ab ea. ergo.

¶ Resp. quod hoc nō est contra-  
rios; sed tamen arg. mentum non  
viget, quia etsi intellectus, & cog-  
nitio sint notiora ex se, & à priori,  
tamen ens rationis, quæ effectus est  
intellectus, dicit essentialem ordi-  
nem ad suam causam, & hic ordo  
non est fictus, & sic est signum suæ  
causæ: & quamvis ens rationis in  
exercitio mensuratur ab intellectu,  
tamē in actu signati cognitum, &  
secundum ordinem, quem habet  
ad causam, potest mēsurare actum  
intellectus nostri, quia sic non cog-  
noscitur absolute, sed relatè, & sic  
specificare potest actū intellectus;  
ut sæpè dictum est.

*Dub. 3. An signum ad placitum, ut  
tale, constituatur per extrinsecam  
impositionem, an per formam  
rationis intrinsecam?*

¶ Impositio à qua habet hoc sig-  
num esse, potest cōsiderari ac-  
tue, ut actus est imponentis, & sic:

nulli dubium, quod ea non consti-  
tuatur signum ad placitum, vel pas-  
sive, & sic dupliciter, vel quatenus  
merè extrinsece afficit in re vocē  
impositam, vel quatenus ab intel-  
lectu cōsideratur, ac si esset aliquid  
intrinsicum, qua ratione ea im-  
positio passive sumpta est ens ratio-  
nis, & sic procedit questio, sub qua  
ex his considerationibus constitu-  
tur signum hoc ab impositione.

2. In primis rejicienda est sentē-  
tia recens P. Lincol. lib. 6. Dialect.  
tract. 2. c. 1. n. 15, ubi ait: hoc signū  
non constitui impositione extrin-  
seca, neque ea considerata, ut for-  
mā intrinsicam; sed constitui specie  
quadam intentionali, qua vox sta-  
tim, ac auditur rapit audientem in-  
notitiam rei significatæ. nam etiā  
signum naturale mittit speciem, &  
tamen non consistit in illa missio-  
ne, sed potius, ait August. quod pre-  
ter species, quas ingerit sensibus ali-  
quid facit in cognitionem venire.  
Non ergo consistit in specie signi-  
ficatio, sed in eo quod habeat intel-  
ligibilitatem terminativam, qua  
ducat in aliud, ut cum de obiectis  
differuero dicam. ¶ Præterquam-  
quod illa species naturaliter repræ-  
sentat vocem ex beneplacito im-  
positam: ergo nequit constituere  
signum ad placitum, quod in sentē-  
tia eiusdem P. dividit signū ut sic,  
at vnum membrum dividens  
aliud non constituit:

ergo..



*Unica Conclusio.*

3. Constitutum signi ad placitum, non est ipsa impositio, ut extrinsecè terminata ad vocem, v. g. sed est forma rationis intrinseca. Sic communiter Thomistæ. Soto in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. in fine. Nugn. 3. p. q. 60. art. 1. dub. 1. concl. 4. Cabret. ib. de disp. 1. §. 5. n. 35. Huert. q. 1. de sign. artic. 3. RR. Arauj. 3. meth. q. 2. art. 2. concl. 3. Ioan. a S. Thom. q. 22. log. art. 3. Ortiz tract. 2. de sign. conf. 8. & communiter alij Thomistæ in manuscriptis.

Probatursque. Ad hominem contra eos, qui admittunt obiectum Logicæ non constitui directione extrinseca conceptuum; sed forma intrinseca rationis, eo obiectam Logicæ estens rationis, quia est artefactum intellectus, medio quo ordinantur obiecta, ut ordinatè conceptis, non subsit error, cum ea componit intellectus, sed etiam signum ad placitum est artefactum quodam rationis gubernantis medio quo vox, v. g. ordinatur ad signatum, ne in commercijs publicis, & in suis consorcijs, homines erreat in apprehendis mutuo suis conceptibus, & in usu vocum loco rerum, quas secum adducere non possunt: ergo constituitur aliqua forma rationis intrinseca, & non sola extrinseca impositione, & debet esse forma rationalis, quia utrobique ordinat intellectus ea, quæ in re non sunt ordinata.

4. Dices, non esse parera rationem, quia obiectum Logicæ est ar-

tefactum scientificum rationis, ut ratio sciar: at signum ad placitum est artefactum politicum, & morale; & ideo sibi requiritur forma rationis, hic sufficit denominatio extrinseca, quæ moraliter, & politice censetur intrinseca. ¶ Sed contra est, quod politicia media lege, quæ consistit in actu intellectus secundum D. Thom. ordinat ea, quæ in re non sunt ordinata dirigendo intellectum subditorum in eadem republica commorantium: at huiusmodi operam rationis, dirigentia intellectum, medio ordine eorum, quæ in re non sunt ordinata, ad executionem reduci nequeunt, neque censeri intrinsecè affixa voci, nisi appingendo illi formam rationis: ergo. Prob. 1. quia ens rationis in nullo alio consistit, quam in eo, quod intellectus censeat aliquid esse in re, quod reuera est in illa nihil, siue illud sic reputatum sit morale, siue politicum intrinsecum.

5. Prob. 2. absolutè conclusio. Signum ad placitum intrinsecè, & essentialiter participat rationem signi: ergo intelligibilitatem intrinsecam medijs ductiuis, at intelligibilitas supponit entitatem, & hanc non habet signum ad placitum à natura: ergo nisi media impositione eam participet intrinsecè dum putatur esse aliquid inhaerens voci, id quod in re est impositio extrinseca, nequit saluari ratio signi ad placitum.

Dices, quod & si ad intelligibilitatem absolutam requiratur intrinseca entitas, non tamè ad eam, quæ est

relata, & per modum mediij; nam sic sequitur intelligibilitas ad entitatem sicut appetibilitas ad bonitatem; at appetibilitas relata, & per modum mediij non exigit intrinsicam bonitatem in medio, sed sufficit extrinseca, vt communior fert opinio Thomistarum 1. 2. q. 8. art. 2. ergo dicendum de entitate in nostro casu. ¶ Sed contra est, quod exemplum, & suadet signum naturale constitui extrinseca denominatione, & non intrinseca entitate, sicut contingit in medio appetibili, & suadet signum ad placitum constitui extrinseca denominatione proveniente a signato, sicut mediū habet bonitatem a fine, non verò a denominatione imponentis: non ergo debet seruari proportio. Sed non esse eandem rationem probatur; quia e contra res se habet: nam ibi mediū appetitur, non propter se, sed propter finem, ideoque sufficit bonitas finis; ac signum est ratio intelligēdi signatum; & ideo debet habere a se intrinsicam entitatem, & intelligibilitatem; cū autem medium non habeat intrinsicam appetibilitatem, non currit vtrobius eadem, sed potius opposita ratio, & conuincens nostram conclusionem.

*Soluantur argumenta.*

6 Oppositū tuentur Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 1. sect. 3. Arriag. disp. 13. Log. sect. 1. P. Alonfus lib. 1. in sit. Dialect. cap. 9. n. 10. Hurt. disp. 8. Log. sect. 2. §. 8. Ouedo contr. 8. Log. punct. 2. Compton disp. 4. Lo

gic. sect. 2. Citantur Ledesma 1. p. q. 1. ar. 2. dub. 3. Alent. 4. p. q. 1. Nec desunt aliqui Thomistæ, quibus hæc sent. arrideat. ¶ Arg. 1. vt signum ad placitum, v. gr. vox ducat in cognitionem signati, & exerceat rationem signi, neque requiritur, quod imponens aliquid fingat; sufficit enim, quod designet hanc vocē pro hoc significato, neque requiritur, quod vtens tali signo, vel audiens aliquid fingat, sed lat est si sciat pro quo sit ea vox imposita: ergo constituitur impositione extrinseca, neque requiritur forma rationis intrinseca. Ant. præter probationem ibi datam conf. nam Deus constituens arcum in signum serenitatis, cum in nostra sententia non faciat ens rationis nil fingit: Angeli autem vilo arcu intelligunt mundum diluuiū non esse iterum absortendum, tamque per signum, quia hæc est veritas naturaliter illis occulta, & tamē est satis probabile eos in huiusmodi obiectis non facere entia rationis. ¶ Resp. vel Deum solū fundamentaliter constituit illud signum arcus, vel Solis hominibus, vel quod Angeli si habent illud pro signo fingunt ens rationis in eius vtu, de quo dixi in Log. tract. de ente rationis disp. 2. dub. 8. §. 1. at impositores humani, & formaliter constituant signa, & sic appingunt illis ordinem rationis intrinsecam ad signata: & homines vtuntur signis, vt sus concipiendo impositionē, & si esset ordo intrinsecus, & sic fingat.

7 Arg. 2. vox homo in libro clauso

actu

actu est signum, vt ex M. Soto dixi tract. isto disp. 1. dub. 1. & tamen actu non habet formam rationis, cū nullus intellectus actu cōsideret: ergo signum ad placitum, non constituitur forma rationis. ¶ Resp. tunc manere virtualiter formam rationis, quam illa vox accepit ab impositione; sicut transactis verbis manet Sacramentum Eucharistiæ in pixide restante fide, quia manet forma verbalis virtualiter, vel in facto esse. Alias solutiones vide. apud Thomistas.

*Dub. 4. An illa forma rationis intrinseca qua constituitur signum ad placitum, sit ordo rationis secundum esse, an solum transcendentalis?*

1. **S**uppono dari relationes rationis transcendentales, seu secundum dici ex dictis in Log. in predicam. relat. dub. 2. a na. 11. & ibi satis, addo D. Th. videndum in 1. 2. 30. q. 1. art. 1. ad 4. vbi eas admittit & RR. Arauj. 1. par. q. 19. art. 2. & 3. & dub. 2. & P. Alphonsi. disp. 12. Log. lect. 3. a n. 24.

2. His positis dico. Signum ad placitum constituitur præcisè relatione rationis transcendentali: quia constituitur ad similitudinem signi realis naturalis; at illud constituitur relatione reali tantum secundum dici, seu transcendentali: ergo & hoc constituitur relatione rationis tantum secundum dici, seu transcendentali. ¶ Conf. ex eo signum naturale non constituitur relatione reali secundum esse, quia hæc est in linea entis constitutivè relatum, &

signum est in linea intelligibili, sed etiam signum est nō in linea entis, sed in linea intelligibili, cum ratio obiecti sit communis ad omne signum, vt ostēdi disp. 1. huius tract. dub. 2. & ratio rationis secundum esse est etiam in linea entis: ergo signum ad placitum, non illa, sed relatione rationis transcendentali constituitur.

*Soluntur Argumenta.*

2. Arg. 1. eo obiectum Logicæ constituitur relatione rationis secundum esse, & non tantum secundum dici, quia ordinat ea, quæ non sunt in re ordinata, & sic dirigit intellectum ad rectè intelligendum: sed etiam significatio ad placitum, ordinat ad signatum, ea quæ in re nō sunt ordinata, & sic dirigit vt homines rectè intelligant mutuum iunctionem: ergo signum ad placitum constituitur relatione rationis secundum esse, & non tantum secundum dici. ¶ Resp. in obiecto Logicæ ordinationem esse per modum superioris, & inferioris, subiecti, & prædicati, quæ est pure secundum esse, at in nostro signo esse totum per modum mediij, quæ est ordinatio absoluta; & ideo sufficere ordinem transcendentalem. ¶ Contra et, quod sicut ordinatio signi ad placitum imitatur ordinem signi naturalis, sic ordinatio Logicæ imitatur ordinem partium compositi realis naturalis, vel artificialis; & tamen cū ordo partium ad totum in compositio reali sit transcendentalis, nihilominus ordo Logicus est rationis secundum esse: ergo & si

& si ordo mediū intelligibilis in signo naturali sit transcendentalis, ordo tamen signi ad placitum erit secundum esse. ¶ Resp. quod arte factum logicale non immitatur compositionem realem secundum id, quod absolutum, sed secundum rationem prioris, & posterioris, quæ ibi reperitur: hic autem ordo secundum esse est in rebus, ut ait Arist. 1. physic. tex. 40. At signum ad placitum solum immitatur intelligibilitatem mediā signi naturalis, quæ absoluta est; & ideo non currit eadem ratio utrobique; sed sufficit ordo transcendentalis in signo ad placitum.

3 Arg. 2. Probando hanc relationem rationis transcendentalem non habere membrum ad quod determinatè reducatur in divisione entis rationis, quæ fit per negationem, relationem, & priuationem: ergo fictitia est. Prob. min. non est relatio secundum esse, nec est priuatio, aut negatio cum hæc non sint relatiua: ergo. ¶ Resp. quod ideo vocatur transcendentalis, quia diuagatur per illa tria membra; & ideo relatio secundum esse, quæ exercetur ad terminum in ordine ad suam causam est transcendentalis, neque est contra rationem negationis, aut priuationis, quod concipiuntur, ut relata transcendentaliter, sicut possunt esse hoc modo relata formæ, quibus priuant, aut negant illa fundamenta, ad quarum instar finguntur negationes, aut relationes; & ideo cæcitas, v. gr. potest

concepi hoc modo relata ad obiectum in se visibile; inuisibile tamen ratione cæcitas. Sed de his in Logica loco supra notato.

Dub. 5. *An voces humane ad signa pure ad placitum, an ad natura vale-reducende sint?*

1 Hæc quæstio apud Priscos, & primores Philosophos acriter disceptata est, eiusque meminit Arist. & D. Th. 1. perh. lect. 1. & 2. Nec disputamus de vocibus, quæ sunt interiectiones naturales, ut gemitus, & risus, quas intimos animi affectus naturaliter significare certissimum est; sed loquimur de vocibus, quæ declinationes subeunt iuxta diuersa idiomata, quæ sunt signa manifestatiua, & suppositiua simul, de quibusque ait Arist. 1. Elenchor. cap. 1. quod quia res nobiscum adducere non possumus illis utimur pro rebus; de quo D. Th. opus. 75. cap. 1.

2 His positis prima sent. docet, quod voces non ex beneplacito, sed ex natura significant: sic Heraclitus, & Cratillus apud Deuxippum lib. qq. in Categ. cap. 6. Scicunda ait, significationem vocum, nec à natura, nec ab instituto reipublicæ pendere, sed licere unicuique pro libito vti vocibus ut libuerit, & sicut seruis, ita & rebus alijs pro voluntate nomina imponere. Sic Hermogen. apud Platon. in Cratillo. Tertia sent. asserit, quod voces sunt signa naturaliter manifestatiua tantum respectu proferentis,

eis ut sunt manifestatiua, & suppositiua rerum ex beneplacito hominum. Sic Plato in Cratyl. Arist. 1. periherm. cap. 1. S. August. tom. 1. lib. de Dialect. D. Tho. super Arist. Cic. lib. 1. qq. Academic. Quintil. libro 8. instit. cap. 6. Maximus Tirus ferm. 25. Ioan. Mai. in lib. termin. diuis. 2. dubit. 1. & cōmuniter Scholastici.

*Vnica Conclusio.*

3. Tertia sententia vera est. Probat. pars: illud est signum naturale, quod vel habet naturalem similitudinem cum altero, sicut imago cū prototypo; vel habet connexionē cum illo, sicut fumus cum igne; ideoque vno viso alterum vtrūque cognoscimus: sed voces humane suat effectus imaginationis, & coanexa cum illa, faciuntque deuenire in notitiam proferentis: ergo significat illum naturaliter. Min. explicatur eleganter à Plinio lib. 11. hist. cap. 51. sic: *Vox in homine magnam vultus partem habet, agnoscamus eam priusquam cernamus, non aliter quam oculis, totidemque sunt ea, quod in rerum natura mortales, & sua vnicuique: sicut facies: habet ergo strictam connexionem cum proferente; nec minorem quam alia conditiones indiuiduantes.*

Adde, quod omnes voces deriuantur ab aliqua onomatopeia, ac perinde vt in plurimum habēt aliquid de significatione naturali respectu signatorum, vt late probat, & elegantissimè S. August. lib. de Dialect. à cap. 6. to. 1. & non au-

la hoc exprimunt clarius, vt Bombarda, Boarus, Garritus, Mugitus, Tinnit<sup>9</sup>, & vt ait M. Bañ. cap. de nomine hæc vox taratantari<sup>9</sup>. Quæ sepe ex ipso sonitu: litterarū exurgit, vt cum geminata. r. duritiā explico cum dico ferrum.

4. Quod vero vox illa, quæ grammaticæ subest, & suppositiuè significat ab arte sit, & non a natura, ostēdit experiētia, varietas idiomatum, ignorantia loquelæ in his qui nutriuntur in siluis, de quibus dicebat Hieronimus, potius stridere quam loqui; tum, quia hæc voces, neque habent similitudinem, neque necessariam connexionem cum rebus conceptis: ergo ex artificio, & non ex natura significant. Vid. D. Tho. 1. per. lect. 6. in fine; & Malsum ibidem cap. 4. sect. vnic. q. 1. ad 2.

5. Quod vero sententia Hermogenis falsa sit constat, quia locutio ordinata est ad finem politicū, vt homo alijs conuiuat, at instrumenta ad hunc finem non attinēt ad hominem priuatum (sicut nec hæc ratione lex: ) ergo imponere voces non ad quemcumque, sed ad publicam rei publicæ authoritatem attingit.

*Soluuntur Argumenta.*

5. Arg. 1. Homo naturaliter est animal politicum, & sociabile: ergo à natura habet instrumenta, quibus possit alijs suos conceptus manifestare, sicut ad omnia alia, ad quæ naturaliter ordinatur tāquam ad finem habet instrumenta, vel potest.

restatem ad ea fabricanda; sed huiusmodi instrumenta ad finem societatis sunt voces, non utique, sed ut significatiue rerum, & conceptuū: ergo vel à natura significant, vel non expectato beneplacito Reipublicæ poterit quisvis ea imponere, ut contendit Hermogenes. ¶ Conf. natura non est magis auara in homine, in quo suas omnes delicias, vel ut effudit, quam in alijs brutis animantibus; sed quibus ex brutis concessit voces omnes cum significatione tribuit, ut patet in hinnu equorū, & aulium cantu: ergo etiam omnes voces concessit homini cū significatione sufficenti, nedum ut exprimeret suos conceptus, sed ut alij perciperent, sicut ouis agnoscit vocem, & valatum agni; etsi sint innumeri, & è contra agnoscit vocem matris agnoscit, & turtur fœdalis absentiam cantu mœstissimogemit, & ad se gemitibus reuocat.

Resp. quod natura plura negauit homini, quæ alijs concessit, non quia auara, sed quia pro omnibus instrumentis rationem concessit, dedit inclinationem ad vitam tuendam, nec tamē dedit unguēs, cornua setas, quia hæc omnia, & his validiora poterat sibi ipsi fabricare dedit natura materiam, ut homo formā artificio induceret. Sic inquit D. Tho. dedit vocem, & materiam ut significationē posset inducere non à se, sed à publicā potestate; sic enim dicitur ratio. Vide D. Tho. 2. 2. q. 85. art. 1. ad 3. Alijs au-

tem animantibus cum significatione dedit voces natura solers imitata eorum inertiam, quia significationem apponere defectu rationis non valerent. ¶ Vide alia argumenta apud Malsum loco citato, & apud P. Linæum lib. 6. Dialect. tract. 2. cap. 2. à n. 28. quæ quid minus ad rem faciunt libens omniato.

*Dub. 6. An voces ad placitum significant conceptus, & res, & quo ordine?*

*Prima conclusio.*

1 **V**Oces illæ nō solum res, sed conceptus significant. Sic Aristot. 1. perhierm. lect. 2. Sunt, inquit, voces earum, quæ sunt in anima passionum notæ: & D. Thom. ibidem. Et 1. p. q. 13. art. 1. prob. quia voces sunt institutæ nedum ut res nominemus, sed etiam ut conceptus nostros alijs aperiamus: ergo vtrumque significant voces.

*Soluuntur argumenta.*

2 Voces tantum res significatas repræsentare, docet Gabriel in 1. dist. 22. q. vnic. artic. 3. citatur Scot. ibi dist. 27. q. 3. & Vazq. 1. p. disp. 75. cap. 3. & arg. 1. Si voces significarent ad placitum conceptus pro illis supponerent: ergo sensus huius vocalis propositionis homo est animal, idem esset, ac iste conceptus hominis est conceptus animalis; at iste est falsus: ergo. ¶ Resp. quod vox non est signum suppositiuum conceptus, sed solum inani

## De signo ad placitum.

93

testatibus; & idè illa propositio non facit sensum, quem intendit arguens, quia non supponit pro conceptibus illis, & si eos significando manifestet. Vide Huet. lib. 1. Sum. cap. 2. q. 3. art. 2.

3. Arg. Si qualibet vox conceptum, & rem significaret, esset æquiuoca; quia diuersas quidditates repræsentaret; sed hoc est falsum: ergo. Resp. nō esse æquiuocum, quia hæc duo cum ordine repræsentat, & non ut plura.

### Secunda Conclusio.

4. Vna, & eadem impositione, & significatione, vox significat rē, & conceptum. Sic tenent R.R.M. Ioan. à S. Th. hic q. 1. art. 5, & Mag. Ioan. Mart. de Prado q. 1. de signo: & deducitur ex D. Th. 1. Perh. lect. 2. & 1. p. q. 13. art. 1. & q. 9. de Pot. artic. 5. vbi docet, voces esse impositas, ordine quoddā ut rē, & cōceptum repræsentent: sed ad hoc sufficit vnica impositio, & significatio in voce: ergo. Nec alia ratione opus est ad profligandam sententiam oppositam, quam tuetur P. Linæus lib. 6. Dialect. tract. 2. capite 3. num. 40. absque fundamento. Cui potissimum, aut debeamus occurrere.

### Tertia conclusio.

5. Vox non æquè primo; sed rem mediante conceptu repræsentat. Sic D. Thom. locis num. an.

tec. notatis. Hæc est contra P. Linæum ibidem, vbi ni fallor sibi cōtrarius est: ait enim vocem vtrumque directè, & in recto significare: & statim addit cōceptum ut quo, rē ut quod. At qui ex quo, & quod non duo fiunt, sed vnum, ut ex lumine; & colorato; si ergo vox illo modo significat, non ex æquo significat vtrumque. Sicut qui videt colorem sub luce non videt illā, ut duo ex equo, sed ut vnum resultat ex duobus. Sed probō amplius: nā si significaret illa duo in recto omnis vox esset æquiuoca: sicut si vox aliqua significaret albedinē ut quo in abstracto, & hominem ut quod, & non significaret album ut resultat ex utroque per modum vni<sup>9</sup>, vox esset æquiuoca: ergo si omnis vox repræsentat ex æquo conceptum ut quo, & rem ut quod, æquiuocè significat. ¶ Ad rem ergo nostram redeundo prob. conclusi. Significatio vocis deriuatur à conceptu, ut ait D. Thom. quaest. 4. de verit. artic. 1. ergo immediatè respicit conceptum; ergo eo mediante significat rem.

6. Nec tamen significat ut quo; sed immediatè conceptū ut quod, & mediatè, seu vltimatè rē ut quod.

Prob. quia nō significat mediātè cōceptu, sed mediante impositione; & res nō redditur significata ratione conceptus, sed mediante sua entitate; vnde le habēt cōcept<sup>9</sup>, & res, sicut imago, & res imaginata; vnde sicut idem motus tendit, in

imaginem vt quod, & non vt quo, sed immediate, & mediate, seu ultimo in rem imaginatā, s; significatio vocis.

*Quarta conclusio.*

7. Etsi vox immediatius significet conceptum, principalius tamen significat rem. Sic M. Ioan. a S. Tho. loco iam citato. Tū, quia ea significatio respicit rem vt finē ipsius conceptus; at quod est finis praeipuus, quamvis via executionis posterius, & quasi mediatius attingatur, tamen in intentione prius respicitur: ergo.

8. Si contra istos, vox primo, & per se repræsentat conceptū imponentis, a quo habet vim, & virtutem significandi: ergo est quasi instrumentum illius: ergo per se primo repræsentat conceptū eius. Prob. conseq. nam instrumentum primo, & per se ordinatur ad causā principalem, a quo constituitur, & accipit totam virtutem.

Resp. quod vox habet impositionem ab imponente, quatenus ille concipit rem ipsam, & ab ea specificatur conceptus imponentis, ac perinde per prius via intentionis specificatur significatio vocis à re ipsa, à qua conceptus habet vim refundendi significationem in vocē media impositione.

9. Si arg. 2. Verbum diuinum prius repræsentat, & exprimit conceptum paternum; quam res ipsas; sed verbum vocis aequaliter assimilatur verbo illi diuino: ergo.

Resp. quod in Deo quantum ad

obiectum primum idem omnino sunt intellectus, intellectio, & res intellecta; vt ait D. Tho. 1. p. q. 14. art. 4. & ideo ibi verbum primum omnia exprimenda repræsentat: at in nobis conceptus distinguitur ab obiecto, & ab illo specificatur, ideoque verbum vocale, & si immediatius repræsentet conceptum; principalius tamen repræsentat rem conceptam.

*Dub. 7. An signū ex consuetudine sit vere signum, & ad quod ex dictis reducatur?*

1. **D** An signa ex consuetudine experientia compertissimū est: nam ramus ante tabernā, quo viso intelligimus vinum ibi venale stare, & mappæ, quibus iuper mēsam visis percipimus iam instare prandium, & millia id genus alia, neque ex natura sua repræsentant aliud à se, neque ex publica impositione; sed præcisè ex consuetudine, & verè signa sunt: dantur ergo signa ex cōsuetudine. Et quamvis non sint signa euidenter, & necessario manudentia insignatum: hoc non obstat, quin sint vere signa cōiecturalia, sicut contingit in signis coelestibus circa futura.

*Vnica conclusio.*

2. Etsi signa ex cōsuetudine verè sint signa; est tamē diuisio signi in naturale, & ad placitū adæquata, quia alia signa ex cōsuetudine sunt naturalia, alia ad placitum, & sic ly ex consuetudine, non constituit diuersam speciem: sed nominat imper:

perfectiorem quandam signi naturalis, vel ad placitum, vel accidentalem rationem. ¶ Prob. nam cum aliqua consuetudo statuit, quod aliqua vox significet aliquid, sicut obtinuit, quod Nero significet homines diros, vel quod aliquid significet aliud, sicut ramus pendens ante fores impositus est ad significandum ibi vinum venundari, hæc consuetudo legitime præscripta vim habet legis impositivæ ad beneplacitum; ergo signum ex tali consuetudine institutum verè habet rationem signi ad placitum; & per accidens est, quod nō sit à Principis lege impositum, sicut per accidens est, quod mus generetur à sole, vel ab alio eiusdem speciei, quia in vtroque casu habet essentiã muris.

Similiter cum viso cane intelligimus adesse iam dominũ, tunc consuetudo sic intelligēdi fundatur in natura canis, seu in consuetudine fundata in natura eius, quæ est altera natura, & sic connexio canis venientis cum domino, mediã qua intelligim⁹ iam ad stare dominũ ei⁹, est quædam imperfecta connexio naturalis trahens vim ab ipsa natura: non ergo variat rationem signi naturalis, sed tunc *signum ex consuetudine*, denotat imperfectũ quid in linea signi naturalis, ergo per signum ex consuetudine, non denotatur species mediã inter signũ naturale, & ad placitum; sed vel quædam ratio accidentalis signi ad placitum (quæ est eius essentia, vel imperfecta quædam ratio signi natu-

ralis: ergo divisio signi in naturale, & ad placitum adæquata est, & ex consuetudine, non debet constitui distinctum membrum dividens signum vt sic.

*Soluantur Argumenta.*

3 Sed contra, arg. 1. nedum dantur signa, quæ verè significant ex consuetudine publica populorum habente vim legis præscriptæ; sed datur consuetudo monastica, aut domestica, sicut cū convenit inter David, & Ionatam, vt per tactum sagittarum intelligeret David, an incurrisset odium Saul; an autē gratus, adhuc illi persisteret, ex 1. reg. 10. Quod & quotidie fit inter homines; qui se mutuo intelligere cupiunt zelando alijs. In his casib⁹ tale signum, neque est ad placitũ, neque à natura; & tamen est vere signum ex consuetudine, si pluries repetatur; ergo huiusmodi signum tertiam speciem constituit distinctam ab eo, quod est naturale, vel ad placitum.

Resp: in eo casu quasi metaphoricè reduci illum signum per imitationem legitimæ consuetudinis: vnde potius habet vim conditionis, cuiusdã ad intelligenda ea, quæ prius tractata sunt, quam vim proprii signi.

4 Arg. sequi ex nostra conclusione, quod hoc nomen *signum ex consuetudine* sit æquiuocum, si quidem significat ex equo aliquid expectans ad duas species signi diversas. ¶ Resp. non esse absurdum si cut non est in eo, quod nomen em-

brío sit equorū ad formā imperfe-  
de disponentē ad generationē ho-  
minis, & ad generationem equi.

5 Arg. 3. Omnis consuetudo  
fundatur in morallibus ex D. T. 1. 2.  
q. 1. art. 3. esse morale opponitur  
esse naturali; ergo nullum signum  
ex consuetudine potest esse quoad  
speciem naturale. Præterea, signū  
naturale est, quod ex se, & ex sua na-  
tura ducit in alterum, at mappæ v.  
et. ex sua natura nō ducunt in no-  
titiā alterius: ergo nequeunt di-  
ci signum ex consuetudine naturali-  
ter significans. ¶ R. 3. quod cō-  
suetudo illa est applicans, quia sig-  
num in eo casu non repræsentat ex  
consuetudine, sed ex natura sua ap-  
plicata per consuetudinem; unde  
sicut esse artificiale opponitur na-  
turali; & tamen supposito, quod  
imago fabricata ab arte sit, natura-  
liter tamen significat; sic naturalis  
modus operandi in cane applica-  
tus a consuetudine, vel præceden-  
di dominum suum, vel videndi,  
quod præcedit, facit ut canis sic præ-  
cedens repræsentet domini adven-  
tum naturaliter imperfectè.

Ad confirm. dico, vel mappas es-  
se signum ex consuetudine bene-  
placiti; vel si vis esse ex consuetu-  
dine, quæ est quasi altera natura: di-  
co, quod licet consuetudo apponē-  
di mappas non sit à natura, ea ta-  
men supposita per modum appli-  
cationis mappæ ex sua entitate, &  
natura repræsentant prandium per  
modū dispositionis ad decentē co-  
mestionē, quod ex natura sua ha-  
bent.



### DISPUTATIO III.

*De diuisione signi informale,  
& instrumentale.*

Dub. 1. An hæc diuisio sit bona,  
adæquata, & uniuoca?

1 **C**onclusio est affirmatiua.  
Quod sit bona, & adæqua-  
ta constat, quia nullum datur sig-  
num, quod non sit formale, vel in-  
strumentale: ergo membra diuidē-  
tia per rationes oppositas exhau-  
riūt rotam cōfussionē diuisi. Quod  
vero sit diuisio essentialis uniuoca  
( & si Huertos velle esse analogā  
essentialē,) prob. quia traditur  
per differētiās essentialēs signi, me-  
dijs quibus simpliciter participa-  
tur ratio signi in membris diuiden-  
tibus: ergo. Prob. antec. Ratio signi  
consistit in ratione medijs ductiui,  
at rationem medijs essentialiter va-  
riat ratio medijs in quo, & medijs  
per quod: & medium in quo sim-  
pliciter gaudet ratione signi, vt di-  
cetur dubio sequenti: ergo hæc di-  
uisio habet quidquid requiritur, vt  
hæc diuisio sit essentialis uniuo-  
ca.

*Soluntur argumenta.*

2 Quod ista diuisio non sit bo-  
na, & adæquata, prob. 1. quia  
exaurit cōfussionem diuisi: na-  
phantalina est vere signum, quo  
medio intellectus deuenit in noti-  
tiam singularis, & tamen neque est  
forma-

formale, neque instrumentale: ergo. Prob. min. Non est medium intrinsecū intellectui: ergo nō est signum formale; non repræsentat ex præ-existente cognitione sui, sed immediatē: ergo non est instrumentale.

Cōf. Nō datur hæc diuisio per opposita: ergo nō est bona. Prob. an. Cōceptus nō vltimat<sup>9</sup> est formale signū vocis, & instrumentale rei per illam significatā; conceptus vnius Angeli loquētis, ipsi est signum formale, & audienti est instrumentale: sed differentia, quæ eidem conueniat non sunt opposita: ergo.

Resp. ex dictis i. phys. disp. i. dub. 2. §. 1. phantasma nō esse signum in quo, vel per quod intellectus cognoscat singularia; sed speciē ipsam expressam formatam ab intellectu cognoscente naturam, vt connotat phantasma singularis, à quo per intellectum agentē educta est species nature vniuersalis. Si autem intellectus vellet per ipsum phantasma cognoscere, hoc præstaret instrumentaliter duplici cognitione interueniente; de quo RR. Ioann. à S. Tho. q. 22. Log. art. 1. ad vlt. ¶ Ad conf. quod conceptus non vltimatus formaliter repræsentat vocē in recto, & formaliter rem in obliquo, & secundario. Ad illud de conceptu loquentis, dico, ad bonitatē diuisionis sufficere, quod detur per rationes formaliter oppositas, quæ et si eisdē possint conuenire, non tamen sub eadē ratione; vt patet in diuisione boni in honestum, & delectabile, quæ conueniunt simul actui virtutis, sed non

sub eadem ratione, sicut nec conceptui illi competit sub eadem ratione, esse formale, & instrumentale.

3. Arg. 2. quod non sit essentialis diuisio. Cum quia diuisio instrumenti, in coniunctum, & separatum est tantū accidentalis, sed signū formale est instrumentum coniunctum intellectus ad cognoscendū, & instrumentale est separatum ad extra: ergo hæc diuisio est accidentalis. Tū, quia hæc diuisio solum est in ordine ad potentiam, quatenus vnū est medium coniunctum, & aliud separatum: sed signo vt potē obiectū, & mēsurā accidit ordo ad potentiā: ergo & diuisio secundum illum ordinem. Denique, idem, cum sit indiuisibilis essentia, nequit diuidi duplici diuisione essentiali, non subalternatim posita; sed signum vt est in linea media intelligibilis, diuiditur essentialiter, in naturale, & ad placitum: ergo non diuiditur essentialiter in eadem linea, per naturale, & ad placitum.

4. Resp. quod signū non est instrumentum potentia, vt sæpè dictum est, sed est medium obiectiū, & sic data mai. neg. min. ¶ Ad conf. i. respond. Nō esse hanc diuisionē, nec dari per ordinē ad potentiā, sed diuersa substitutione, & intelligentia media in ordine ad signū præsentandum; & ideo essentialiter.

Ad 2. dico, optimè potest diuidi duplici diuisione subalternatim possit in eadem ratione in eadem qua repræ-

cedat. Sic enim lex pluribus diuisionibus per se diuiditur, secundum D. Tho. 1. 2. q. 95. art. 4. & animal potest diuidi in gressibile, & volatile, in reptile, & natale, in rationale, & irrationale: & sicut qualitas in quatuor species, seu genera non subalterna diuiditur ab Arist. Vide RR. Ioan. 2. S. Thom. q. 22. Log. art. 1. ad 3. & q. 5. Dialect. art. 3. ad 2.

5. Arg. 3. Ad probandum diuisionem esse analogam, quia nihil datur uniuocum ad ens reale, & rationis, ac signum formale determinatè est ens reale, instrumentale uero eum sub se contineat signum, ad placitum admittit esse ens rationis: ergo hæc diuisio nō est uniuoca, sed analogica.

Conf. Tunc diuisio est analogica eum diuisum per prius reperitur in uno quam in alio membro diuidenti: sed significatio per prius inuenitur in signo formali, nempe in uerbo mentali, & in signo uocali instrumentali, per derivationem, & dependentiam a mentali uerbo, ut docet D. Tho. q. 4. de uerit. a. 1. ad 7. ergo.

Resp. ex dictis disput. ant. dub. 1. quod ratio signi uniuocè dicitur de naturali, & ad placitum, quia etsi enti reali, & rationis absolutè considerata, nil detur uniuocum, potest tamē dari si relatè considerentur, ut contingit in signo. ¶ Ad conf. sæpè dixi inde solum argui analogiā physicam, sicut & prioritas; nam formaliter uox per suam impositionem repræsentat, & non per eam, quæ est in conceptu.

Dub. 2. An signum, quod uocatur formale, seu uerbum mentis, conceptum, seu speciem expressam, sit uere, & proprie, & simpliciter signum?

1. Conclusio est affirmatiua. Citantur pro ea Albert. Magn. 4. ethic. tract. 3. c. 2. Soncin. 12. metaph. q. 56. Egid. in 1. dist. 27. q. 1. Scot. in 3. distinct. 14. q. 3. RR. M. Arauj. 3. meth. q. 2. dub. 3. art. 2. & Ioan. 2. S. Tho. q. 22. Log. art. 1. M. Ioan. Mari. inclinatur ex parte libr. 1. Dialect. c. 2. q. 3. Ortiz tract. 2. conf. 10. Haert. topicè eam tuetur lib. 1. Sum. cap. 2. q. 2. art. 1. Extra nostram Scholam eandem defendunt Villalpando, Cardillo, & comment. eius Murcia disp. 7. Dialect. q. 2. Linc. lib. 6. Dial. tract. 1. c. 2. n. 13. quodq; uix accidit alteri opinioni septiformiter defenditur a suis patronis: ego autem his omisissis.

2. Prob. 1. Ex celebri testimonio D. Tho. q. 4. de uerit. art. 1. ad 7. ubi ait: *Verbum interius per prius habet rationem significationis, quam uerbum exterius, quia uerbum exterius non instituitur ad significandum, nisi per interius.* Et 1. p. q. 31. art. 3. idem latius dicit, & exornat. ¶ Resp. ibi sumere nomē significationis latè pro eodē, ac est repræsentare, seu manifestare: alioquin cū inde probet dari uerbum in diuinis, sequeretur ibi esse significationē. ¶ Sed hæc solutio est uoluntaria: quia ex manifestatione significatiua uerbi creati probat dari manifestationem.

no. ē verbi in creati sub latis imperfectionibus; sicut ex verbo creato causato ab intellectu probat in diuini Verbi in causatum. ¶ Præterea ibi docet significationē vocis derivari ab ea, quæ est in conceptu: sed in voce est stricta significatio: ergo & in conceptu.

3 Prob. 2. ex eodē D. Tho. Quod lib. 4. a. 17. in corp. vbi ait: *Vox est signum tantū, & non signatum; intellectus autem (medio conceptu vt ex litera constat) signū, & signatū, sicut & res.* At res, quando aliud manifestat per modū signi, est strictè, & propriè signum: ergo & conceptus.

4 Prob. etiā ratione ex doctrina D. Tho. contra. Conceptus mentis est cū omni proprietate mediū ductum in notitiā rei intellectæ a nobis, cum aliqua deficientia; sed nihil aliud requiritur ad essentiam signi; vt ex toto isto tractatu constat: ergo quod conceptus mentis nostræ, sit mediū cum omni proprietate inter intellectum, & obiectum, constat ex D. Tho. q. 10. de verit. ar. 4. ad 1. vbi ait: *Imagines ille quibus res intellectuales videntur sunt quasi mediū cognoscendi;* vbi ly *quasi*, non diminuit, sed potius dignificat rationem mediū, vt cum dixit Euangeliū Ioann. *Gloriam quasi unigeniti a Patre.* Vnde paulō inferius addit D. Thom. quod intellectus cognoscit obiectum per eius similitudinem, *sicut per mediū cognoscendi.* Et ratio suadet, quia conceptus distinguitur ab intellectu, & intellectione, & ab obiecto, quod etiam in absentia re-

presentat, & participat de vtroque extremo, quia est similitudo obiecti, deinde habet esse immateriale, sicut intellectus, & in suo ordine mediat inter intellectionem, & obiectum: ergo nihil illi deficit vtrū sit strictè mediū representatiuum.

Quod vero aliud a se representet prob. Quia representat obiectum per modum imaginis, sed nihil est imago sui, sed alterius: ergo. Minus prob. Quia imago dicit originem, & in creatis causalitatem ab eo cuius est imago, vt docet D. Thom. q. 4. de verit. art. 3. in corp. & ad 7. & 4. Contragent. cap. 11. & opusc. 9. cap. 1. sed nihil seipsum causat: ergo. Vide D. Thom. q. 10. de verit. art. 4. ad 4. & 5.

5 Nec obstat dicere, quod conceptus in esse representatiuo est quidditas obiecti, ac perinde nō aliud ab illa: nam vt ait D. Thom. 4. Contragent. cap. 11. loquens de verbo creato; homo intellectus nō est homo, sed eius similitudo habens esse, non verè sed representatiuè; & idem habet 1. p. q. 14. art. 6. ad 1. sed hoc sufficit vt representet aliud siquidem habet distinctum esse cū homo non causetur ab intellectu, & causetur verbum: ergo.

6 Quod verò conceptus sit mediū representans aliud à se cum deficientia. Prob. quia in mente, & verbo est obiectū cum alio modo, nempe in esse intentionali, & solum tanquā in simili: ergo deficit à verò esse, quod habet in re, sicut esse, quod habet Cæsar in statua idem quidē

representatiue, sed non idē entitatiue, nec ibi exillit, nec potest operari proprias operationes: ergo cū ab his deficiat, habet esse mediū deficientis. Pro aut. vide D. Th. q. 1. de verit. art. 4. ad 4. & 3. & 4. Contrag. c. 11. & 1. p. q. 35. art. 2. ad 3. & in 1. dist. 3. q. 4. art. 3. ad 3. & dist. 28. q. 2. art. 1. ad 3. ¶ Conf. verbum mentis in esse representatiuo specificatur, & mensuratur ab obiecto, ex D. Tho. opusc. 53. & in 4. dist. 8. q. 2. art. 1. quæstiunc. 4. ad 1. & Caler. 1. p. q. 35. ar. 2. sed quod mensuratur, & specificatur ab alio deficit ab illo: ergo verbum mentis, v̄ representat obiectum deficit.

6 Dices, quod cum res materiales nobiliori modo habeant esse in verbo mentis, quam in se ipsis, vt docet August. tract. 2. in Ioan. & D. Tho. 1. p. q. 82. art. 3; & 1. 2. q. 66. art. 6. ad 1. & 2. 2. q. 23. art. 6. ad 1. & 2. Contragen. c. 50 non potest cōceptus specificari ab obiectis, ac perinde, neque ex hoc capite dicere deficientiam, in representatione.

¶ Contra est, quod vt docet D. Th. 1. p. q. 18. art. 4. ad 3. & Caler. loco citato, materialis habent esse nobilius in mente, quam in se, nobilius inquam, secundum quid, non autē simpliciter, & in ordine ad id, quod ipse res exigunt; deficit ergo cōceptus a rebus ipsis quas representat. Sed inde sequitur, quod cōceptus non potest esse signum creaturatum, quod etiam ibi non habent esse, quod in mente extra Deum: nam si in mente Dei sit causa rerū,

& non mensurentur a rebus cognitis, sed potius mensuret eas, vt ait D. Tho. in 4. dist. 8. q. 2. art. 1. quæstiuncula 2. ad 7. non habet distinctum esse per defectum, sed potius per excessum, & ideo non significat conceptus Dei creaturas, quas continet representatiue sub illa eminentia.

*Soluantur argumenta.*

7 Oppositum tuentur Conimbricenses lib. 1. de interpret. cap. 1. quæst. 1. art. 1. Fons lib. 1. instit. Dialect. cap. 8. P. Alonf. ibi lib. 1. cap. 9. à num. 4. Probabiliter eam defendit Huert. loco iam citato, citatur Cap. in 4. dist. 49. quæst. 1. conclus. 1. Sor. lib. 1. sum. cap. 2. & in 4. distinctione 1. quæst. 1. art. 4. Nugn. 3. p. quæst. 60. art. 4. Cabrer. il. sem. Banez cap. denom. & M. Luna citatur à Huert. Et prob. ex D. Thoma 3. p. quæst. 60. artic. 4. ad 1. vbi ait, quod primo, & principaliter dicuntur signa, quæ sensibus offeruntur; effectus autem intelligibilis non habent rationem signi, nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa sensibilia. Sed conceptus est effectus intelligibilis: ergo non est propriè signum. Conf. ex D. Tho. q. 9. de verit. art. 4. ad 4. vbi ait, quod forma intelligibilis potest dici signum communitè: sentit ergo non esse propriè.

Si dicas, ibi solum negare conceptum non esse signū quoad nos, id est quoad illos in quibus non est conceptus, quia non possumus cognoscere mentem alterius, nisi ipse exprimat medijs verbis, & signis sibi

Illibus; non autem negat, quod in illo in quo est conceptus habeat rationem signi. ¶ Contra est, quod D. Tho. in 4. dist. 1. q. 1. ar. 1. q. 2. ad 1. loquens de ipso, in quo est conceptus, ait, *quod potest dici secundario signum*. Et ad 3. quod *etiam sumptum potest dici signum*. Ergo solutio data vana est.

8 Resp. quod cum signum quod ad nos sit impositum ab eo, quod est manifestare aliquid sensibilibus; & sic prius dicitur, & peculiariter, & primario de sensibilibus, quantum vero ad id ad quod significandum nomen imponitur, per prius debet dici signum de formali, quia immediatius ducit intellectum nostrum ad res ipsas, & sic ait D. Tho. 1. p. q. 34. art. 1. quod per prius significat conceptus quam vox, quæ derivatur à conceptu. Ex quo deducitur, quod cum August. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 1. & de principijs Dialecticæ cap. 5. diffinit signum per obijci sensibus, vel mittere species, & ducere sensum ad res ipsas, loquitur de signis quoad nos, & secundum quod signum est promiscuum instrumentum cognoscendi omnibus, à quo quidem nomen signi impositum est; non verò de signis quantum ad id ad quod adequatè significandum impositum est.

9 Arg. 2. Ut aliquid sit signum, debet esse obiectum medium; at signum non est obiectum medium: ergo. Prob. min. Est quo redditur obiectum præsens potentia; sed quo aliquid est præsens, & cogni-

tum non est medium, sed facit quæ si vnum cum eo, quod est cognitum, & præsens: ergo.

Resp. quod signum est medium, quia licet sit terminus intellectio- nis, est terminus non ultimus, & sic est obiectum terminatum non ultimum, & sic se tenet ex parte obiecti tanquam non ultimum, non verò ut ultimum; unde etsi sit id quo obiectum est intra, non est quo ipsum est ad extra intellectum, & sic est medium, nec facit vnum cum obiecto, quia est quo extrinsecum respectu obiecti; non autem quo est in se intrinsecè obiectum intellectum in se. Vide D. Thom. 1. p. q. 14. art. 6. ad 1. ¶ Si contra istes, ex conceptu, & re concepta fit magis vnum, quam ex materia, & forma: ergo conceptus non mediat, sed omnino se tenet ex parte obiecti, & est vnum cum illo.

Resp. fieri idem cum obiecto in esse representatiuo, & ideo ex illo fieri magis vnum quam ex materia, & forma, quæ nõ sunt villo modo vnum, at hæc identitas est secundum quid; non autem entitatiuè, & ideo manet locus, ut conceptus, etsi sit idem representatiue, sit medium respectu obiecti: de quo vide attentè D. Tho. c. 3. de verit. art. 4. ad 3. & opusc. 9. cap. 1. ¶ Si istes, ideo species impressa non est signum, quia nõ est medium, eo quod se tenet ex parte principij, sed non minus se tenet species expressa ex parte termini: ergo & nõ est signum.

Resp. speciem impressam esse

mediū, & sic vocari a D. Thom. 1. p. q. 55. in titul. q. & in 4. dist. 49. q. 2. ar. 2. ad 5. & quodlib. 7. art. 2. sed non est signum, non ex defectu mediū, sed quia non est in linea obiecti, ac perinde cū conceptus sit in linea obiecti mediū, erit signum.

10. Ex eodem principio, arg. 3. Conceptū non esse signum, quia cum fiat quidditas obiecti, & idem cum illo nō representat aliud a se, cum representat obiectum, et qui ad signum requiritur aliud a se representare: ergo conceptus nō est signum. Quod verò conceptus sit idem cum obiecto, constat ex nunt. & docet D. Thom. 3. Cōtrag. capit. 49. num. 2. dum ait: *Quod est eiusdem speciei cum obiecto, vel magis speciei eius.* Vide etiam quodlib. 8. art. 4. ergo est ipsissima species, & quidditas obiecti representati, ac quod est idem, nequit esse aliud ab eo cum quo est idem: ergo.

Resp. ex dictis, & ex Caiet. lib. 2. de anim. capit. 11. conceptum esse idem representatiue, & secundum quid cum obiecto; nō autem simpliciter, & entitatiue; ac perinde remanet locus, quod conceptus representando obiectum aliud a se representet. ¶ Sed cōtra est, quod signatum vt tale non est in linea entis, sed in linea intelligibili: ergo si conceptus est idem cum illo representatiue, & intelligibilitate, non potest esse signum, quia signatum debet esse aliud a signo, eo quod nihil conceptum significat.

Resp. non esse idem in genere

intelligibili, cū fiat idem in genere representatiuo: nam ad 2. sufficit similitudo intentionalis; ad secundum autem requirebatur, tantum esse intelligibilitatem in signo, sicut in signaro, quod falsum est, eo quod conceptus in genere intelligibili mensuratur ab obiecto: est ergo in illo intelligibilitas vltima, & per modum mensuræ, & in conceptu, intelligibilitas media, & non vltima, & mensurabilis.

Sed contra est, quod hoc dato non repugnat species creatæ representatiua Dei in se, cum possit ac esse tantæ intelligibilitatis, sicut est Deus.

Resp. non repugnare per modum signi, ac repugnare, quæ sit representatiuo quidditatiua: quia in quocūque genere sit idem cum Deo, debet esse infinita representatiue, & hæc iā aliquo creato repugnat, sicut & repugnat arguitiue, & ex consequenti non esse infinitæ intelligibilitatis.

11. Arg. 4. conceptus quidditatiuus rei omnem quidditatē intelligibilem obiecti ponit intra intellectum; alioqui non cognosceretur per illum quidditas rei: sed quod ita continet totam intelligibilitatem obiecti, nullam potest dicere deficientiam: ergo conceptus ille nequit esse signum obiecti, ad cuius rationem requiritur deficientia. ¶ Dices, totam intelligibilitatem obiecti contineri in conceptu, cum eodem modo quo est in

in obiecto, nego; cū inferiori modo, concedo: continetur enim ibi intentionaliter, & representatiue: non autem enitatiue vt in obiecto est in se, vt in se ipsa. ¶ Sed contra est, quod in conceptu est intelligibilitas obiecti modo perfectiori, & modo immaterialiori, & cum abstractione a conditionibus indiuiduantibus, quibus immergitur a parte rei, & in ipso obiecto: ergo si ex vna parte continet obiecti totam quidditatem, & ex alia parte modo perfectiori, nō est vnde possit saluari deficientia conceptus ab obiecto. De quo vide Ledesimā de esse Dei, q. 4. dub. vlt. art. 4.

Resp. tamen negato ant. quia conceptus sic abstractè representat obiectum est conditio vt appareat immaterialitas obiecti media præcisione obiectiua: sed non est ratio formalis vnde tale obiectum redditur immateriale; hoc enim habet obiectum in se per suam actualitatem: relinquatur ergo locus, vt conceptus deficiat ab obiecto, quia continet quidditatem eius solum intentionaliter, aliās ea immaterialitas, quæ medio conceptu relucet in obiecto, non prouenit obiecto a conceptu: sed potius est in conceptu ab obiecto, quia ab obiecto paritur noticia, estque intelligibilitas in conceptu sicut in imagine, & in obiecto sicut in prothothypo; quod si conceptus sua præcisione formali est conditio vt appareat immaterialitas obiecti, hoc nō obest quin deficiat, sed potius sua-

der, quia conditio, & applicatio se perdeficit a forma, quam concomitatur.

12. Si dictis constat, quod quando conceptus non mensuratur ab obiecto, sed potius mensurat illud, vt contingit in conceptu, quo Deus, & Angelus ex participatione idæarū cognoscunt creaturas, tunc ille conceptus, non est signū obiecti representati, quia nec dicit deficientia ab illo: nam et si meliori modo proficere, & pro suo commodo sit obiectum ad extra in se quam in tali conceptu; hoc fit per excessum, nō per defectum, & quia excessus ille perfectionis non ita commensuratur cum esse imperfecto rei in se ipsa: at in conceptu nostro è contrarium se habet, & ideo est signum.

13. Tandem arg. signum, vt dixi in hoc tract. disp. 1. dub. 2. non perficitur a potentia, sed potius perficit, & mensurat eam, at intellectus perficit conceptū nostrū: ergo conceptus non est signū. Prob. min. habet esse ab intellectu, & existit per eius contemplationē; vt ait Caiet. 1. p. q. 27. ar. 2. ad 2. Ergo. ¶ Resp. quod et si conceptus in esse caris, & effectiue fiat ab intellectione: tamen formaliter perficit contemplationem, & eam mensurat, vt docet D. Thom. 1. p. q. 77. art. 3. ad 2. & q. 8. de veris. ar. 1. in fine corporis, quod si verbum mentis, sicut & obiectum existit per contemplationem, hoc non arguit ab ea perfici intrinsecè: quia intelligibile passiuum existit solum extrinsecè a cō-

templatione, quæ existentia, cum non sit intrinseca, nec perficit intrinsece, id quod ab ea redditur existens.

*Dub. 3. An actus intelligendi sit signum formale?*

**S**uppono, actum intelligendi realiter distingui à conceptu, sicut via à termino, & causalitas ab effectu; & quod talis actus reflexe cognitus potest esse signum instrumentale; nam si fiat cum delectatione esse signum habitus, docet D. Thom. in 4. dist. 1. q. 1. ar. 1. quæst. 2. sed loquimur de ipso actu directo, an sit formale signum obiecti cogniti.

*Vnica Conclusio.*

**2** Resp. negativè; & fauet Capreol. in 4. dist. 40. q. 1. Ferrar. 2. Contrag. cap. 49. §. ex hoc enim, Cabrer. 3. p. q. 11. ar. 1. disp. 3. RR. M. Ioan. à S. Thom. disp. 22. Log. art. 4. Ortiz tract. 2. conf. 12. Conimbric. tom. 2. Log. cap. 1. de sign. ar. 3. q. 2. sect. 3. & prob. quia ille actus ut sic exercitus non est in linea obiecti mediij, sed in linea tendentiæ ad obiectum, & notitiæ: at signum essentialiter habet esse in linea obiecti mediij: ergo ille actus non est signum. ¶ Conf. ille actus non representat aliud a se formaliter: ergo non est signum, a definitione additi utum. Ant. prob. non est similitudo obiecti: ergo non representat formaliter. Ant. contr. Vazquez 1. part. q. 12. art. 2. disput. 38. probant ibi communiter Thomis-

ta Caiet. Bañ. Zum. & alij; & potest videri Capreol. in 4. dist. 49. q. 5. art. 1. Ferrar. 3. Contrag. cap. 44. & alij. Constatque, nam si esset ille actus formalis similitudo, superflueret species expressa, & de facto daretur similitudo creata Dei, & quidditativa, quod nostri Thomistæ adeo renuntiant contra Vazq. Tū, quia actus, & habitus sunt similes: ergo si visio beata esset formalis similitudo Dei, etiam hoc haberet lumen gloriæ, & sic de facto daretur species impressa Dei in se: nam hoc munus gereret lumen gloriæ.

**3** Dicunt aliqui, actum intelligendi esse signum obiecti, etsi non sit formaliter similis, quia si facit connexio cum obiecto, seculi sufficit hæc in fumo ut significet ignem.

Sed contra est, quod etsi non requiratur formalis similitudo ad signum instrumentale (ut est fumus) requiritur tamē ad signum formale: ergo hac deficiente requiritur actus intelligendi esse signum formale.

Dices, ad hoc sufficere exercitiā representationem: at intellectus ob suam reflexionē per ipsum actum exercite percipit se cognoscere obiectum: ducitur ergo in illud: hoc ergo sufficit. ¶ Sed cōtra est, quod signum formale est notitia formalis, quæ se ipsa, & nō mediante alio representat: at ille actus quamvis exercite concipiatur, non representat exercite formaliter ratione sui obiectum; sed mediante verbo cum quo exercite connectitur: ergo. Prob. min. nam si se sola

hoc

hōc præsaret; manente sola visione Dei (de potentia absoluta) sine verbo, aut sine vnione essentiae per modū verbi, maneret beatitudo, & cognitio Dei in se, quod est falsum.

*Soluntur argumenta.*

4. Oppositum tuetur P. Linc. lib. 6. Dialect. tract. 1. c. 2. n. 13. noster M. Brancha in manuscriptis cū nonnullis Thomistis, quibus nō nihil fuit M. Soto lib. 1. Sum. cap. 3. not. 4. Et prob. Actus ille in primis est formalis notitia obiecti. 2. Ducit intellectum in obiectum cū sit ipsa tendentia. 3. Hoc præsarat representando, quia vnit potentiam cū obiecto, ponendo illud intra potentiam præsens: ergo representādo, & hoc præsarat se ipsa: ergo nihil ei deficit vt sit signum formale. ¶ Dices, non esse signum, nec representari formaliter, quia hæc præsarat actiue, non passiue reddendo obiectum formaliter cognitū, præsensque potentiae per se; hoc enim fit mediante verbo. ¶ Contra est, quod cū intellectus sit potentia reflexiua, vt ait D. Tho. 1. p. q. 14. ar. 6. ad 1. & 1. 2. q. 9. art. 4. vbi Caiet. ille actus respectu sui etiā habet vicē obiecti: ergo in linea obiecti præsarat ea omnia, & nō solum actiue. Tum, quia ille actus est formalis similitudo obiecti: ergo formaliter illud repræsētat. Ant. prob. ex causali S. Ioan. *Simile* (inquit) *et* (idest Deo) *quia videbitur eū, et refertur*: ergo visio similes facit obiecto. Et ex Aug. lib. 9. de Trinit. cap. 11. *Nec*

*ta habet similitudinē ad eū cuius est notitia.* Vide idē apud ipsum lib. 14. cap. 6. & Ansel. in monolog. c. 13. Denique obiectū existit intra intellectum media contemplatione sui: at existentiā passiue reddit omni existētē: ergo intellectio contemplatiua passiue reddit obiectum præsens intra intellectum.

5. Resp. quod ea reflexio, vt dictū est n. 3. nō sufficit. Ad 2. quod visio dicitur similitudo, non ratione sui; sed quia includit ex parte principii, speciem propriā obiecti, & ex parte termini transformationē cū illo. Ad 3. quod intellectio est existentiā extrinseca obiecti, & ideo non afficit obiectū in se, sed actiue tantum reddit existēs, vt dixi dub. ant. ¶ Si infles, quod Paulus post raptum recordabatur vidisse Deum per speciem relictā, quæ representabat ipsam visionē: ipsa ergo representabat Deū. ¶ Resp. quod tunc illa visio erat quasi signū instrumentale, mediante reflexione, ad recordandū, quod Deus visus fuerat, ceterū hoc nō præsarat ex eo, quod sit formalis similitudo, aut representatio obiecti; sed quia est tendentia connexa, sicut funus cū igne: & sic dū adest reflexio virtualis, & exercita, in quolibet actu, posset quidē concedi actum intelligendū a quo modo esse signū instrumentale obiecti; non autem quod sit formale.

6. Arg. 2. Actus intelligendū, est formale medium inter intellectum, & obiectū: ergo signum: cū enim mediū in linea intelligibili.

Con

Conf. 1. ex P. Linc. actus intelligendi, vel non distinguitur a specie expressa, vel si distinguitur par est utriusque ratio; sed species expressa est signum formale: ergo & actus intelligendi. Secundo, signum instrumentale est signum ratione cognitionis sui: ergo, & ipsa cognitio: nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Tertio, cognitio est causa signi, siquidem ea mediante representatur intellectui: ergo actus intelligendi est ipsa significatio. Hæc P. Lincæus.

Resp. ad 1. quod actus intelligendi est medium per modum intendentiæ, non autem per modum obiecti, non vltimi formaliter aliud representantis, & ideo non est signum.

Ad 1. conf. resp. nec identificari actum intelligendi cum specie expressa, nec esse eandem rationem: quia nunquam actus se tenet ex parte obiecti, reddens præsens passivæ, quod requirebatur ad signum.

Ad 2. quod obiectum non redditur formaliter præsens, & significans potentiam per ipsam cognitionem, sed per suam intrinsecam intelligibilitatem, qua signum instrumentale terminat præexistentem cognitionem sui, & ideo non sequitur, quod cognitio sit magis signum, aut significatio.

Dub. 4. *An species impressa sit signum formale obiecti, quod representat*

**N**on loquimur de hac specie, ut reflexè cognita: sic enim

potest esse signum instrumentale obiecti, sed loquimur de illa ut in exercitio antecedit cognitionem, & est principium illius.

*Vnicuique conclusio.*

2. Resp. negativè. Sic M. Banez 1. p. q. 83. art. 2. conc. 3. futur. cap. 2. Summul. q. 2. ar. 2. RR. Ioã. à S. Un. q. 22. Log. a. 3. O. tract. 2. ceter. 1. cõmuniter nostrates; & prob. secundum D. Tho. q. 9. de potentia art. 4. ad 4. *venum est quod cognoscitur (per modum obiecti) in quo aliud cognoscitur.* Sed species impressa ut exercet suum munus non potest esse nota cum præcedat cognitionem: ergo ut sic nequit esse signum formale. ¶ Dices, quod in exercitio etiam in se sequitur, ob reflexionem virtuales cognitionis. ¶ Sed contra est, D. Tho. 1. p. q. 85. art. 2. vbi probat, quod hæc species est quo intelligimus tanquam principio, non vero quod intelligitur; & dato hoc non tenet intentum: quia esset tunc medium quod, seu per quod respectu reflexionis, non autem medium in quo: ac perinde nec signum formale. Præterea, illa reflexio fit in ipsa specie; nõ autem tendit media tali specie in obiectum ipsum in se attingendum: ergo ex illa male colligitur, quod species illa actu significet. Quod si actu representaret obiectum ut signum formale; nescio ut quod deberat poni species expressa si impressa sub vna formalitate representat ex parte principij, & sub alia est formalis terminus, in quo videtur obiectum.

obiectum, sed hoc non est dicendum: ergo.

*Soluantur obiectiones.*

3. Primo arg. ex D. Tho. Quod libero 5. articulo 9. ad 1. ubi ait. *Intellectus intelligit aliquid dupliciter. Nam modo formaliter & sic intelligit specie intelligibili (unpressa scilicet) qua fit in actu. Alio modo sicut instrumentum, & sic intelligit verbo.* Sed signum formale est quo intellectus formaliter intelligit: ergo species in se est signum formale.

Resp. signum non esse quo formaliter aliquid intelligitur, tantum principio quo cognoscendi a se, sed quo cognoscitur passivè formaliter obiectum, quia signum est medium in genere intelligibili passivo, & cum species impressa tantum primo modo concurrat non est signum.

4. Arg. 2. ut probat hic Huer. cōc. 2. species impressa cum sit formalis similitudo obiecti, & non tantum virtualis, representat intellectui aliud à se, si quidem intellectui afficit ut est representativa: ergo nihil ei deficit, ut de ea verificetur definitio signi. Nec obstat dicere, solum representare in actu primo. Nam ut sæpè dictum est, verba in definitione, non dicunt actum, sed aptitudinem, seu actum primum, ut patet in hac voce *homo*, scripta in libro clauso, quæ est actu signum, & si non representet in actu secundo, sed tantum in actu primo: ergo si hæc species in actu primo representat aliquid aliud à se erit verè, & proprie signum.

Resp. quod & si sufficiat representatio in actu primo, tamen debet esse in linea obiecti terminatiui medi (ut nullies dixi) & non sufficit esse quid representativum in actu primo per modum principij, qualiter contingit in specie impressa.

5. Si contra inses, quod species impressa ut talis nedum est principium, sed etiam est terminus, & finis cognitionis nostræ: ergo etiam est in linea obiecti terminatiui: ergo ex hoc capite non est cur non sit verè signum. Prima consequentia (vade cetera roborantur) constat: nam finis cognitionis nostræ est obiectum terminatiuum. Ant. prob. ex D. Tho. 3. p. q. 11. ar. 2. ad 1. ubi ait. *Manifestum est quod finis potentie visiva est cognoscere colores; finis autem potentie intellectiva non est agnoscere phantasmas, sed cognoscere species intelligibiles, quas apprehendit à phantasmatibus: ergo.*

Resp. ex Caiet. ibidem in responsione ad primum, quod finis nostræ intellectus non est cognoscere ipsas species impressas in se; sed cognoscere representata per ipsas, nempe quidditatem rei quam ipsa primario representat, quamque nominat D. Tho. speciem per metonymiam, quod cuius facile ex per to in doctrina de anima facillimè obvium erit.

6. Tandem proponenda sunt fundamenta P. Lincolni, arguit primo. Probabile est Angelos mutuo loqui impressione specierum in alio

rum intellectu: sed loqui est per signa animi sēs<sup>o</sup> exprimere: ergo species vt impressæ sunt signa. Secundo, probabile est secundum D. Th. q. 20. de verit. art. 4. Caic. 1. p. q. 36. & Celium Rhodiginum lib. 15. lect. 1. antiquarū cap. 15. quod species impressa non nisi vt prius cognita ducit in cognitionem alterius, sed quod sic ducit est signum: ergo. Tertio, quia hæc species est imago obiecti formalis: ergo signum. ¶ Resp. negatis illis probabilitatibus in via Thomistica; & si quid probant est, quod species reflexè cognita potest esse signū instrumentale (quod nu. 1. supposui) non vero quod vt exercet munus speciei impressæ, vtque est principium cognitionis directæ possit esse signum formale, quod nec per umbram ostendant argumenta ista. Ad tertium dictum iam est num. 4. & .

*Dub. 5. An sit, & quid sit signum instrumentale, & an bene definiatur à Sorot*

**D**abile esse signum instrumentale, & de facto dari experientia docet in fumo, & in omnibus vobis, quibus tanquam instrumentis vtimur, ad rerum cognitionem, & ad nostros conceptus alios aperiendo: ideoque probatione non eget.

2 Nec obstat dicere, quod implicat cognitione signi deuenire in cognitionem signati tanquam per causam in cognoscendo: sed hoc lo-

lo modo dabilis esset vñus signi instrumentalis: ergo. Prob. mai. nam causa debet esse perfectior effectu, & nō imperfectior; at cognitio signi est imperfectior cognitione signati cum illa sit obscura, & confusa, ista clara, & manifesta: ergo non possumus ex cognitione signi deuenire in cognitionem signati.

Resp. tamen, quod signum nō causat cognitionem signati media cognitione sui virtute sua, sed virtute signati, cuius intelligibilitatē in se participat, & ideo dicitur instrumentum signati; sic autem nō implicat, quod id quod est imperfectius in se causet aliquid se ipso perfectius.

3 Nec obstat obijcere secundo. Signum instrumentale est prorsus inutile ad cognoscendum signatum se mediante: at Deus, & natura nihil faciunt frustra: ergo non datur. Prob. mai. vel antequam videam signum, v.g. fumum cognosco signatū, v.g. ignem, vel non. Si primum frustra adhibentur huiusmodi signa instrumentalia, cum melius, & immediatius, & cū maiori compendio cognoscam signata per propriam speciem. Si vero secundum nihil deseruiet: nam si nullam habeo notitiam ignis quid prodest fumus; & si ignoro prorsus Neronem, visa eius imagine, ignarus etiam permanebo: ergo.

Resp. cum D. Tho. q. 1. de ver. art. 1. ad 2. & 3. & q. 2. de verit. art. 7. ad 5. quod ad vsū huiusmodi signi aliqua notitia requiritur signati,

et, fal. In in confuso, & aliqua igno-  
rātia, seu neclentia, factū in actū;  
& sic deseruit signum ad excitādā  
memoriā, quod & de usu, & uti-  
litate sacrarū imaginum docet Da-  
masc. lib. 4. de fide, cap. 17. & Chri-  
sost. eleganter hom. 3. in Ioan. De-  
seruit etiā ad delectationem, in-  
quit August. lib. 2. de Doct. Christ.  
cap. 6. legendus: dici enim haud fa-  
cile poterit quanta voluptate affi-  
ciat acrem intellectum proposito  
veritatis; etiā notæ alias, si aptis  
signorum tropis, inuoluerisque ob-  
ueleretur.

4. In cognitiōne significatiua in-  
strumentali duas interuenire cog-  
nitiones, ex quibus confiat quidā  
discursus, quarum altera signi est, al-  
tera signati, docet D. Thom. q. 9. de  
verit. art. 4. ad 4. & q. 12. art. 7. ad 5.  
& satis inuitur in eius definitio-  
ne. Sed quomodo se habeant istæ  
cognitiōnes explicandum est, vt me-  
lius definitio innotescat.

*Prima conclusio.*

5. In exercitio signi instrumen-  
talis, duplex cognitio exigitur: al-  
tera qua cognito signo in recto, &  
proportione eius cum signato, cog-  
noscatur signatū; non vltimatè, &  
in obliquo: altera verò, qua ex vi  
prioris cognitiōnis cognoscatur sig-  
natum. In recto, vt connotat in obli-  
quo signum, ex cuius cognitiōne iā  
peruenit intellectus ad signatum in  
se. Sic Hüert. hic; & prob. ex D. Th.  
q. 9. de verit. a. 4. ad 4. vbi docet, in-  
teruenire discursum in exercitio sig-  
ni instrumentalis, sumpta cognitio-

ne signi pro antecedenti, & cog-  
nitiōne signati pro consequenti, sed  
supposito hoc discursu, necesse est  
componere cognitiōnes eo modo  
quo statutz sunt in conclusiōne, vt  
cuique peruium est: ergo.

Conf. ex D. Thom. q. 8. de verit.  
art. 5. vbi ait: *Quod ex Herculis statua  
presumimus formare speciem, qua repræsen-  
tet Herculem secundum se, qua cog-  
nitio distincta est ab illa, qua cognoscitur  
Hercules in statua sua. Sed in huiusmo-  
di modo cognoscendi exercetur no-  
strum signum instrumentale, nec ali-  
ter potest verificari illa duplex cog-  
nitio, nisi modo à nobis assignato:*  
ergo.

6. Probatione. Exercitium sig-  
ni instrumentalis, distingui debet ab  
exercitio signi formalis: ergo non  
sufficit cognoscere signatum in sig-  
no: sic enim esset medium in quo;  
sed debet prius cognosci in signo im-  
perfectè, & in obliquo; & sic per a-  
liam cognitiōnem ex vi prioris at-  
tingere signatum in se: sic enim erit  
medium per quod. ¶ Dices: suffice-  
re ad distinctiōnem, quod præcog-  
noscatur signum instrumentale, vt  
res quædam est, quod non exigitur  
in signo formali: et si per eandē cog-  
nitiōnem cognoscatur signū, & signa-  
tū in illo. ¶ Sed contra est, quod cog-  
nitio signi vt res quædam est, v.g. ima-  
ginis vt lapis est, materialiter, & per  
accidens se habet ad formale ratio-  
nē signi, in qua hoc debet distingui à  
signo formali: ergo in linea signi de-  
plex exigitur cognitio in signo in-  
strumentali, sub modo iam prefato.

Tum etiam, signum instrumentale ut tale comparatur fini intermedio, sed exercitiū talis finis attingētiā duplicem adus appetitus exigit praefato modo: ergo & exercitiū signi instrumentalis duplicem illam cognitionem exigit.

*Soluntur argumenta.*

7 Sed contra, arg. 1. ad probandum, quod ad exercitiū cuiusmodi signi sufficit cognitio signati in signo, supposita cognitione signi ut res quaedam est. Nam D. Tho. 3. p. q. 25. art. 3. haec tantum cognitionis meminit in imagine; & inde probat eundem esse motum. Imaginem, & in rem imaginatam, quatenus est in imagine; sicut & in intellectu eadem cognitione cognoscuntur: ergo sicut saluatur adoratio rei in recto per imaginem, per unicum illum motum, ita saluabitur cognitio significatiua signati per signum per unicum illum motum.

Conf. ex doctrina D. Tho. q. 8. de veritate art. 5. ubi docet, quod Hercules potest cognosci, vel per propriam speciem sui, vel per speciem imaginis: primo modo duae sunt cognitiones, una rei in se, altera imaginis; secundo vero modo una tantum: at exercitiū signi instrumentalis adaequatè fit, & saluatur, quando per speciem signi, cognoscitur etiā signatum; non vero quando per propriam speciem attingitur in se; tūc enim quidditatiuè attingitur, & nō per signum: ut apparet cum modo in via cognoscimus Deum per creaturas, tanquam per signa, sine eo,

quod Deum in se videamus per propriam speciem: ergo.

8 Resp. quod voluntas non sequitur modum intellectus: nunc enim cognoscimus Deum ex creaturis, & tamen Deum in se amamus; licet ergo ea cognitione qua cognoscitur imago res imaginata in obliquo attingatur, tamen adoratio sequens illam cognitionē adorat prototypum in imagine in recto. Vel cum dicit D. Tho. quod sicut est vnus motus in voluntate adorantis, ita est vnus motus in intellectu, debet intelligi de motu vno discursiuo constituto ex duabus cognitionibus plures enim motus simplices voluntatis praerequirunt in intellectu discursū, ut est cōsensus, seu electio. ¶ Ad conf. resp. quod D. Tho. non negat, quod cum interuenit eadem species sit diuersa cognitio: videmus enim, quod cum Deū cognoscimus in creaturis, quasi ex signis altera est cognitio creaturarū, ut ducant in suam causam: altera est Dei per modum cōclusionis illatæ. Sed ait, quod cum interuenit videre signatum per propriam speciem; tuac est diuersa cognitio, & diuersi ordinis, nec vna cum cognitione signi, quatenus ex vtraque fit vnus discursus.

9 Arg. 2. estque replica. Ea quae cognoscuntur eadem specie, etiam eodem actu possunt cognosci: sed signum instrumentale, & signatum eadem specie cognoscuntur: ergo. Prob. mai. nam species cum sit contractior potentia; & habitu debet

proportionari cum actu. ¶ Resp. quod cum species se teneat ex parte principij actus, & principium semper habeat unitatem maiorem, quā effectus, ideo licet species contrahatior sit quam habitus, est tamen latior quam actus: nec bene arguitur, quod eodem actu queant cognosci, quæ unica specie impressa repræsentantur; ex quo ergo signum, & signatum eadem specie repræsentantur, non sequitur eadem cognitione semper attingi.

*Secunda Conclusio.*

10. Per accidens se habet ad rationem signi instrumentalis, & exercitium eius, quod præcesserit cognitio signata signi, ut res quædam est per propriam diffinitionem: nam per se solum requiritur cognitio signi, ut tale, secundum proportionem, quam habet ad signatū, & cognitio ipsius signati ex huiusmodi præexistente cognitione signi. Ratio est, quia non prima, sed secunda cognitio signi excitat ad cognitionem signati, & ducit in illud: sed per se solum comparatur ad usum, & exercitium signi, quod conducit, ut aliquid sit medium intelligibile ad cognoscendum aliud: ergo.

11. Si contra istes, cognitio per signum instrumentale est discursiva, & demonstrativa à posteriori; at in demonstratione à posteriori de subiecto præsupponitur an est, & quid est præcognitum: ergo de signo per se supponitur signata præcognitio quoad quid est eius.

Resp. quod in huiusmodi discursu

à posteriori signum non est subiectum, sed medium; ideoque non debet præsupponi signata cognitio quoad quid est; sed sufficit quoad an est.

*Tertia conclusio.*

12. Signum instrumentale exercet suam rationem, quatenus terminat cognitionem sui ut antecedit cognitionem signati. Prob. usus mediij à priori non consistit in cognitione conclusionis, sed præcise in cognitione præmissarum: sed signum est medium à posteriori: ergo eius usus, & exercitium non consistit in cognitione signati, quæ est quasi conclusio; sed præcise in cognitione sui, ut dicitur proportionem cum signato: sic namque quasi habet vicem præmissæ obiectivæ, in qua exercetur ratio mediij.

13. Si istes, signum ut potè medium intelligibile, debet proportionari cum medio appetibili; at illud non habet adæquatum vltimum, & exercitium, quatenus terminat electionem sui, sed potius exercetur, dum per illud assequimur finem: ergo similiter erit usus signi ipsa cognitio signati in se, qua assequitur, & apprehendit intellectus signatum.

Præterquam quod, si totum exercitium signi consumatur in signo, quatenus terminat cognitionem sui: ergo non requiritur illa duplex cognitio, quam assignavimus signo instrumentali. ¶ Resp. quod ipsa affectio finis ut dicitur apprehensionem eius, & fruitionem; causatur quidem à medio, vel ab usu eius; sed

non consistit in tali executione usus  
medij, quamvis inferat executio-  
nem: sic cognitio medijs, & usus ei  
inferat cognitionē signati in se, sed  
non in ea consistit. ¶ Ad conf. resp.  
quod cognitio signati complet cog-  
nitionem signi, quæ eam connotat,  
sicut præmissa connotant conclu-  
sionem, & eam inferunt necessario,  
sed non consistit formaliter eius v-  
sus in cognitione determinata sig-  
nati in se; sed in cognitione signi, vt  
proportionati cum signato.



## DISPUTATIO IV.

*De his in quibus reperitur usus signo-  
rum, maximeque signi instru-  
mentalibus naturalibus.*

Signa ad placitum non posse esse  
medium vt Deus cognoscat, que  
alijs non cognosceret, patens est:  
nam Deo omnia sunt nuda, & aper-  
ta oculis eius; ac perinde nō ad pla-  
citum hominum, sed ex sua natura  
vniuersa cognoscit; Angeli vero an  
possint vt i signis ad placitū proba-  
bile esse infra dicitur; & similiter  
de brutis. Certum etiam est, Deum  
nō cognoscere per signa formalia,  
imō neque Angelos, quia concep-  
tus eorum sunt mensuræ rerū cog-  
nitarū cognitione naturali, ac per-  
inde, nec dicunt deficientiam, nec  
subordinationē requisitam, vt ha-  
beant rationem signi formalis: re-  
linquitur ergo, quod in nobis, & in

potentijs infernalis brutorum solum  
fermentur signa formalia, quod ex  
dictis supra satis constat. Redire-  
tur ergo quam maxime cardo dis-  
putationis ad signa naturalia instru-  
mentalibus.

*Dub. 1. An in Deo sit usus huiusmo-  
di signorum?*

1 Pars affirmatiua defenditur a  
nunquam satis laudato Mag.  
Balthasare Nauarrete, quem hono-  
ris causa nomino, quemque, dum  
prima rudimenta liberalium artium  
in egregia domo S. Pauli Vallis-  
Olitani assumerem, & agnoui, &  
suspecti, tanquam vires quoddam  
virtutis, & Religionis simulachrum,  
tamen totius eruditionis rarium,  
tanquam Sacre Theologie oracu-  
lum. Hic inquam grauisimus M.  
cuius per plura lustra memoria a-  
pud pincianam Scholam Thomi-  
sticam viuet foelix; vix vniquam in-  
ter moritura; cōtrouert. 47. l. p. §.  
2. docet; Deo esse vsui huiusmodi  
signa, non quia illi sint media for-  
malia ad cognoscendum; sed quia  
cognoscendo signa cognoscit con-  
tinentiam, quam habent respectu  
signatorū, & proportionem cum  
illis, & hoc sufficere vt dicatur, illi  
esse vsui huiusmodi signa.

*Vna conclusio.*

2 Nihilominus pate tanti M.  
dixerim oppositū esse verius. Quia  
usus signi consistit in eo, quod mo-  
ueat, & excitet ad cognitionem sig-  
nati, ita, vt habeat rationem me-  
dijs; at respectu Dei non exercent  
signa

significationē mediū ductiui, & excitatiui, si quidem in se ipso tanquā in unico motiui videt omnia secū dum omnes continentias, & connexiones, quas habent, & omnia sola se habēt de materiali respectu Dei: ergo in eo non reperitur vsus formalis signorū. Tum etiam, esto Deus in actu signato cognoscat signa, & discursus nostros, tamen in actu exercito, neque discurret, neque signo ducitur; quia sicut discursus, ita & vsus signi instrumentalis dicit imperfectionē, cum discursus quidā sit, vt supra ostēdi: repugnat ergo Deo vsus, & exercitiū signi; solū que illi debemus attribuere cognitionē signi in actu signato; sicut etiā dixi in Logica, quod nō sequitur, si De⁹ cognoscat entia rationis, quod ea faciat, ibi disp. 2. dub. 8. §. 3.

*Soluantur argumenta.*

3 Quotquot existimarūt in Deo dari scientiā a posteriori, & vsū eius pugnant eōt. hanc concl. & potest argui. 1. Nam si ob aliquā rationē Deus non posset vti signis ad placitum, maximē, quia omnia videt in se: sed hoc non obstat, quin etiam videat signata per signa tāquā per diuersum mediū: ergo. Prob. min. ex D. Tho. in 1. dist. 27. q. 2. ar. 2 ad 4. vbi ait: *Concedendū est, quod Pater intelligit in Filio, & se ipsum, & alia, in quantum videt filium esse similitudinem suam, & omnium aliorum; sicut principium videtur in eo cuius est principium, etiam si in se ipso videatur. Possunt enim videre hominem in imagine sua, quamuis ipsum etiam per se videam. Et in-*

*fra, quod Pater videt se in Filio, sicut & se ipsum in creatura videre potest, in quantum ipsum in creatura repræsētat, licet imperfectē; sed creatura sic repræsētat imperfectē, per modū signi repræsētat: ergo si præter cognitionē, qua De⁹ se ipsum videt in se, videt etiam se in creatura imperfectē repræsētatū, habet vsū signi instrumentalis. ¶ Conf. Etsi beati videant Deum in se, possunt tamē imponere nomen Deo, quo ipsum extra Verbum intellegant, quod & videtur admittere D. Thom. 1. Cōtrag. cap. 31. & in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. quæstionc. 4. iuxta illud Zachariæ capit. vlt. in illa dixerit Dominus vnus, & nomen eius vnum. Sed hoc nomē Deum repræsētabit per modū signi: ergo & Deus idem poterit tanquam per diuersum mediū facere.*

4 Resp. Quod Pater videns se in Verbo ex fœcunditate, semper habet pro medio suam essentiam, qua videt etiam, quomodo repræsētat in creaturis imperfectē: sed hoc videt signate, non exercite; ac perinde non sequitur habere vsū signi instrumentalis. Nec illud exemplum de visione alicuius in imagine, cū videtur in se, vt get, quia non ad omnia adæquatē adducitur; sed vt aliquomodo explicet suam essentiam, sicut & in alijs exemplis contingit.

Ad conf. concedo, quod beati extra verbum possint cognoscere per signa, quod intra verbum in se cognoscunt exercite; hinc tamen

nihil contra nos, quia Deus nō potest exercite moueri, nisi a sua essentia, neque extra illā aliquid cognoscere per medium distinctum, quod licet beatis, qui extra verbū habere possunt cognitionē imperfectam.

5 Arg. 2. Deo non repugnat discursus obiectiuus, sed solum formalis, vt q. 14. 1. p. art. 7. docet D. Thom. Sed posito discursu obiectiuo saluatur exercitium signi; nō est ergo cur Deo denegetur.

Dices, non repugnare Deo exercitium signi, quia nō uult discursum, sed quia hic debet esse a posteriori, qui nec virtualiter, & obiectiue, conceditur Deo in exercitio. ¶ Contra est, Deo concedi consilium, & electionem 1. par. q. 19. artic. 8. quæ important discursum a circumstantiis, & etiam a posteriori: ergo hac ratione non debet Deo denegari exercitium signi instrumentalis.

Resp. Non concedi Deo consilium, quātum ad imperfectionem inquirendi media, ita vt ab illis determinetur, & moueatur, sed solū quantum ad certitudinem; de quo D. Thom. 1. 2. q. 14. artic. 1. ad 2. neque electionem, ita vt per medium determinetur eius intentio; sed quoad ipsos effectus creatos, quorum vnus est causa alterius, vt docet D. Thom. 1. p. q. 19. art. 5. & q. 25. art. 5. Et ideo dico, nec debere admitti consilium signi, quod exigit determinare cognoscentem, ita vt signum sit illi notior signato, & ita

vt determinet, quæ quia dicūt imperfectionem omnino relegantur a Deo.

Dub. 2. Verum apud Angelos possit esse usus, & exercitium signi instrumentalis?

1 Secundum D. Tho. & Thomistas 1. p. q. 58. art. 3. in corp. & ad 2. certum est, quod Angelus, nec potest discursiue cognoscere obiecta sibi connaturalia, neque cognitione imperfecta, & cōfusa, & per media minus nota; cum omnia illa in seipsis cognoscat, & vnico intuitu quæcumque sub eadē specie continentur, etsi quandoque possit uti non adæquatè tali specie, nunquā tamen cum discursu, & cōfusione. Ex quibus cogor asserere, quoad talia obiecta non posse uti Angelos exercitio signi. Dubiū est circa ea, quæ sunt naturaliter illi occulta, vt sunt misteria supernaturalia, cogitationes cordiū, & futura contingētia: & currit dubium in Angelis prauis, qui ob nimiam superbiam immutare conantur præcognoscere, quæ illos latent: nam Angeli beati, se habent circa hæc negatiue, spectantes reuelationem Dei prout ipse dederit, ne se exponant periculo errandi. Dubium etiam potest esse circa memoriam eorum, quæ præteriere.

*Prima Conclusio.*

2 Gratis admitta memoria, & remota ratione in Angelis, quam videtur admittere D. Tho. 1. p. q. 54. art. 5. ad 2. non dantur in Angelis signa rememoratiua, Quia ad me-

memoriam excitandam non excitatur ab obiecto, v. g. ex eo quod homines loquatur de tali obiecto, vel pictor illud effigiet, sed merè mouetur à sua voluntate à qua determinatur, vel ad attendendum ad hæc, vel ad reuocandas in vñm suas species: ergo. Ant. est D. Tho. q. 8. de verit. art. 13. ad 2. & q. 9. artic. 4. & l. p. q. 107. art. 4. Et ratio suadet, quia Angelus sicut non accipit species à rebus quoad cognitionem naturalem, ita neque ab illis mouetur, aut excitatur.

*Secunda Conclusio.*

3 Respectu eorum, quæ naturaliter latent Angelum, vti potest coniecturis, & signis. Sic Ortiz tractatu 2. conf. 14. & cõstat ex D. Tho. q. 9. de verit. art. 4. ad 4. ibi: *Angeli cognoscunt res per signa, & vnus Angelus alteri loquitur per signum.* Vide ibidem ad 12. & in 2. dist. 11. in 2. parte expositionis text. & q. 1. art. 3. & 1. ad Corinth. 13. lect. 1. agens de locutione Angelica, qua Angeli mutuo secreta cordis aperiunt ad inuicem, ait: *ad quod est naturaliter notum proponitur in signũ eius, quod est ignotum, & sic manifestatur occultum.* Et ferè idem habet q. 9. de verit. art. 1. Et ratio est, quia mali Angeli per coniecturas conatur scrutari cordis abditas cogitationes, & etiam tentabãt per multa media, an Christus esset verus Deus: sed hæc omnia specialiter miracula, quæ signa vocantur in textu sacro, sunt signa quædam imperfecta: ergo illis vti potest Angelus. Præte-

rea locutiones Angelicæ sunt mediante aliquo notiori, vt ait D. Th. sed hæc cum aliqua deficientia manifestãt, & quasi à posteriori, quod latebat in Angelo loquente, nam si à priori manifestarent cognitio medio, tenebatur quilibet Angelus penetrare conclusionem necessario connexam, cum tali medio: ergo verificatur cognitio significatiua in Angelis in actu exercito.

*Soluantur argumenta.*

4 Oppositum defendit Nugn. 3. p. q. 60. art. 4. dub. 1. ad 1. & probari potest. Eo non dantur signa rememoratiua, quia Angelicus intellectus nõ excitatur ab obiectis; sed nec in locutione excitatur, sed per ea quæ antea cognoscebat cognoscit mentem alterius eo ordinante ad alterum suũ cõceptũ, vt satis aperte docet D. Th. 1. p. q. 107. art. 1. ad 3. & q. 9. de verit. 2. 4. ad 9. ergo adhuc in locutione Angelica cũ aperiuntur illi cogitationes occulte non datur vñs signorũ. ¶ Respondeo quod D. Th. nõ negat excitationẽ obiectiua; sed solũ effectiua per immersionẽ specierũ in locutione Angelica, & primum sufficit ad signa: quod quia nõ datur in rememoratione; sed præcisè voluntatis determinatio, negauimus signa rememoratiua.

5 Ad vñm signi instrumentalis requiritur discursus quidam, ita vt cognitio signati causetur ex cognitione signi; nam si in signo penetratur signatũ (vt videtur contingere in locutione Angelica) non salua-

ur, quod signatum sit mediū per quod; sed solum quod sit medium in quo: ac perinde nec saluatur vsus signi instrumentalis, sed ad sum mū signi formalis (quod in medio extrinseco contingere nō potest) atqui nullus Theologorum dixit, quod hoc ipso, quod vnus Angelus percipit locutionē alterius discurret: ergo ibi non interuenit vsus signi instrumentalis. Mai. est D. Tho. 3. p. q. 60. art. 4. quod lib. 7. q. 1. art. 1. & q. 9. de verit. art. 4. ad 5. & q. 11. art. 1. Min. admittitur ab omnibus, & conseq. est bona. ¶ Si dicas ibi interuenire discursum formalem, nō ex parte cognoscentis, sed ex parte obiecti, ac per consequens, cum discursu illo obiectiuo (sine subiectiuo) saluatur in Angelo vsus mediij, per quod, quia licet simul vnum, & alterū cognoscat: tamen reuera id per quod fit locutionis est mediū per quod, ad id, quod per eam manifestatur. ¶ Contra est, quod hac ratione deberet admitti in Deo vsus signi instrumentalis, siquidem apud ipsum, inuenitur verus discursus obiectiuus etiā à posteriori: creaturæ enim in se ipsis sunt medium per quod diuinitate cognoscitur Deus. Tum etiam quia D. Tho. 1. 2. q. 8. art. 3. docet, non esse eundem actum intentionem, & electionem, quia vtraque attingit diuersum obiectū vt quod, & nō vnū in alio, qua propter etiā hi actus distinguuntur in Angelis; sed etiā exercitiū signi instrumentalis, petit duo obiecta, vt quod; vt dixi disp. ant. ergo,

6. Resp. Ad 1. replicam, nō se: qui idem in Deo, quia ibi non mouetur ab obiecto, sicut Angelus in locutione mouetur ab obiecto proposito: vide dicta dub. ant. Ad 2. dico, quod si actus sit eminent, potest duo obiecta vt quod attingere si ea sint ordinata: at actus cognitionis Angelicæ est discursiuus eminenter; & ideo potest illa duo obiecta simul attingere, saluo exercitio signi. Nec est idem de electione, & intentione, quia Angelus non est electiuus, & intentiuus eminenter, sed formaliter; & ideo ad quodlibet obiectū vt quod attingendum indiget nouo actu.

*Dub. 3. An in brutis detur vsus signi instrumentalis, siue naturalis, siue ad placitum?*

*¶ 1. In brutis non est vsus signi ad placitum.*

1. Hoc statuitur contra P. Lincaum, qui lib. 6. Dialecticæ tractat. 2. cap. 1. n. 8. conatur suadere talem vltimū in belluis. Sed mea conclusio manifesta ratione constat: quia exercitiū huiusmodi signi ad placitum esse non potest, vbi non percipitur proportio inter signū, & signatum, & ratio proportionandi: at id quod proportionat signum ad placitum cum signato, vel est forma rationis, vel denominatio extrinseca, & proportio ipsa non est naturalis, & realis, sed rationis, sed nihil ex his cognosci potest à potentijs sensitivis belluarum, cū nihil ex his sit sensibile; ergo.

Tum,

Tum, quia Hispanus non percipiens impositionem, & significationem idiomatis Syriaci, non habet exercitium signi ad placitum, quia non casset impositionem; at qui magis belluæ ignorant voluntariam impositionem cuiuslibet idiomatis, quã os Syriacũ. ergo. Tũ deniq; quia ex opposito magna ansa datur errantibus, dicentibusque vsum aliquem rationis in esse brutis, vt stultè credidit Galen. & Laurent. Balla, (apud Bañ. 1. p. q. 78. ar. 4. dub. 2. & apud Huert. lib. 1. sum. c. 2. q. 1. art. 6. cõclus. 1.) Porphir. lib. de abstinent. Plutarch. de industria animal. & Laetant. lib. 3. diuin. instit. cap. 10. & Petrus Gillius in præfatione ad libros de animal. ex Eliano, & alijs; & Cic. in 5. Tulcul. qui & lib. 2. de hist. animal. cap. 14. de Maurorum leonibus, qui percipiunt quidquid eis dicitur, luduntque cum pueris, & sine vilo pauore ad stabula admittuntur, & caulas miras recantat fabulas, quas si legisset P. Linc. ibi, fulcisset vtique sua scripta noua, eruditione, parumque trita notitia. ¶ Sed contra hæc videndi sũt Bañ. loco citato, M. Serra 1. 2. q. 1. art. 2. M. Baptista 1. 2. tom. 2. disp. 138. dub. 2. & 3. & D. Tho. 2. 2. q. 165. art. 2. ad 4. & q. 6. de pot. art. 5. ad 3.

2. Obijcit P. Linc. plures historias quibus Elephantos vocatos venisse, saltasse ad liram, scripsisse literas, & alia id genus plures alias belluas, nuda vocum humanarum

peregisse. Sed inde non probatur vti signis ad placitum. Sed quedã peregere miranda supra caput, quando que metu demonum, qui belluæ rationis vti præcis persuasit, sicut Aegyptijs diuinitatem serpentibus, alijsque vilissimis animantibus concedere coegit, de quo Lucretialis tota Sit. 15. irridens infremat: alijs verò, quod homines post mortem in bruta, sicut è contra concessibile ingressi. ¶ Sed reuera illa belluæ, de quibus P. Linc. nõ cognoscebant impositionem vocum nostrarum; sed quia ad earum prolationem, aut cedebantur, aut cibo, & potu ablegabatur, consuetudine quadam acta ea cedebant facta; quod & Perius ante primam Satiram egregiè expressit, dũ ait: *Quis expeduit Esitaco suum cinere? Picaeque docuit, nostra verba conari? Magister artis, ingenijque largitor Venter: negatas artifex sequi voces.*

¶ 2. Nec apud bruta inuenitur formalis usus, & exercitium signorum instrumentaliu in actu rationalium.

3. Conclusio est negatiua, quia bruta solum materialiter vtuntur huiusmodi signis: tenet Huertos probabiliter hic quest. 1. artic. 6. & inuicitur a Caetano 1. 2. quaestione 40. articulo 3. Et prob. secundum Diuum Thomam quaestione nona de veritate articulo quarto ad quartum, ad vsum signi requiritur quidam discursus; & ex

ipso 2. 2. q. 110. art. 1. exigitur vis collatiua; sed bruta neutrum habent: ergo nec habent formale exercitium, aut usum signi instrumenta-  
lis. ¶ Conf. Eo bruta non operantur propter finem, neque ex intentione illius, sed ab instinctu, & solum materialiter eligunt, & intendunt, neque proportionem medij cum fine attingunt, aut percipiunt. De quo D. Thom. 1. 2. q. 40. art. 3. sed signū est medium quoddam intelligibile: ergo si ex defectu collationis, & discursu nequeunt bruta cognoscere eius proportionem cū signato, neque ex illo moueri, non habebunt formaliter usum, & exercitium signi, sed solum materialiter, sicut non habent electionem formaliter, sed tantum materialiter. ¶ Conf. 2. quando gallina audita voce galli occurrat ad granum; vel ouis audito lupi ululatu fugit, non ducitur illa ab illa voce in cognitionem grani, neque hæc ab ipsa voce in cognitionem lupi; sed ad præsentiam uocis, vel ululatus, ab instinctu ductoris mouetur in cognitionem grani, seu ad fugam lupi cogniti: ergo non habent formalem usum signi. Consequentia videtur bona, quia ad usum formalem signi requiritur, quod signum formaliter ducat in cognitionem alterius. Ant. autem prob. Tum quia sine virtute collatiua, qua carēt bruta, nequit vnum mouere ad cognoscendum alterū. Tum, quia moueri ab instinctu docet D. Tho. innumeris locis, quos

videre poteris per otium, scilicet; 1. p. q. 83. art. 1. & 1. 2. q. 1. art. 2. & q. 11. art. 2. & q. 15. art. 2. & q. 16. art. 2. ad 2. & q. 17. art. 2. ad 3. & q. 26. art. 1. & q. 40. artic. 3. & 2. 2. q. 110. art. 2. & in 2. dist. 20. q. 2. art. 2. ad 5. & dist. 24. q. 2. art. 2. & dist. 25. art. 2. ad 7. & in 3. dist. 26. q. 1. art. 1. ad 4. & alibi passim.

*Soluntur Argumenta.*

4. Oppositum tuentur Sot. lib. 1. Sum. cap. 2. Huert. ibid. q. 1. art. 6. citans Lunam, RR. M. Ioann. a S. Thom. disp. 21. Log. art. 6. & M. Mart. de Prado lib. 1. Dialect. cap. 2. n. 2. & Ortiz tract. 2. conf. 15. Et prob. auct. August. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 2. *Habent* (inquit) *bestie quadam inter se signa*. Fereque idem habent Chrysost. hom. de turture, tom 5. & S. Basil. hom. de Paradiso circa medium, D. Tho. q. 9. de verit. art. 4. ad 10. & q. 24. art. 2. ad 7. & 1. Meth. lect. 1. vbi docet, bruta signis manifestare suos conceptus, & quod ex memoria flagellorum ab Agasone inflictorum apprehendant sæpè locum, vt inimicum, & recalcitrant ad transitum. Sed usus formalis signi consistit in eo, quod ex noto deueniatur in notitiam ignoti: ergo.

Resp. cum Caiet. 1. 2. q. 13. art. 3. ad 2. & q. 40. artic. 3. quod sicut horologium videtur moueri a se, & tamen mouetur ab artifice, sic bruta videntur agere a se propter finē, & moueri ab vno in aliud, & collatione, & cognitione proportionis vnius ad alterū; & tamen re-

nera nō sic est, sed mouētur ab Au-  
ctore naturæ ex instinctu; vt præ-  
ter loca adducta, docet D. Tho. 1.  
p. q. 91. art. 3. ad 3. & q. 18. de verit.  
art. 7. ad 7. & 3. Ethic. lect. 18. ha-  
bent ergo propria signa quoad v-  
sum materiale, non quoad for-  
male.

5 Arg. 2. Disciplina, & mori-  
gerationi non subsunt, quæ ab in-  
stinctu mouentur; at bruta quædā  
nō à principio, sed mora temporis  
capiunt aliqua signa: ergo non mo-  
uentur ab instinctu; sed ab ipsis sig-  
nis. Ant. prob. quia canis nō statim  
suo nomine audito venit; sed plu-  
ries eo repetito, nec Psittacus à prin-  
cipio reddit voces humanas, sed  
multa instructus disciplina; idem-  
que contingit in elephante, simia,  
& alijs morigeris belluis: ergo.

Resp. quod instinctus se accom-  
modat eorum nature, vt de imper-  
fecto ad perfectum procedat: quis  
enim neget auem a natura volare,  
& tamen volare edocetur à vo-  
lucre parente? Vide Caiet. 1. 2. q.  
13. art. 7. in resp. ad arg.

6 Arg. 3. frustra, & fictè poni-  
tur instinctus vbi est potestas ope-  
randi ab intrinseco: at bruta gau-  
dent memoria ad cuius vsum ex  
præsentia obiecti excitatur ad cog-  
noscenda præterita, vt sæpè appa-  
ret in stolidis, & inertibus alinis,  
qui accedentes ad locum vbi sunt  
flagris acti, recordantur: ergo frus-  
tra uti soga ad instinctum. Præter-  
quam quod si Deus mouet, vt quid  
requiramus nos præsentiam signo-

rum: cur ouis non fugit nisi ad odo-  
rem, vel audirum lupi, vel ad quid  
hæ potentia date sunt si non ex il-  
lis, sed ex instinctu operantur?

Resp. quod memoria illa non  
est in brutis cum collatione (hoc  
enim reseruat remiscētia, que  
solum est in homine secundum D.  
Tho.) sed vt ex instinctu cognosci-  
tuo modo procedant ad obiecta  
præterita; nec frustra Deus exigit  
in illis præsentiam signorū, vt mo-  
ueat bruta per instinctum: quia sic  
cognoscendo imperfectè signa, &  
operando ex instinctu excedunt ve-  
getabilia, & proximè, licet imper-  
fectè accedunt ad modum cognos-  
cendi humanum, vbi per signa fit  
cognitio perfecta signati.

*Dub. 4. An in sensibus externis detur  
usus signi instrumentalis for-  
maliter?*

1 **C**onclusio est negatiua. Ante  
cuius probationem suppo-  
no, quod cum sensus externi termi-  
nentur ad rem ipsam in se cognitā  
immediatè, nullum formando ver-  
bum, vt docet D. Thom. 1. p. q. 83.  
art. 2. ad 3. & quodlib. 5. a. 9. ad 2.  
& q. 2. de verit. art. 5. non datur in  
illis signum formale. Sed nec dari  
vsum formalem signi instrumenta-  
lis libet modo defendere cum RR.  
D. Episcopo M. Arauz. & alijs Tho-  
mistis communiter. Quia ad huius  
modi vsum requiritur (ex dictis re-  
ta hac disputatione) collatio, &  
discursus, vel formalis, vel vbi-

lis, sed neuter est in vita, & in alijs sensibus externis, quod & expressè docet D. Thom. q. 8. de verit. art. 15. in princ. corp. quia non deueniunt sensus ex cognitione vnus in cognitione alterius: ergo. Vbi nota certū esse ibi nō dari discursum formalem: at virtualiter, & obiectiuus solū conceditur Deo, & Angelis ob intellectus eminentiam, nullū ergo est in sensibus vbi cognitio, & modus cognoscendi est imperfectissimus.

2. Præterea, notitia sensus est experimentalis, quæ terminari nō potest nisi ad id quod coexistit præiens cum sensu, vt cum D. Tho. lib. 2. de anim. & 1. p. q. 78. artic. 4. docet ibi Caiet. & Thomistæ, Ferrar. 1. Contrag. cap. 53. & alij: at qui vsus signi intramentalis, præter cognitionem signi, exigit cognitionem signati, quod est absēs, vt disp. ant. lat. ostendi; ergo talis vsus nequit formaliter admitti in sensibus externis. ¶ Dices, sufficere, quod attingatur signatum in signo, seu Hercules in statua. Sed contrarium ostendi loco iam citato. ¶ Præterea, signatum habet in signo solum esse intentionale, & representatiuum, at sensus externus nō habet pro obiecto, nisi quod est sensibile; esse autē intentionale nō est sensibile: non ergo attingit talis sensus esse, quod habet signatum in signo; sed solū esse coloratum, quin apprehendat, at sint hæc similia prothotypos, ac perinde solum materialiter attingit signū. Quod ex dictis dub.

ant. amplius patet: nam si bruis de negatur ille vsus ob defectū collationis, quāto magis sensibus externis?

*Soluantur Argumenta.*

3. Oppositum defendit RR. M. Ioan. à S. Tho. q. 21. Log. a. 6. cōcl. 2. Ortiz tract. 2. de sig. cōf. 15. cōcl. 2. Et prob. ex Aug. lib. de magist. to. 1. vbi ait: *Dic ergo signa, quæ verba sunt, ad quæ sensum pertinent?* Resp. *Ad auditum.* Quid gestas? Resp. *Ad visum.* Sensus ergo dari in his sensibus signa. ¶ Cōf. ex doct. D. Tho. q. 3. de verit. art. 15. quod & tradit 3. Contrag. cap. 49. vbi ait: *Quod videre Socratē in imagine, sufficit ad cognoscendum Socratem.* Et infra: *Visus externus videt Herculem in statua, ver similitudinem statue:* Ergo videt signatū in signo, & habet signi exercitiū formale. ¶ Resp. ea signa vocari ab Aug. visus, vel auditus, non quia ibi exerceant rationem signi; sed quia per eos sensus ingrediuntur species ad intellectū, in quo ex illis speciebus est formalis vsus signi. At D. Tho. solū ibi sentit; quod materialiter cognoscit sensū vnū in alio; nō vero formaliter; quod patet ex cōtextu, & ex doctrina data in ant.

4. Arg. 2. sensus, v.g. visus discernit inter sensibile proprium, & commune, & inter sensibilia propria discernit inter albū, & nigrum: ergo etiam discernere potest inter statuam, & Herculem, vt est in statua: ergo potest cognoscere signatū in signo. ¶ Resp. Sensum non distinguere inter sensibile commune, &

proprium, quia ad hoc datur sensus communis, ut docent D. Thom. 1. p. q. 78. a. 3. & 4. & ibi Bañ. & Caiet. & Ferr. cum D. Thom. 2. Contrag. capit. 66. & videri potest concord. Bergom. dub. 1123. Sed hoc dato, dico, posse inter illa discernere, quia omnes illæ sunt differentiæ sensibiles; non posse vero discernere inter statuas, & Herculem, quia Hercules non habet esse sensibile in statua; ut dictum est num. 2.

Arg. 3. contra hæc. Idem est motus in imaginem, & in rem imaginatam; ergo si sensus tendit in imaginem, tendere potest in rem imaginatam. ¶ Resp. Eundem esse motum si attingatur imago formaliter, ut imago; non si solum materialiter: at sensus non attingit formaliter imaginem, ut imago est alteri, ideoque non attingit in illa imaginatum, nisi materialiter.

Dub. 5. An idea artificis habeat rationem signi instrumentalis, respectu artificiatorum. 2.

1. Idea cum non sit species impræfusa, non est medium tantum quod aliud cognoscitur; & quamvis sit verbum mentis, non est solum medium in quo, quia non habet rationem idæ, ut est in exercitio imago obiecti; sed ut habet esse cognitum, ut quod reflexe, ut exemplar. Sic D. Thom. 1. p. q. 15. ar. 2. in corp. & ad 2. & q. 3. de verit. art. 2. & alibi pluries: non ergo est signum formale, sed solum dubitatur an sit signum instrumentale artificiatorum.

2. Conclusio est negativa: quia causa principalis, & mensura alienius, est medium cognoscendi a priori; non autem medium a posteriori deficiens in esse representatio, & intelligibili, ut ostendi disp. 1. huius tract. dub. 5. & 6. at idæa est causa principalis; & mensura artificiatorum, ut docet D. Tho. in 1. dist. 36. q. 2. art. 2. ad 2. & 1. p. q. 15. per totam, & q. 14. artic. 8. ergo idæa artificis nullo modo est signum artificiatorum.

3. Arg. contra: idæa ut medium prius cognitum representat artificiatum cum quadam deficientia; ergo est signum: consequens est bona, & prob. ant. quia deficit ab illo modo quem habent artificiatum extra causas: sed hoc sufficit ut verbum mentis representet cum deficientia: ergo. Prob. ant. ex D. Th. 1. p. q. 18. a. 4. ad 3. ubi ait, quod domus verius esse habet in se quam in mente artificis; idæa ergo in linea veri deficit ab artificiato. Resp. hinc probari, quod idæa diuina sint signa cum deficientia, quod nullus admittit. 2. Dico, quod illa deficientia est negativa, & per excessum, sicut medium a priori deficit ab imperfectione, quam in se habet conclusio; quæ verius quali extensivè habet esse in se; cum in se cognoscitur, quam in medio, & per principia: sed quia veritas conclusionis est in illo medio tantumquam in causa, absolute excedit, ac perinde non dicit positivam deficientiam, quæ requiritur ad rationem signi.

( ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ )

## DISPUTATIO V.

*De obiecto motiuo, & terminatiuo.*

*Dub. 1. An hæc diuisio sit essentialis, & in linea obiecti, seu an obiectum motiuum sit in linea obiecti?*

1 Intellectus creatus est potētia passiuā, & actiuā; primum habet quatenus informatur determinatur, & perficitur; completurque in actu primo ab obiecto; vel in se, vel mediante specie impressa, secundum competit vt vitaliter producit intellectionem; & obiectum dicitur mouens, vt sub prima ratione informat intellectū, & terminans, quatenus ad ipsum tendit in actu secundo intellectus media intellectione. Suppono, quod immissio specierum spectat ad lineam entis in obiecto, & ideo solum inquirō, an vt informat obiectum, & sic est motiuum sit in linea obiecti.

*Vnica conclusio.*

2 Hæc diuisio est bona; quia nō est inuenire alia obiecta, nisi ista; sed tamen ratio motiui non est formuliter in linea obiecti, sed solum præsuppositiuè. Habet fundamentum in D. Tho. 1. 2. q. 18. art. 2. ad 2. & q. 73. art. 3. ad 1. quatenus ait. Obiectum potētiæ esse materiam circa quam, at non materia circa

quam, vt mouet (sic enim est forma intellectus) sed vt terminat: ergo solum vt terminatiuum habet rationem obiecti. ¶ Conf. secundum D. Tho. 1. p. q. 73. art. 3. ad 1. potētiæ specificantur ab obiectis medijs actibus, at quod est finis, & obiectu actus non est id a quo procedit, sed ad quod terminatur, teste D. Thom. in 1. dist. 1. q. 2. art. 1. ad 2. & dist. 3. in 2. exposit. litt. ergo.

3 Prob. 2. obiectum motiuum, vt tale, tenet se ex parte principij, & actus primi, cui quidem vt completo aliquid obijcitur: at obiectū dicitur ab eo, quod est obiecti: ergo obiectum vt motiuum non habet propriam rationē obiecti. sed hoc reseruat terminatiuo, quod propriè obijcitur. Denique potētia intellectiuā; vt potē vitalis, est per se actiuā, & solum præsuppositiuè passiuā: ergo per se habet vt obiectum, quod eam perficit vt actiuā, & solū præsuppositiuè, quod eam perficit vt passiuā: at obiectū vt motiuum eam perficit, vt est actiuā, & vt terminatiuum eam perficit obiectum terminatiuum: ergo hoc solum per se habet rationē obiecti, cum alterum habeat rationē formæ intrinsecæ. Vnde hanc sententiam tuentur Huert. lib. 1. Summul. cap. 2. q. 4. art. 1. & Caiet. 1. p. quest. 27. artic. 1. §. ad cuius euidētiam.

*Soluuntur argumenta.*

4 Oppositum defendit RR. M. Ioann. a S. Tho. q. 21. Log. ar. 4. Et

Et prob. nam ab eo, à quo specificatus actus habet rationem obiecti, cum actus ab obiecto specificetur: at actus specificatur ab obiecto, & secundum quod habet rationem termini, & secundum quod habet rationem principij, seu motiui: ergo non minus propriè habet rationem principij obiectum motiuum, quam terminatum. Maior videtur expressa doctrina D. T. 1. 2. q. 9. art. 1. & q. 18 art. 2. ad 3. & min. etiam est D. Tho. ibidem. Et 2. de Anima lect. 6. & 1. p. q. 77. artic. 3. ergo. ¶ Resp. quod actus nendum ab obiecto specificatur, sed etiam à principio, seu à forma tenente ex parte principij, seu ab obiecto motiuo; vnde solum obiectum terminatum habet strictam rationem obiecti, quamuis nomine obiecti large sumpti, etiam veniat obiectum motiuum: & sic vocat eum obiectum D. Th. locis adductis.

5. Arg. 2. Eo obiectum motiuum, vt tale, non esset obiectum, quia vt probat Huert. sequeretur, quod obiectum efficit; sed hæc ratio est nulla: ergo. Prob. min. nam obiectum motiuum non efficit, nec mouet quantum ad exercitium: sed mouet quoad specificationem informando potentialitatem passiuam intellectus; sed hoc nō est efficere: ergo. ¶ Conf. quia D. Tho. 1. 2. q. 9. art. 1. explicat quid sit mouens quoad exercitium, quid vero quoad specificationem, ait, primū esse, quod mouet ex parte subiecti.

Secundū vero, quod mouet ex parte obiecti: sed obiectum motiuum specificando mouet: ergo habet veram rationem obiecti. ¶ Resp. quod obiectum motiuum, quod vel per se, vel per suam speciē faceret potentiam, & habeat metaphoricum concursum respectu intellectus, similem illi quem habet vir in ordine ad foeminam respectu fetus, fit quod, & si sub inadæta quadam ratione non efficiat; tamen adæquatè sumptum efficiat; ac perinde dato, quod sit vere obiectum, deberet concedi, quod obiectum efficit: & cum D. Tho. dicat, quod non mouet quoad exercitium, & quod se tenet ex parte obiecti, non negat, quod ratione adæquata efficiat, nec quod sit strictè obiectum, sed solum quod non est primum mouens, & efficiens, seu primum applicans ad efficiendū, nec secundum omnem rationē, quod lata quadam ratione habet se vt obiectum.

5. Ex dictis collige, quod et si hæc diuisio non sit superioris de inferiori, quia propria ratio obiecti non inuenitur in obiecto motiuo; est tamen bona, quia per se habet obiectum, licet præsuppositiue mouere, & informare potentiā, & eam determinare ad intelligendum, & cum ea concurrere, & eadem de habet esse obiectum per hoc, quod notitā terminet, & sic est diuisio eiusdem in varia munera per se subordinata.

Dub. 2. *An sit eadem, vel diversa ratio obiecti motiui tantum, & ratio signi instrumentalis?*

I CVM obiectum motiuum, & terminatiuum simul ad notitiam sui moueat, & eam terminet; certum est distingui a signo instrumentali, quod notitiã non sui, sed alterius debet terminare, aut saltem excitare ad illam. Sed ne sit questio de voce statuenda est definitio obiecti motiui tantum, & signi instrumentalis. Primum sic definit M. Soto: *Est quod mouet potestatem ad formandam notitiam, non sui, sed alterius representatiuam.* Secundum vero sic. *Quod præexistente cognitione sui aliud a se representat.* Nec intendimus inquirere, aut statuere distinctionem realem inter hæc duo: sed satis est, an sit formalis, & secundum rationem ratiocinatam; coincidunt enim ista duo in eodem materiali.

*Vnica Conclusio.*

2 Ratio signi instrumentalis, & ratio obiecti motiui tantum, distinguuntur, ad minus formaliter. Sic RR. M. Arauj. 3. meth. q. 2. artic. 2. dub. 4. M. Ioann. a S. Thom. q. 21. Log. art. 4. & Huert. hic cap. 2. q. 4. art. 2. Prob. obiectum, ut motiuum formaliter, est in linea principij, & non in linea obiecti terminatiui; at signum instrumentale est in linea termini mediij obiectiui, ut constat ex dictis in hoc tract. disp. 1. dub. 2. linea autem principij, & motiui di-

stinguuntur ad minus ratione formaliter a ratione obiecti terminatiui: ergo ratio obiecti motiui tantum, & signi instrumentalis distinguuntur ad minus ratione. Nec valet dicere, quod signum instrumentale representet præexistente cognitione sui excitando ad cognitionem alterius, ac perinde mouendo.

¶ Nam contra est, quod ut sæpè ostendi, signum huiusmodi excitat ad cognitionem vterioris signati, terminando cognitionem sui, & proportionis cum signato reperta in signo, quod totum est intra lineam obiecti terminatiui, non vltimi; at obiectum motiuum excitat mouendo, non terminando, imò ratio motiui, & terminatiui opponuntur formaliter, sicut in passio ratio finis, & principij; ergo ratio excitatiua reperta in signo instrumentali omnino distinguitur a ratione obiecti motiui tantum. Alia in alijs vide.

*Soluntur argumenta.*

3 Oppositum tuentur Ortiz tract. 2. conf. 13. non multum consequenter, cum ipse initio tractat<sup>9</sup> concesserit signum esse in linea obiecti mediij terminatiui. Et prob. quia obiectum motiuum tantum mouet obiectiue ad notitiam, non sui, sed alterius: ergo habet rationem obiecti mediij: ergo rationem signi, quod etiam est obiectum mediũ: ergo eadem est vtriusque ratio.

Resp. obiectum motiuum non esse in linea obiecti, sed in linea forme, seu principij; signum autem

esse in linea obiecti terminatiui medijs, seu non ultimi, & ideo necesse est distinguere rationem vni ab altero, saltem formaliter.

Si instes, quod obiectum motuum specificando mouet: ergo per modum obiecti; sed non mouet ad cognitionem tantum sui, sed etiam alterius: ergo habet rationem obiecti medijs, seu signi. Ad hoc respōsum est dub. antec. nu. 5. quod specificat per modum formæ, & principij, non per modum obiecti, seu finis, & termini, vt requiritur ad significationem.

4 Arg. 2. secundum Magistrum Scotum hic. imago Cæsaris habet rationem obiecti motui tantum, respectu cognitionis Cæsaris, & rationem signi instrumentalis: ergo eadem est vtriusque ratio.

Resp. habere vtramq; rationem, non sub eadem, sed sub diuersa formalitate: quia quatenus per se, vel per suam speciem informat intellectum ex parte actus primi vt cognoscat Imperatorem est obiectum motuum tantum, vt terminat sui cognitionem per modum obiecti non ultimi, est signū, & vna ex his manifeste distinguitur ab altera ratione.

Si instes, quod vt informat intellectum mouet ad cognitionem sui, at vt est obiectum motuum tantum mouet ad notitiam formandam, non sui, sed alterius: ergo non exercetur ratio obiecti, nisi postquam est informatus intel


lectus ea specie imaginis, & postquam processit cognitio sui, at quod mouet præexistente cognitione sui est signum instrumentale; vt patet ex eius diffinitione: ergo vna ex his rationibus ab altera, non distinguitur formaliter.

Resp. vel quod diffinitio obiecti motui non negat, quod simul moueat ad cognitionem sui, sed quod tantum ad hoc moueat, & sic saluatur munus talis obiecti, quatenus obiectum media sui specie determinat intellectum ad formandam notitiam, non tantum sui, sed etiam alterius. Vel dic, quod supposita cognitione imaginis, ex parte intellectus, species imaginis cōcurrit ad cognitionem Cæsaris, & imago ipsa terminat cognitionem sui in ordine ad cognitionem Cæsaris: dico ergo, quod imago habet rationem obiecti motui, quatenus supposita cognitione sui mouet ex parte principij ad notitiam, non sui, sed Cæsaris: at habet rationem signi instrumentalis, quatenus terminando sui cognitionem ex parte obiecti terminatiui non ultimi, excitat terminatiuē, seu ducit in notitiam Cæsaris, quæ duplex ratio, tam diuersa est, quam ratio principij, & finis in puncto, vt iam ostendi; & perinde ratio obiecti motui tantum, & ratio signi instrumentalis, distinguuntur ad minus ratione formali.

5 Et hæc de isto tractatu de signis, cui supremum imposui cacumen

menia peruigilio fausto illius, qui inter natos mulierum maior natus, nullum quidem signum fecit in terris; sed ipse factus est signum magnum in Ecclesia Militanti; cuius nomine clamat Chrysost. hom. de uisione apud Methaphrast. *Sum signum, significabo Christi aduentum.* Signum, inquam, radiantissimum. Sanctissimus Precursor, qui, ceu sidus matutinum, micatibus sui natalitij orbem terrarum nouis gaudijs exultare fecit, ita ut nulla gens, quantumuis barbara toto ambitu orbis, nec Garamantæ, nec Indi; nec inculti Arabes, nec horridiget... tripudijs se contineat. Signum inquam fuit

qui quasi Orizon, & Confinium veteris, & nouæ legis, constitutus omnes umbras illius, noua claritate irradiavit, & omnes eius legis significationes, & mysteria, vno digito significando Agnum sine macula felici sine compleuit. Exultemus ergo, & nos tractui nostro de signo, & significatione vltima iam coronide imposita, & coronam istam ex varijs flosculis contextam ex Orienti Ioanni pro sacro pignore, sacris eius aris suspendamus, quod alacriter, eiusque interuentu fidentes ad alia properemus.



## TRACTATUS TERTIVS

### De termino in communi.

#### DISPUTATIO, ET DVBIVM PRIMVM.

*An definitio tradita à Magistro Soto sit exacta, & alijs, quæ à diuersis traduntur, præstantior?*

**P**Ossem breui compendio tradere definitionem termini ut sic, quatenus abstrahit à vocali, scripto, & mentali, dicendo, quod est signum

cathegoricæ propositionis constitutum; sicut Mag. Soto in prima editione Summul. præstitit, & ego in Dialectica parua. Sed quia à notioribus est incipiendum, & terminus vocalis est

est notior, & vltior, & Arist. 1. periherm. nomen, & verbum vocale definiuit, & non nomen, aut verbum, vt sic. Ideo cum M. Soto in secunda editione definitur terminus sic: est vox significatiua ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio. Hec definitio conformis est illi, qua de simplici dictione, seu termino tradidit D. Tho. 2. periherm. lect. 12. ibi: *Terminum vocant illud, quod est pars propositionis* & Boet. *Terminum voco id quod componitur propositio*. Sic ille in sua dialect. Bona est definitio, quia seruat omnes leges bonae definitionis: est dilucida, breuis, plena; constans genere, scilicet dum dicitur *vox significatiua ad placitum*; & differentia, scilicet, *ex qua simplex conficitur propositio*.

2. Hinc patet non esse ad rem illam definitionem quam aliqui desumunt ex Arist. lib. 1. prior. cap. 1. dum ait: *Terminum voco in quem res soluitur propositio tanquam in subiectum, & predicatum*: quia ibi agebat Arist. de termino resolutione, & syllogistico: nos autem hic agimus de termino compositiuo, & de dictionibus componentibus propositionem vt partes simplices, quatenus ex earum notitia pendet compositio, & veritas propositionis; constat autem, quod multum pendet veritas propositionis a siue a theorematibus vniuersalibus, vel particularibus affirmatiuis, vel negatiuis; a verbo, & aduerbio, a negationibus, ab obliquis, & modis, quibus omnibus non competit defini-

tio tradita, eo quod nec possunt esse subiectum, nec predicatum, nec terminare resolutionem syllogisticam: nostra autem definitio, qua partes orationis, earumque naturam inuestigat, secundum quod simplices dictiones componunt propositionem, nullum non comprehendit: ergo aptior est.

3. Minus apta est definitio termini, quam hic tradit P. Lincaus; dum ait: terminus est *simplex conceptus, seu simplex dictio*. Tum, quia hoc est definitum dicere, & tacere eius definitionem. Tum, quia conceptus est res occulta, & per notiora debuit tradi. Tum, quia sublato ordine ad propositionem ad Dialecticam non spectant simplices dictiones, & conceptus: diminuta ergo & inutilis est illa definitio. Nec exactior est definitio, quam tradit P. Peñafiel, dum ait, terminus est causa intrinseca constitutiua vt quod propositionis: quia quam auara est definitio P. Lincaei, tam prodiga est ista particularum, quibus non eget. Nec explicat per quid possit esse aliquid causa propositionis: debuit ergo addere, quod sit vox significatiua. Tum, quia de ratione partis non est constituere totum vt quod, sed vt quo. Tum, quia terminus non est causa propositionis, sed materia, sicut ligna, & lapides in domo, quae nemo definit per esse causam, eo quod materia est causa diminitissima. Denique nec illa, quam tradit Villalpandus Cardill. Murcia, & alij, dicentes, terminum esse

esse extremū propositionis, est ap-  
ta: tunc, quia verbum potest esse  
terminus, & tamen non est extre-  
mū, & idem dic de negatione: tū,  
quia non explicat quæ requiruntur  
vt fit ita extremū.

4 Argumenta quæ contra di-  
cta militat comodius proponen-  
tur dubijs subsequentibus.

*Dub. 2. An hæc sit vera propositio  
terminus est vox?*

**C**onclusio est affirmatiua.  
Communis inter nostrates,  
& conceditur in simili D. Tho. dū  
3. p. q. 60. art. 1. concedit hanc *bap-  
tismus est ablutio*; & q. 66. art. 1. ad  
1. concedit, quod *baptismus est a-  
qua*. Prob. quia sicut *baptismus* est  
concretum accidentale, constans  
aqua, & ablutione, rāquā materia,  
& genere physico: & verbis vt for-  
ma: ita terminus est concretū con-  
stans voce significatiua, vt mate-  
ria, & genere physico, & ordine ad  
propositionē vt forma. Sed D. Tho-  
mas concedit primas propositio-  
nes: quia de huiusmodi concretis  
genus, seu materia, licet sit alterius  
generis à forma: prædicatur tamē  
absolutē, & verificatur de illis con-  
cretis: ergo qua ratione D. Tho. cō-  
cessit vt veras illas propositiones,  
debemus nos concedere esse verū,  
quod terminus est vox. ¶ Conf.  
tunc est vera propositio cum sub-  
iectum, & prædicatum supponunt  
pro eodem, sed in hac propositio-  
ne subiectum cum sit connotatiuū  
supponit pro materiali, nēpē pro

voce, & pro eadem supponit præ-  
dicatum: ergo est vera propositio,  
eadem ratione qua dicitur in Psal.  
113. *Simulachra gentium, argentū, &  
aurū*. Vide D. Tho. 1. perhi. lect. 3. v-  
bi docet, quod hæc, *statua est cu pra,*  
quæ est similis formæ, est vera pro-  
positio.

*Soluantur Argumenta.*

2 Arg. 1. ex Arist. 7. metaph.  
text. 25: vbi negat esse admitten-  
dum, quod *statua sit lapis*, & ait so-  
lum debere admitti quod sit lapi-  
dea; & tamen vtraque propositio  
est similis formæ cū vtroque præ-  
dicetur materia artificialis de con-  
creto artificiali: ergo.

¶ Resp. solum negasse in sen-  
su formali esse verum: quia nō est  
statua, eo quod est lapis. ¶ Sed cō-  
tra est, quod sic posset negare, quod  
homo est animal, quia quo est ho-  
mo, non est animal: Hæc autē pro-  
positio formalis est; quia extrema  
supponunt pro eodem, & prædi-  
catum cum sit genus physicum præ-  
dicatur de subiecto vt superius in  
nostra sententia: ergo non potuit  
negare, quod sit formalis.

Resp. quod ibi non negat Arist.  
prædicationem illam *statua est la-  
pis esse bonam*: nam text. antec.  
concesserat, quod *circulus est as*;  
sed negat, quod *statua sit lapis*: nā  
solum dicendum est, quod sit lapi-  
dea: non negat igitur, quod sit, sed  
quod fiat lapis: vt verba ipsa tex-  
tus clare dicunt. Vide aliam solut.  
apud Flandr. ibi q. 15. ar. 3.

3 Arg. 2. pars non potest præ-  
dica;

dicari de toto, siue sit materialis, vt cum dicitur homo est materia; siue sit forma, & cum dicitur albi est color: sed vox est pars huius concreti terminus: hoc enim resultat ex voce significatiua, & ex ordine ad simplicem propositionem, tanquam ex partibus componentibus totum: ergo nequit esse verum, quod terminus est vox.

Resp. quod in concretis accidentalibus tota ratio substantiæ, seu subsistendi, sumitur à materia pro qua supponit; non autem à forma accidentali, & ideo absolute predicatur materia de his concretis accidentalibus, quod non contingit in concretis substantialibus, vbi totum subsistit à partibus; sed potius partes à toto; & ideo nec est verum, quod albi est color, aut homo materia; & tamen est verum, quod terminus est vox, & statua cuprum.

Sed contra est, quod materia equi continet virtualiter, & in potentia passiuæ: totum esse equi, & ab illa sumitur ratio generis, & tamen hoc non sufficit vt predicetur absolute de equo: ergo neque hoc sufficiet in termino respectu vocis; vbi nec vox potest esse genus cum vox sit realis, & terminus sit concretum secundæ intentionis.

4. Resp. quod equus non supponit pro materia, sicut terminus supponit pro voce, quia illa continet solum passiuè formam equi, à qua subsistit: at hæc continet ad-

uè, & facit subsistere formam termini (vt sic dicam) vnde genus equi non sumitur à materia, sed à forma, quatenus limitatur à materia; at in hoc concreto terminus genus sumitur ab ipsa voce significatiua, & si sit diuersi generis, quia hoc habent peculiare concretis accidentalibus, quod habeant gen<sup>o</sup> physicum ex materia extranea, & pro illa supponant, & ideo illa predicatio terminus est vox vera est.

Sed contra est, quod ly vox solum est pars materiæ: nam tota materia est vox significatiua: at pars non predicatur de toto: ergo. Dic ibi esse totam materiam remotam; est enim duplex quali concretum cum ordine; primum est signum, secundum est terminus, & ideo sicut vox predicatur immediate de signo, quod est superius ad terminum; predicatur absolute de ipso termino, sicut dixit Diuus Thomas, quod baptismus est aqua. Vide D. Thom. in simili 2. perihier. lect. 4.

*Dubium tertium. An sit vera propositio, quod terminus est ens rationis, seu secunda intentio partis ordinabilis ad propositiorem?*

¶ Certum est, quod in huiusmodi concretis accidentalibus (qualis est terminus) forma non predicatur de subiecto, nisi significetur per terminum adiectiuum.

aut connotatiuum; tunc enim supponit pro subiecto, pro quo supponit concretum, & sic est verificatio, quia extrema supponit pro eodem: at si non sic significetur forma, propositio est falsa, quia extrema non supponit pro eodem, concretum namque supponit pro materia, & non pro forma: illa autem tunc non supponit pro materia: ergo non supponit pro eodem: tota ergo lis in presenti reducitur ad hoc, an scilicet *ly ens rationis* sit terminus connotatiuus, an non: si eam primum datur erit vera illa propositio *terminus est ens rationis*: secus si non datur. Et ex dictis constat esse falsum dicere, quod terminus sit secunda intentio partis.

*Vnica Conclusio.*

2. Hæc propositio, *terminus est ens rationis*, falsa est. Sic Huert. hic cap. 2. q. 5. ar. 2. Ratio est, quia prædicatum non supponit pro eodem ac subiectum: ergo. Prob. prædicatum non est terminus connotatiuus, sed absolutus: ergo non supponit pro voce, pro qua supponit, ens rationis. Prob. antec. iste terminus, *ens est absolutus*: ergo & iste, *terminus est ens rationis*: nam ens, cum non præciadat, hoc includit. Prob. ant. terminus connotatiuus significat aliquam formam, ut adiacentem alieri, pro qua supponit terminus: at entitas est prima formalior, quæ potest concipi, nec potest dari alia prior, cui concipiatur adiacere,

vel pro qua supponat ens: ergo.

Si dicas, quod ens rationis potest concipi ut adiacens enti reali. Contra est: nam etsi hoc sit in re, tamen concipitur ad modum entis realis: ergo si illud nequit significari, & concipi ut terminus connotatiuus, neque istud sic significabitur. Præterquam quod *ly ens* ut abstrahit, cum actu includat omnes modos, esse simul terminus connotatiuus, & absolutus: primum ut includit ens reale, secundum ut includit ens rationis; sed hoc est falsum apud omnes: ergo ex quo sequitur. Præterea. Non minus adiacet forma accidentalis, quam forma rationis: sed *ly accidens* non est terminus connotatiuus, alioquin hæc esset vera, *Substantia est accidens*: *Accidens est substantia*, ergo. Denique. Si esset connotatiuum, non minus esset verum, quod ens rationis est ens reale, quam quod dulce sit album, (ubi vtraque forma inest eidem) sed primum non conceditur communiter: ergo non est terminus connotatiuus, sed absolutus.

*Soluantur Argumenta.*

3. Oppositum defendunt MM. Nug. 3. p. q. 60. ar. 1. dub. vnic. & ar. 2. dub. vnic. & Gaspar Ruiz ibi ar. 1. dub. 1. ad 1. & alij. Probaturque 1. Terminus significans formam accidentalem in concreto, significat connotatiue, nam significat formam ut subsistentem, & subsistit à subiecto connotato; sed *ly ens*

*rationis* significat formam hanc, quæ accidentaliter est, & in concreto, non enim eam significat, sicut hic terminus entitas rationis: ergo. Cum etiam omne concretum, ut distinguitur ab abstracto significat ut quod est, ex D. Tho. & Caiet. cap. 1. de ente, & essentia, sed *ly ens* significat ut quod est: ergo entitatem in concreto.

Si dicas, significare concretum quoad modum, non quoad rem significatam, quia ob transcendentiam idem significat ens, & entitas, ac perinde semper est abstractum.

Contra est, quod illa transcendentia inuabit ut habeat condiciones vtriusque: ac perinde erit simul id quod est, & quo est, sicut contingit in Deo: ergo *ly ens rationis* supponet pro materiali: nam id quod est inuoluit materiale, & formale.

Resp. quod hæc transcendentia cum sit intra genus puri entis rationis, facit quod ens rationis sit habens entitatem rationis, & entitas rationis sit id, quod intra suum genus habet entitatem; sicut in Deo solum id, quod est in linea Dei est quo, & quod est; non vero sequitur, quod ens rationis sit connotatiuum materiæ, quæ est extra genus entis rationis, & est in linea reali, & sic non potest verificari, quod terminus sit ens rationis.

Contra est, quod hoc ipso, quod significet in concreto, significat ut habens entitatem, sicut Deus habens deitatem, sed quia Christus est habens deitatem verificatur, quod

Christus est Deus: ergo verificabitur, quod terminus est ens rationis cum sit habens entitatem rationis.

Resp. quod Christus est Deus, quia ratione suppositi diuini habet deitatem: at ens rationis non est quo subsistit terminus; & ideo non potest verificari, quod terminus sit ens rationis, quia non subsistit ente rationis, sed voce reali: ac perinde, cum *ly habens*, ut quod in ente rationis, nec exeat terminos sui generis, nec faciat subsistere illud concretum, non prædicatur de illo absolute.

4 Arguitur secundo. Prædicatum essentialiter superius potest prædicari de suo inferiori prædicatione formali, & vera: sed respectu huius concreti, terminus, ens rationis est prædicatum essentialiter superius: ergo. Prob. min. concreta accidentalia collocantur in prædicamento ratione formæ: forma ergo est superior essentialiter; sed forma termini est entitas rationis: ergo est illi essentialiter superius.


Respondetur non sufficere, quod sit prædicatum superius, nisi extrema supponunt pro eodem: cum ergo probatum sit, quod ens rationis non supponit pro voce, quantumuis sit prædicatum metaphysicè superius, non potest prædicari de termino in concreto, nisi sumatur adiectiuè; sicut nec dicimus, quod album est color, sed quod est coloratum.

5 Arg. 3. hæc prædicatio est vera, genus est ens rationis: ergo & hæc,

terminus est ens rationis; verobique enim est concretum accidentale ex parte subiecti. ¶ Conf. hæc est vera homo est species; quia et si predicatum nequeat supponere pro omni eo pro quo supponit subiectum, tamen quia est terminus appellatus accipitur subiectum pro formali significato, & sic supponit extrema pro eodem, sed etiam *ly ens rationis* est terminus secundæ intentionis appellans, & significans formale termini, non est vox, sed ordo rationis partis propositionalis, pro quo potest supponere ibi ens rationis; ergo supponit pro eodem.

¶ Resp. quod illa propositio est vera, in casu quo substractum sit ens rationis, quod denominetur genus; secus vero si substractum sit ens reale sicut contingit in nostro casu. ¶ Ad conf. nego, quod iste terminus *ens rationis* sit secundæ intentionis, sicut species non est secundæ intentionis, sed primæ, quia significant ipsam secundam intentionem signate, & per modum quid dicitur: de quo modo non est disputandum. & ideo hoc ipso, quod non possit ens rationis supponere pro voce, pro qua supponit terminus, non erit illa vera predicatio:

quia extrema non supponit pro eodem.



Dub. 4. *Utrum signum sit genus ad terminum?*

1. **C**um certum sit (vt probabo in dub. sequenti) quod vox non significatiua nequeat esse terminus, quia proprium substractum secundæ intentionis termini essentialiter exigit, quod sit signum; supposito etiam (id quod dixi in logica trac. 2. disp. 2. dub. 2. §. 1.) quod cum accidens in concreto diffinitur diffinitione physica, proprium genus sumitur à substracto, cuius mibi est, quod in diffinitione termini genus est signum; quia terminus pro formali est concretum accidentale, constans significatione pro substracto, & secundæ intentione partis propositionalis pro forma, & modo diffinitur concreto.

Sed tamen est genus physicum: diffinitione physica, non tamen est genus si diffiniretur metaphysicè; tunc enim genus esset predicatum superius ad formam, & illi essentialiale in eadem linea, vt cum album diffinitur in concreto metaphysicè, genus est coloratum; si autem diffiniatur in abstracto genus est color; ergo etiam genus termini metaphysicè considerati esset secundæ intentio, seu secundo-intentionale. Quod aduerto contra aliquos dicentes, signum esse genus termini, etiam diffinitione metaphysica. Sed oppositum est dicendum: quia in diffinitione metaphysica genus sumitur à predicatis, que sunt in eodem genere.

genere, in quo est forma: at substra-  
ctum non est in eodē genere in quo  
est forma accidentalis, & signum est  
substractū secundæ intentionis ter-  
minial: ergo nequit esse genus in dif-  
finitione metaphisica.

*Soluantur Argumenta.*

2 Arg. 1. per significare partia-  
liter, vel totaliter differunt metha-  
phisicè terminus, & propositio; sed  
non differunt per significare, sed per  
partialiter, aut totaliter: ergo con-  
ueniunt metaphisicè in significa-  
re; sed hæc conuenientia non est  
analogica, cum in puro significare  
non sit diuersitas: ergo conueniunt  
vniuocè; at prædicatum metaphi-  
sicè superius vniuocum, quod præ-  
dicatur de pluribus differentibus  
specie est genus: signū ergo est ge-  
nus metaphisicum termini, &  
propositionis: ergo in diffinitione  
metaphisica termini, debet sumi  
genus a signo.

Resp. Quod illæ differentia par-  
tialis, aut totalis adiunctæ signo nō  
sunt metaphisicæ, sed physicæ,  
quia quoties diffinitur accidens, po-  
sita forma loco differentia, & sub-  
stracto loco generis tota diffinitio  
est physica, ac perinde tam genus,  
quam differentia, sumantur physice;  
vt autem esset genus metaphi-  
sicum, debebat sumi pro genere præ-  
dicatum superius eiusdem generis,  
& linea, cum secunda intentione  
partis, aut totius secundum quod  
constituit, vel terminum, vel pro-  
positionem.

3 Si instes, quod secundum M.  
Soto hic, significatio est forma ter-  
mini at prædicatum genericum se-  
tenens ex parte formæ, & non se ha-  
bens vt pura materia, est genus me-  
taphisicum, iuxta dicta toto hoc  
dubio: ergo signum est genus ter-  
mini non phisicum, sed metaphi-  
sicum.

Resp. quod significatio dicitur  
forma respectu substracti remori,  
nempè vocis, non tamen respectu  
propria formæ termini, quæ est se-  
cunda intentio respectu cuius vox  
vt significatiua, est substractum cō-  
plerum, ac perinde semper signum  
est genus phisicum tenens se ex par-  
te materia, & non formæ.

Si contra instes, quod diuersitas  
specifica est formalis, at signum ca-  
thegorematicū specie differt a syn-  
thegorematico, non per ordinē  
ad propositionem, sed per significa-  
ri per se, aut consignificare: ergo sig-  
nificatio se tenet ex parte formæ.

Resp. Eam distinctionem quan-  
tum ad significationem esse speci-  
ficam materialem; formalem ve-  
ro quatenus super substractum signi-  
ficationis diuerso modo ordina-  
tur ad componendam propositio-  
nem, prædicatiuè, aut comprædi-  
catiuè.

4 Tandem potest argui; eo sig-  
num non esset genus ad terminum,  
etiam metaphisicè, quia signum  
est in diuerso genere; sed hoc est fal-  
sum: nam signum hoc est ad placitum,  
quod per aliquid rationis cō-  
stituitur, vt supra dictum est: ergo.

Nec obstat, quod importat de materiali vocem: nam cum diffinitura alba in concreto metaphisice, dicitur, quod est coloratum, disgregatum a visus, vbi coloratum, quia de formali dicit colorem, quæ est prædicatum eiusdem generis cum forma albedinis, est genus metaphisicum respectu albi, et si coloratum de materiali importet corpus; ergo etiam signum vocale erit genus metaphisicum termini diffinitum in concreto, et si de materiali dicat vocem, quia de formali dicit aliquid rationis, quod est prædicatum superius eiusdem generis cum secunda intentione partis, quæ est ipsa forma termini. ¶ Resp. quod et si signum ad placitum constituatur entitate rationis, hæc non est forma artificiosa logicæ, sed est physica, aut politica: & ideo non est genus ad secundam intentionem logicam, nec in eodem genere, ac perinde nequit esse signum etiam pro formali rationis, quo constituitur genus metaphisicum termini, etiam si diffiniatur in concreto.

*Dub. 5. An voces non significatiue, vt blitiri, & scindapsus, possint subindui secunda intentione termini.*

4 **S**uppono, quod Dialectica per se ordinatur ad docendum propositiones facere formales, doctrinales, & artificiosas; non autem materiales, quales sunt illæ, quæ constant terminis materialiter accep-

tis pro se, aut non significatiuis; ac perinde cum terminus dicatur in ordine ad propositionem, adminus voces non significatiuæ, non erunt termini per se dialectici, nec formales, nec doctrinales; sed ad summum termini materiales, quod reuera erit non esse terminus: quia dialectica est, quæ per se agit de termino, ac proinde, qui non sunt per se dialectici, non sunt absolute termini.

*Vnica conclusio.*

2. Dicendum ergo voces non significatiuas, non posse esse terminos absolute, & proprie; quamuis materialiter, vel æquiuocè possint dici termini, sicut homo pius dicitur homo. Sic M. Soto in præfenti capit. 2. lect. 2. ad 1. quæ cum vniuersis Thomistis sequitur Villalp. Cardill. & Murcia eius illustrator hic disput. 1. q. 3. & R.R. Echall. hic disp. 1. de term. cap. 1. n. 8.

3. Prob. authorit. D. Thom. 1. perhier. lect. 6. in fine, vbi ait, quod oratio, & eius partes, non significant naturaliter, sed debent significare ad placitum, & oppositum ait esse errorem reprobatum ab Arist. Sed terminus constituitur per esse partem orationis, seu propositionis: ergo non potest esse terminus, quod non significat ad placitum. ¶ Conf. secundum D. Thom. ibi lect. 1. omnis oratio, quæ interpretatio dicitur, & est formalis, necessario debet constare nomine, & verbo: sed cum dico blitiri non currit, illa vox non significatiua nequit esse nomen: ergo nequit

quit componere propositionem, seu orationem formalem: ergo nec potest esse pars formalis: ergo neque terminus formalis; pars enim dicitur relatiue ad totum, & pars formalis relatiue ad totum formale. ¶ Si dicas, syncathegoremata non posse esse nomen, aut verbum in oratione, & tamen vere esse terminos formales, quia cum termino cathegorematico intrant orationem, vt cum dico omnis homo currit; at etiam blitiri potest intrare orationem, quæ cõstet nomine, & verbo, vt cū dico blitiri est vox: ergo componit propositionem formalem; licet non se solo, tamen cū adiutorio alterius termini significatiui; sed hoc sufficit ad hoc quod saluetur ratio termini formalis, vt patet in syncathegorematibus: ergo. Idemque argumentum fieri potest de casibus obliquis.

4 Sed contra est, & simul. Resp. nam Arist. eo negat voci non significatiuæ rationē nominis, quia nequit reddere suppositum verbo, & poni loco subiecti, ita vt faciāt orationē congruam: at blitiri neque rationē sui, neque rationē alterius potest esse subiectum, vel nomen reddens suppositū verbo in oratione congrua: ergo nunquam componit orationem congruam, etiam si dicam blitiri est vox, ibi enim blitiri cum non sit nomen, nec reddit suppositum verbo: at cū dico omnis homo currit, vel equus hominis currit, tam syncathegorema, quam obliquum, ratione alterius

reddunt suppositum verbo, & constant oratione congrua constante nomine per modum subiecti; non est ergo eadem ratio vtrobique.

Præterea esse vocem significatiuam ponitur loco generis in definitione nominis secundum quod conuenit genericè cum alijs partibus orationis: agit enim Arist. de nomine, & verbo in quantum sunt partes orationis, vt docet D. Tho. ibi lect. 1. ergo negata ratione significandi, negatur pars formalis orationis licet negata animalitate, negatur omne inferius.

5 Dices, Arist. diffiniendo orationē solum dixisse esse cuius partium aliqua est significatiua separata, vt dicitur: ergo vt sit oratio formalis, non requiritur, quod omnes dictiones sint significatiuæ, sed sufficit, quod aliqua: ergo cum dicitur blitiri est vox, est oratio formalis.

Sed contra est, quod vt ibi lect. 6. explicat D. Thom. non dixit Arist. sufficere, quod vna pars significet, alijs non significantibus, sed vt obedat, non requiri, quod omnes partes sint per se significatiuæ cathegorematicè, sed sufficit, quod aliqua; at nunquam admittit Arist. vocem non significatiuam in oratione formali, imo diffiniendo totam orationē, quod est vox significatiua, ostendit absolute totā esse significatiuā, & nullā partē esse significatiuam ex parte: vade D. Thom. ibi lect. 6. in principio, docet, quod oratio est vox significatiua, secundum quod

significat intellectam compositū; at vt sic non tantum dicit vnā partem, seu dictionem, sed plures: ergo vt sic debet esse significatiua, quamuis non sit necesse, quod omnes, sed quod aliqua sit significatiua cathegorematicè.

*Soluantur argumenta.*

6. Oppositum defendunt communiter PP. Societatis, & quidam Ioan. Salus, qui vulgo dicitur Ioā. Mart. in sua fabrica, innumera dictiona iactans in nostrates. Et prob. 1. quia oratio est formalis cum significat verum, vel falsū, sed blitiri vere componit hanc propositionem, blitiri non est scindapsus, & falso hanc, blitiri est scindapsus, nō minus, quā homo componat has, homo est animal, homo non est animal: ergo non minus est pars formalis blitiri, quā homo: ergo nec minus terminus formalis.

Resp. cum M. Soto eas propositiones continere verum, vel falsū, quatenus ibi subintelligitur, hæc vox blitiri, non est vox scindapsus; non vero si dictiones non significantes se solis considerentur; sic enim cum non sint termini, nec possunt componere propositionem significatiuam veri, vel falsi. Vel dic, eam propositionem si mentaliter consideretur habet veritatem, vel falsitatem; non autem si in voce, quæ non sit res significata per conceptus, nō est ibi veritas; sicut cū dico, homo est animal, veritas nō est formaliter in rebus, sed in conceptu,

vel in voce deriuata est à cōceptu, quatenus aliud à se significant.

7. Si istes, illam orationē blitiri est scindapsus, prout voce profertur, verum, & perfectū sensum generare in audientis animo, cognoscit enim eas voces non esse synonymas: ergo est oratio formalis. Tum etiam, oratio vocalis eate-nus est formaliter vera, aut falsa, quatenus representat mentalē esse veram, aut falsam: at proferens eam propositionem voce, manifestat similem se habere in mente: ergo ea oratio vt vocalis formalis est, & significās verum, vel falsum.

Resp. quod ea propositio vocalis generat sensum perfectum in animo audientis per modum obiecti, non per modum orationis, quia voces illæ accipiuntur pro se, & nō pro alio, liquidem representant se, & carent significatione; cum autem proferatur significanti mentalem propositionem per modum effectus, non per modum artificij, & ad placitum, quod requirit; & sint formales orationis, docet D. Tho. 1. per lect. 6. in fine.

8. Arg. 2. blitiri potest esse terminus syllogisticus: ergo, & enuntiatiuus. Antec. prob. tum, quia Arist. toto libro priorum: per A, & B. & C. quæ sunt non significatiua; textit omnes syllogismos: tū, quia hic est verus syllogismus: *omnis vox est sonus, blitiri est vox; ergo est sonus.* Conseq. prob. siquidem tetralus syllogisticus supponit tunc enuntiatiuum, sicut syllogismus supponit

Enuntiationem. ¶ Resp. quod illa vox non significatiua solum est terminus syllogisticus materialis, nisi ibi subintelligatur. Iy hæc vox blitiri, vel solum sunt termini syllogistici mentales, vt dictum est. Cū vero Arist. vsus est illis litteris hoc fecit, quia author artis habet licentiam imponendi nomina: & sic Arist. A imposuit ad significandā maiorem extremitatem: C. ad minorem, & B. ad medium, & sic sicut si hæc littera A. imponeretur ad significandum hominem esset terminus complexus, secundum M. Soto; sic illæ litteræ apud Arist. ex impositione artis, impositæ sūt ad significandam complexē maiore, vel minorem extremitatem, & sic non sūt termini syllogistici in quantum non significant, sed potius in quantum significant.

9. Arg. 3. cui conuenit proprietates, conuenit essentia: sed blitiri; & alijs vocibus huiusmodi conuenit suppositio, quæ est proprietates termini: ergo conuenit essentia termini. Min. constat, quia supponunt materialiter.

Resp. quod sicut supponūt materialiter, ita sunt termini tantum materialiter: nam quomodo conuenit proprietates, & conuenit essentia.

Si inuestes, quod Petrus Hispanus primo diuidit suppositionem in propriam, & impropriam, secundo diuidit propriam in materialem, & formalem: ergo propriæ supponunt illæ voces, & propriæ illis

conuenit proprietates termini: ergo propriè sunt termini.

Resp. quod suppositio illa diuiditur in propriam, & impropriam, quatenus Iy *propria* abstrahit à representare, & significare; & relicta materiali, quæ solū est propria quantum ad representare solū formalis est, quæ concomitatur terminum formalem, & materialis, sequitur terminum materiale, nō quantum ad esse terminum propriè; sed quantum ad habere propriè representationem, quæ est aliquid termini.

Dub. 6. *An vltima differentia termini sit ordo partis ad componendam propositionem?*

¶ Conclusio est affirmatiua: Quia in presenti diffinitur terminus, vt accidens in concreto, in quo forma est illa secunda intentio ordinis partis ordinabilis ad componendam simplicem propositionem, & subtractum est vox significatiua, at in huiusmodi diffinitionibus physicis, sicut ratio generica sumitur a subtractoposito loco generis, ita vltima differentia est forma: ergo vltima differentia termini est ille ordo secundo intentionalis partis compositionis.

\*\*\*\*\*

\*\*\*

*Soluantur argumenta.*

2 Sed cōtra arg. 1. Nō est vltima differentia, quod cōuenit alijs specie diuersis; sed cōponere propositionem simplicem, cōpetit propositioni: ergo. Prob. min. Hæc propositio, *homo est animal*, componit hanc, *homo est animal est verum*: ergo. ¶ Resp. dist. min. conuenit componere per se nego; componere per accidens concedo: cum autem vltima differentia termini sit per se componere, & hoc alij non competat, sit, &c. ¶ Contra est, quod ordo ad propositionem est forma accidentalis, per accidens cōpetens subtracto termini, & non per se: ergo si eadem competit subtracto propositionis per intellectum, non a maiore perfectatē habebit terminus, quam propositio. Præterea propositio resultans, cū gaudeat vnica copula principali, est vnum per se in linea propositionis: ergo constat partibus per se ordinabilibus: ergo illa propositio eodem modo componit ac simplex terminus. ¶ Conf. ex D. Thom. 1. per. lect. 8. vbi docet, propositionem esse per se vnum, quæ coniunctione vna est affirmans vnum de vno, etiam si id de quo affirmat sit dictum propositionale, vt contingit in modalibus: ergo in nostra propositio resultans vna est per se, & illud dictum *homo est animal* per se componit eam.

3 Resp. quod etsi illa secunda intentio sit accidens in esse nature respectu subtracti termini, est ta-

men aliquid per se constituens in linea artificij, quia sic est prima forma: at respectu propositionis est accidens artificiale ordo ad propositionem alteram, quia iam supponit suum esse in ordine, & intentionem totius propositionalis, quæ est prior, ac perinde est per accidens, vt dixi, ille ordo in propositione, & per se est in termino. ¶ Ad conf. resp. quod illa propositio cōstans dicto propositionali, hoc ipso, quod est coniunctione vna, nō est vna simplex propositio simpliciter, sed secundum quid est vna; nec oppositum docet D. Tho. & ideò non mirum, quod componatur ex vno extremo, quod non per se, sed per accidens eam cōponat.

¶ Resp. 2. quod vna propositio cōponit alteram, non vt formaliter est propositio, sed quatenus est materialiter propositio, & formaliter induit secundam intentionem termini complexi, sicut genus est species vniuersalis, non vt genus formaliter, neque per secundam intentionem generis, sed quatenus, materialiter se habente intentione generis, subinduit secundam intentionis speciei; vnde sicut non bene arguitur, quod vltima differentia secundi prædicabilis conuenit alijs à definito, ex eo quod conuenit generi: quia non conuenit generi nisi materialiter; non verò per secundam intentionem generis, quod requirebatur vt prædicari de differentibus numero cōueniret alijs à definito; sic nec debet argui, quod or-

do ad propositionem simplicem non sit vltima differentia termini, quia conuenit propositioni, eo quod illi conuenit materialiter, vt propositio est, & denominatiue, vt induit rationem termini complexi, non autem per id quod propositio est.

4 Si instes, quod secunda intentio termini conuenit primæ operationi, vt ait D. Tho. 1. perh. lect. 1. sed propositio etiam pro subtrahito non spectat ad primam: ergo si componit non facit hoc per secundam intentionem termini; sed per secundam intentionem propositionis. ¶ Resp. quod secunda intentio termini competit obiectis primæ operationis per se, & directa cognitione facta, at denominatiue, & reflexè etiam competit propositioni: sic enim per modum termini complexi potest spectare ad primam. Et hinc patet quomodo definitio possit componere propositionem cum dico, homo est animal rationale; nam et si secunda intentio orationis, & definitionis sit diuersa a secunda intentione termini, tamen definitio nõ vt talis componit, sed quæ est materialiter definitio componit per se, vt denominata à secunda intentione termini complexi.

5 Arg. etsi syllogismus nõ minus componatur propositionibus, quam propositio terminis, vltima tamen differentia propositionis non est ordo ad componendum syllogismum: ergo neque vltima

differentia termini erit ordo ad propositionem. ¶ Resp. quod syllogismus non componitur propositionibus vt tales sunt formaliter, sed quatenus ordinantur in modo, & figura per secundas intentiones, quæ diuersæ sunt ab eis, quibus denominantur enunciationes; & ideo mirum non est nõ constitui essentialiter propositionem per ordinem ad componendum syllogismum: at propositio per se componitur ex terminis sub secunda intentione talium; ideoque per se constituitur terminus per ordinem ad propositionem.

*Dub. 7. An vltima differentia termini, sit actu componere, an aptitudine, seu ordo aptitudinalis?*

1 **C**onclusio est affirmatiua: Nam vltima differentia termini est ratio partis, sed in esse phisico, ad cuius imitationem frigit intellectus, pars domus est, etsi actu non componat, per hoc, quod doletur, & ordinetur ad componendum: ergo solus ordo rationis ad componendum, constituet rationem termini, seu partis enunciationis, etsi non actu componat.

*Soluntur Argumenta.*

2 Arg. 1. Ratio termini syllogistici non saluatur nisi actu componat syllogismum, vel te minet resolutionem; siquidem hoc consistit in esse extremum, quod quidem inuoluit exercitiu: ergo nec terminus enunciatius datur extra actualem compositionem enuncia-

tionis. ¶ Conf. Cui non competit proprietas, nec competit essentia; habent enim hæc duo necessariam connexionem, & per se; sed suppositio, & appellatio nullo modo cōpetunt dictionē extra propositionem, & tamen sunt passionēs termini: ergo nec essentia termini.

Resp. Quod esse terminum syllogisticum fundatur supra rationem extremi, & subiecti, quæ sunt rationes actualis exercitij syllogistici, & propositionalis; & ideo non mirū, quod non detur terminus syllogisticus extra syllogismum, sicut nec datur subiectum, aut prædicatum extra propositionem, nec maior, aut minor extremitas extra syllogismum, at ratio partis non dicit exercitium, & ideo potest dari extra totum, at respectus, qui consequatur unionem, non datur extra totum. Hinc ad cōfirmationem dico, quod illæ passionēs suppositionis, & appellatiōis non cōpetunt termino absolute, sed cōpetunt illi sub unionē propositionali, & ideo sine illis proprietatibus saluatur essentia termini, sicut saluatur essentia entis nominalis in possibilibus sine bonitate, quia bonitas nō est passio entis nominalis, sed solū entis participialis.

3 Arg. 2. Et est replica, etiam essentia termini consistit in exercitio inuolvente unionē propositionalē: ergo nequit saluari extra propositionem. Prob. Consistit in relatione secundum esse mutua partis ad totum; sed hæc requirit coe-

xistentiam termini; terminus autē qui est propositio dicit unionē extremorum: ergo. ¶ Resp. Consistere in ea relatione, quæ est rationis, & non rei, certum autem est (vt late dixi in Logica) quod relationis secundum esse non pendet a coexistentia extremorum, adhuc in esse obiectiuo, & ideo etsi terminus cōstituat relatione partis propositionalis, datur extra propositionē.

Dub. 8. An verbum vt copula est orationis obtineat vere, & proprie rationem termini enuntiatiuū?

1 **C**onclusio est affirmatiua. Sic M. Soto hic cap. 2. lec. 2. notat 2. & Bañ. cum Petro Hispano. Mat. lib. 1. perhierm. capit. 2. sect. vnic. q. 3. qui & refert. Porphir. Ammon. & B. Albert. Mag. M. Ioann. à S. Tho. q. 1. de term. ar. 2. concl. 2. & art. 3. corol. 1. M. Mart. de Prado cap. 1. de term. q. 2. Gonus Salius, Linc. Compt. P. Alonso, & alij plures. Huert. cap. de verbo q. 16. art. 1. ad 4. Sic Boet. citatus a Soto, dū ait, terminum voco nomina, & verba, quibus nectitur propositio. Damasc. cap. 48. Dialect. ait: Vnaquæque autem propositio ex terminis cōponitur, vnaquæque enim dictio terminus propositionis est: sed verbum est dictio: ergo. Arist. autem 1. perhierm. lect. 8. nomen autem, & verbum dictio tantum vocatur; vbi S. Thom. ait ibi, quod hoc nomen dictio imposuit ad significandas partes enuntiationis: Sed pars illa est terminus: ergo verbum est

est terminus. Et lect. 6. ad illa verba Arist. *Cuius partium aliqua est significatiua*, ait D. Thom. *Ac si dicat pars orationis est significatiua; sicut dictio significat, puta vt nomen, & verbum.* Et D. Tho. lect. 5. tenet, quod verbum est pars orationis formalis; vide illud ibi ad illa verba Arist. *Ipsa secundum se dicta verba nomina sunt, & significant aliquid.*

2. Quod verba etiam de tertio adiacente sint termini, & vt exercent rationem copulae. Prob. Quia vt late D. Thom. 1. per hiet. probat, verbum affert suam partialem significationem ad propositionem; significat enim esse, vel non esse rei, & ipsam habitudinem praedicti ad subiectum; sed signum partiale pars est propositionis: ergo verbum est pars, & terminus.

Si dicas, quod copula non est pars, sed nexus partium. Contra est, non esse contra rationem copulae si nullo esse partem, vt patet in neruis in composito phisico: ergo ex quo verbum fit copula si secum affert suam partialem significationem, sicut nerui afferunt partialem copulentiam, non est cur denegeretur illi ratio partis; eo vel maxime, quod propositio est signum totale, quod componi debet ex qualibet partiali significatione.

*Soluantur argumenta.*

3. Oppositum sensit M. Soto in 1. editione sum. & Murcia disp. 1. Dialect. q. 2. ad 4. RR. Echall. ibi

cap. 1. num. 4. P. Peñaf. ibi disp. 1. q. 1. lect. 2. num. 10. Sueslanus vero tenet verba adiectiua esse terminos, non substantiua. Et prob. secundum Arist. 1. per hiet. lect. 5. de verbo substantiua dixit: *Neque hoc ipsum est parum dixero, ipsum enim nihil est con significat quandam compositionem, quam sine compositis, non est intelligere: ergo verbum substantiuum non affert secum aliquam significationem, qua augetur totalis significatio propositiois, cum solum con significet, seu sit nota compositionis, quam affert in extremis ipsis propositio.* Quia si ergo est nota illationis, & eam in exercitio con significat, quin per se afferat aliquid inferens, aut illatum; sed notam solum connexionis; ideo neque in discursu illi correspondet in mente conceptus, neque est terminus syllogisticus; vt saepe dixi agendo de tertia operatione. Sed verbum tantum est copula denotans compositionem propositionis: ergo non est terminus enuntiatiuus.

Denique, quia materia, & forma in phisicis se habent vt potentia & actus: compositum phisicum solum resultat ex illis tanquam ex partibus; non autem ex modo unionis vtrumque copulante; sed in composito Logico, nempe in enunciatione, subiectum se habet per modum materiae, & praedicatum per modum formae, & verbum per modum unionis: ergo enuntiatio de tertio adiacente non componitur

ex verbo tāquam ex parte, aut terminio. Idque ipsum significare videtur nomen termini; est enim idē ac extremum; nam in phisicis, & in methaphisica, terminus est ultimum cuiuslibet extra quod nihil est, & cuius infra omnia ex 5. meth. lection. 17. ergo sumpta methaphora dicendum erit verbum non esse terminium, cum nō sit extremum; pro quo videndus est Flandr. 5. methaph. q. 18. art. 1. in princip. corp.

3. Resp. cum D. Tho. ibi, quod Arist. non intendit, quod verbum substantivum se solo non significet aliquid cathegorem, sed spectans ad 1. operationem; sed quod non significat affirmando, vel negando nisi vt connectit extrema; videatur ibi: affert ergo verbum suam significationem partialem, & est terminus. ¶ Ad 1. conf. quod ly ergo habet ibi vicem puri modi vnionis, ideoque non est pars discursus, sed nota: at verbum se habet quasi forma totalis; & ideo formalizat totam illam compositionem, cuius pars principalissima penes quam attenditur tota qualitas propositionis, se habentibus predicato, & subiecto, vt materia: ac perinde nō se habet sicut modus vnionis in phisicis, sed sicut forma totalis, quæ significat ipsam attributionem predicati ad subiectum. Et per hoc patet ad 2. conf. & ad ultimum, nam forme totali etiam competit ratio termini phisici, quia est ultimum, & intra se continet omnia, quæ componunt propositionem, & cadit etiam

supra prædicatum affirmando, vel negando de subiecto, & ideo nō est cur non habeat verbum rationem termini adhuc sumpta a phisicis methaphora.

4. Arg. 2. Si verbum esset forma totalis propositionis, variato verbo de præsentis in præteritum, variaretur essentialiter propositio; siquidem casus verbi, & verbum essentialiter differunt, & variatio essentialissima, vt sic dicam, a forma totali pendet: at hoc est falsum, siquidem propositio solum variatur essentialiter penes affirmationem, & negationem, ex D. Tho. 1. perh. lect. 8. ergo verbum non est forma totalis. ¶ Resp. Verbum dici formam, seu prædicatum propositionis, ab Arist. 2. perh. cap. 2. vbi ait, quod in hac propositione *Homerus est Poeta*, verbum est prædicatum; & D. Thom. 1. perh. lect. 1. & 8. ait, esse formam: at prædicatum ipsum est forma; & nequit dari in eodem composito duplex forma, nisi altera sit partialis, altera totalis: ergo cum certum sit prædicatum solum esse formam partialem, sequitur verbum esse formam totalem, quia significat totam compositionem, & attributionem propositionis. ¶ Ad rē ergo dico, quod verbum, & casus verbi se habent sicut imperfectus ad se ipsum in infanti, aut in statu decrepito, & sic solum illa ratio est accidentalis. Vel dato, quod sit essentialis, est posterioristice, non prioristice, vt hic agimus, & sic non variatur essentialiter

ter propositio penes rectū, & obliquū verbi. Vide D. Tho. 1. perh. lect. 8. in solut. 2. ad quandam objectionem. Sed tamen ex argumento confirmatur mea sententia: quia si diuersitas essentialis attribuitur penes affirmationem, & negationē, quæ afficit copulam, & non penes vniuersalitatem, & particularitatem, quæ afficiunt subiectum, & prædicatum mediatè, vel inmediate, sequitur, quod verbum sit forma essentialissima, vt ita dicā, propositionis, siquidem ea vario modo affecta tota essentia propositionis inuariatur, & non aliās.

5. Arg. 3. In conuersione propositionum variatur partes, & tamen non variatur verbum: ergo verbum non est pars. ¶ Resp. inde colligi verbum esse ipsam formam totalem: quia variatis partibus materialibus manet idem sensus, & propositio: ergo manet sine immutatione forma: nam si hæc non esset verbum, eam rationem haberet prædicatum, & eo variato esset variatio essentialis, nec maneret idē compositum: nam eo colligitur in homine partes materiales non esse omnes, quod est in homine, quia deperditis illis per nutritionem, & alterationem, manet idem homo, eo quod manent partes formales, etsi plures partes hominis conuertantur in alias, & plures aliæ conuertantur in hominis corpus, & manet idem homo, quia manent partes formales, nam si nullæ manerent periret homo: ergo si conuerſis subie-

cto, & prædicato, manet eadē propositio manente verbo in motu, sequitur verbum esse eximiam, & formalissimam partē propositionis, atque, vt ita dicam, essentialissimā.



## DISPUTATIO II.

*De diuisione termini in scriptum, vocalem, & mentalem.*

**Q**Uæ dici possent de termino vocali, & scripto, satis meo videri consistere possunt ex dictis proxima disputatione, adiunctis his, quæ in Logic. dixi tract. 1. proœm. disp. 1. dub. 2. §. 2. nam, quæ ibi dicuntur de modo sciendi vocali, & scripto, intelligi possunt de eius partibus, seu de terminis scripto, & vocali. Quamobrem modo tota disputatione reducenda est ad terminum mentalem, cum his, quæ vsque ad finem huius tractatus enucleanda sunt.

*Dub. Vnicum. An terminus mentalis sit vere, & propriè terminus dialecticus: vel an diuisio termini in mentalem, & vocalem, & scriptum sit vniuocæ.*

**S**Uppono, quod diuisio termini in vocalem, & scriptum est diuisio quali vniuoca accidentis in subiecta, quia est diuisio secundæ intentionis partis ordinabilis ad propositionem, solum penes subtracta differens, sicut diuisio albi in lac, & niuem. Tota vero difficultas redu-

citur ad terminum mentalem secundum quod dicit M. Soro, quod est notitia formaliter significatiua, ex qua simplex conficitur propositio mentalis, at etiam fit subtractum huiusmodi secundae intentionis; cum enim dixerim in proemial. Log. dub. 2. §. 3. quod modus sciendi mentalis, qui comprehendit omnia instrumenta logicalia, non est obiectum formale Logice: quia non est subiectum artificij, aut secundae intentionis, sed totum artificium versatur in obiectis: quia conceptus ipsi formales naturaliter representant, nec sunt capaces artificij, qui fieri poterit ut modo dicatur, quod est vere, & simpliciter terminus conceptus mentis constitutus a secunda intentione.

2. Moneo tamen quod ipsi conceptus si reflexe concipiuntur, optimè possunt esse subiectum secundae intentionis, subiecti, & praedicati, & termini, sicut & aliae res, quia tunc iam inducunt orationem conceptus obiectiui, & amittunt rationem conceptus formalis.

3. Tandem praemitto, quod terminus mentalis, vel potest sumi pro ipso conceptu formali mentis, qui naturalis est imago obiectorum, vel pro conceptibus obiectiuis, qui medio verbo laet in mente.

*Vnica conclusio.*

4. Dicendum ergo, quod diuisio termini in terminum vocalem, scriptum, & mentalem non appellatur pro conceptu formali, sed pro conceptu obiectiui, & sic diuisio est

uniuoca accidentis in subiecta, quia secunda intentio termini necum reperitur in voce, & scripto, sed in obiecto talis vocis, & conceptus.

Prima pars probatur, quia ut lo. co citato Logice offendit, artificium Logicum modi sciendi, non versatur in conceptu mentali, eo quod naturaliter representat, sed quod totum versatur in conceptibus obiectiuis, & quasi secundario, vel minus principaliter in voce, & scripto: ergo sicut secunda intentio propositiua, & syllogismi non versatur in conceptibus, sed in ipsis obiectis, sic nec secunda intentio termini, quae correlatiue dicitur ad alia instrumenta. Quod verò sumpta illa diuisione, pro voce, scriptura, & conceptu obiectiui sit uniuoca, & accidentis in subiecta, patet, quia eadem secunda intentio est, quae reperitur in voce, & scripto, & in conceptu obiectiui, cum sit ordo partium ad propositionem, vel scriptam, vel mentalem, vel obiectiuam: & solum est differentia in subtracto, at quoties forma inconcreto per varia subtracta diuersi generis diuiditur, est diuisio uniuoca accidentis in subiecta, ut patet in diuisione albi in lac, butirum, & niuem: ergo.

5. Consequens ergo est, quod terminus mentalis quatenus appellatur pro conceptu formali intellectus, solum sit terminus representatiue, & ut quo quatenus representat obiecta simplicia ordinata ab intellectu ad sua praedicata, & ad consuetudam compositionem obiecti.

lectiuum, quod præstat conceptus naturaliter absque vlla secunda intentione; hæc enim repræsentat vt affixam obiecto; non vero est terminus vere, & proprie, & vt quod.

6 Argumenta autem, quæ cōtra hoc militare possent, videri poterunt in Logica loco citato, & hic argui, & dissolui mutatis mutandis.



### DIPVTATIO III.

#### De notitijs.

**D**ividitur terminus mentalis, sumptus pro conceptu formali, in notitiam, & conceptum; notitia in intuitiuam, & abstractiuam; conceptus, indirectum, & reflexū, vltimatum, & non vltimatū; ideo que hac occasione arrepta hic latissime tractant nostri dialectici de his omnibus; & ego, quod ad doctrinā attinent egi in Logica parua fateor hæc furtiue irrepsisse in dialecticā: sed vt morem geramus nostris disputatoribus, quæ hic in controuersiam, & examē vocari solent, omittere non libet.

*Dub. 1. An diuisio notitiæ, intuitiuæ, & abstractiuæ sit adæquata, & an essentialis, vel accidentalis?*

**Q**uod nostri vocant nomine notitiæ intuitiuæ, & abstractiuæ D. Thom. appellat nomine notitiæ visionis, quia hæc intuetur rem, & nomine simplicis noti-

tia, seu intelligentiæ, quia quæ abstrahit ab existētia simplicius intelligit rem. Sed tamen sub nomine notitiæ intuitiuæ, & abstractiuæ inuenio hanc diuisionem exprimi apud præcos, nempe Scot. in 2. dist. 3. q. 9. & quodlib. q. 13. & Durand. in prolog. sent. q. 3. à num. 3. & dist. 23. vbi cap. q. vnic. art. 3. Maior. in 1. dist. 3. q. 1. & 2. & Gabr. q. 1. prolog. sent. art. 4. Aduerto tamen, hic non sumi notitiam vt condistinguitur a conceptu, sed vt est idem cum illo formaliter: nam sæpè terminū vocari notitiam, docet Agul. lib. 9. de Trinit. cap. 10. vide D. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. ad 2.

*§. 1. Hæc diuisio notitiæ est bona, & adæquata.*

2 Probatur, quia intuitiuum, & abstractiuum exhaustiunt rationem diuisi, nempe notitiæ, nec dari potest notitia, quæ non sit viliua rei, aut abstractiua ab eius existētia, cum non sit medium si semel est notitia rei inter videre in se, vt præsentē, vel absentē, in se per verificātur de hac diuisione omnia requisiti ad bonam, & adæquatam diuisionem: ergo.

*Soluuntur argumenta.*

3 Arg. 1. Casu quo immediatē post punctionē cimbalii Deus annihilaret cimbalium, solius partio per aerem haberē notitia de illo, & tamen hæc non esset intuitiua, quia cimbalū, & percussio eius non extāt; neque abstractiua: quia indicat audiciens de præsentia eius, & de omnibus accidentibus: ergo.

Resp. Illam noticiam esse quidem intuitiuam sonitus, sed abstractiuam pulsationis, quod non inuenit cum sit respectu diuersorum: nam sonitus non pendet a pulsatione nisi in fieri, nec traouet aurem nisi secundū quod diffunditur in aere circumstanti, quod optimè potest fieri, etsi transierit pulsatio, & cimbalum cum non sit; imò hæc omnia per accidēs se habent. Vide D. Th. 2. de anim. lect. 16.

4 Arg. 2. Notitia quam noster in intellectu pro hoc statu habet de suo actu intelligendi, neque est intuitiua, neque abstractiua: ergo. Prob. quod non sit abstractiua, quia est de tali actu & præsentī, & est experimentalis: quod verò nec sit intuitiua. Prob. Quia non est quidditatiua, & per propriam speciem talis actus, sed est cōnotatiua, & per speciem obiecti materialis, vt docet D. Tho. 1. p. q. 87. a. 3. in cor. & ad 1. sicut noticiam quam habebant Prophetæ, quod Deus illis loquebatur, & per quandā quasi experiētiā, & euidētiā in attestante, erat abstractiua, quia illa cognitio nō erat per speciem propriā; sed per speciem alicuius effectus mirabilis connexi cū Deo; vt innuit D. Thom. 1. 2. q. 112. ar. 5. & potest videri Curiel libr. 2. opusc. cōt. 1. dub. 1. per tot. & dub. 2. conclus. 4. & 5. Ergo similiter.

Resp. eam noticiā reflexā quā habet intellectus de suo actu, licet habeat aliquam similitudinē cū intuitiua, quia habet non nihil experiētiæ, est tamen absolutē, & propriē

abstractiua: quia nō est per propriā speciem; & quia in nobis experiētia a sensibus incipit, vt ait D. Tho. 1. p. q. 54. art. 5. ad 2. vnde cum non cognoscat intellectus suum actum per speciem a rebus acceptam, & per sensus receptam, non habet experiētiā perfectā, & intuitiuam; sed eam quæ compatitur cū abstractione, qualis est ea quā nos habere de Deo in nobis in habitante, & de eius gratia, docet D. Tho. Psal. 33. & 1. 2. q. 112. art. 5. in corp. & ad 1. vel qualis est notitia doni sapientiæ, quā per quandam experiētiā diuinorum iudicat iustus de omnibus, de qua D. Thom. in 3. dist. 34. q. 1. art. 2. & q. 2. art. 2. quaestione 3. & 2. 2. q. 45. ar. 1. & 2. quæque S. Dionis. cap. 1. de diuinis nomin. attribuit Hierothæo, quæ omnes noticiæ habent abstractiuā experiētiā, quia per alienam speciem iudicant de diuinis; vnde iudicare per experiētiā de præsentia rei, & de accidentibus, quæ causat, vel quæ eam consequuntur, nō est proprietas noticiæ intuitiuæ; habetur enim ab Astrologo cæco cū adest ecclypsis; tunc enim iudicat nunc adesse, & quæ accidentia illi competant; & tamē non habet intuitionē, quia hoc non cognoscit per propriam speciem obiecti nūc mouētis ex vi præsentia (per quod pluribus occurro:) poterit ergo notitia quam ego habeo de mea intellectione esse experimentalis, & iudicare de præsentia talis actus, quin sit intuitiua.

5 Arg. 3. (& potest esse replica) notitia quā ego habeo de natura huiusmodi in cōmuni, cum est in phantasmate notitia singularis existētis ad extra, & mouentis ad cognitionē suæ naturæ potius quam ad cognitionē naturæ equi in cōmuni, ea in quā notitia, neque est intuitiua, cū abstrahat a singularitate, & præsentia exercita, neque abstractiua est, quia singulare medio phantasmate moueat: ergo datur notitia, quæ neque sit intuitiua, neque abstractiua. ¶ Resp. quod ea notitia est abstractiua, quia singulare, et si moueat, non tamen terminat notitiam sui secundum exercitam præsentiam, imò abstrahit ab illa cum solum cognoscatur natura abstracta a singularibus.

6 Arg. 4. Notitia quam habet hæreticus de substantia panis in hostia consecrata, neque est intuitiua cum desit substantia panis, neque est abstractiua cum iudicet de omnibus accidentibus rei, nempe odore, colore, & sapore immittentibus propriam speciem in sensibus, & phantasmam secundum præsentialitatem exercitam, haud aliter, quam si vere esset substantia panis, quia etiam si esset solum perciperet phantasia speciem accidentium: ergo eodem modo est illa notitia, ac si ad esset substantia panis in intellectu, si quidem sit media specie abstractiua à phantasmatibus vere representantibus intuitiue præsentiam accidentium. ¶ Conf. nam si quis modo haberet notitiam de

substantia panis, & quis à tergo eo non audiente consecraret panem, maneret eadem notitia in intellectu, ac erat antea; & tamen neque esset intuitiua, neque abstractiua, vt ex dictis patet: ergo datur notitia, quæ neutra sit. ¶ Resp. quod et si aliqui asserant, eam notitiā fore intuitiuam, quia videntur accidentia panis, quæ sunt virtus substantiæ panis, de quo Bañ. 1. p. q. 78. ar. 3. dub. 8. tamen quia non vaccat hoc periculo, quia inde arguent hæretici, quod manet substantia; dicendum cum Nugn. 3. p. q. 75. artic. 5. dub. 3. quod et si in sensu sit intuitio accidentium panis, quæ vere adiuat, in intellectu autem solum est notitia abstractiua de substantia panis, quia species quam intellectus abstrahit ab illis accidentibus representatiuam substantiæ panis, falsa est quantum ad præsentiam (de quo Soncin. 7. meth. q. 14.) & in secundo casu sicut ea notitia insensibiliter mutatur de vera in falsam, ita etiam mutatur de notitia intuitiua in abstractiuam cum à tergo vidētis eo nesciente consecraretur panis.

6 Arg. 5. Per nos, & secundum D. Thom. idem est notitia intuitiua, & abstractiua, ac scientia simplicis intelligentiæ, & visionis; sed secundum aliquos scientia approbationis est media inter utraq; illā scientiam: ergo datur medium inter notitiam intuitiuam, & abstractiuam.

Resp. negando min. Nam et si se

disidium, at quam ex illis determinare debeat reduci; admittendum tamen non est, quod vere mediet; de quo Thomistæ 1. p. q. 14. art. 9.

§. 2. *Hæc divisio notitiæ in intuitivam, & abstractivam non est essentialis, sed accidentalis.*

8 Sic probabiliter Huert. lib. 1. sum. cap. 3. q. 6. art. 1. Ferrar. 1. Cōtrag. cap. 66. Caiet. 1. p. q. 14. art. 9. Ban. 1. par. q. 57. art. 3. dub. 2. Gabriel. quæst. 1. prolog. dub. 4. RR. M. Ioan. a S. Thom. q. 23. Log. art. 1. Ortiz tract. de not. conf. 1. M. Martinez de Prado de anim. q. 21. §. 1. n. 4. Sed est disidium, quibusdam antecedentibus, intuitivam, & abstractivam esse modos intrinsecos notitiæ; alijs vero d'centibus esse de nominationes extrinsecas.

Prob. Divisio essentialis fit per essentielles differentias intra genus divini; sed intuitivam, & abstractivam esse differentias extra genus notitiæ, docet expressè D. Tho. q. 3. de verit. art. 3. ad 3. & q. 2. de verit. art. 9. ad 2. ergo. ¶ Dices, ibi loqui D. Tho. de notitia Dei, non autem de creata, respectu cuius aliqua sunt differentia essentialis actus cognoscitivum, quæ non sunt essentielles respectu cognitionis divinæ: ut patet in practico, & speculativo. ¶ Sed contra est, quod D. Thom. non recurrit ibi ad eminentiam divinæ cognitionis, sed ait per esse simplicem intelligentiam, aut visionem non poni differentias essentielles in cognitione divina, quia sunt differentia

extra genus notitiæ ex se: ergo loquitur absolute, abstrahendo a notitia creata, & increata.

9 Prob. a priori. Quod non variat obiectum in ratione cognoscibilis essentialiter, nec variat notitiã essentialiter (cuius sicut esse specificum sumitur ab obiecto, ita & diversitas essentialis specifica à diversitate specifica obiecti; sed coexistere presentialiter cognoscenti nõ variat essentialiter obiectum, ut cognoscibile: ergo. Prob. min. quia presentia, vel absentia non variat cognoscibiliter obiectum; sed sunt modi phisici, æquè enim benè ratio primaria intelligibilitatis, quæ est quidditas rei sequitur ad obiectum, siue sit, siue nõ sit presentia: fundatur enim in eius immaterialitate, ut dicit connexionem necessariam essentialium predicatorum.

10 Dices, quod presentia, & absentia non variant notitiã, neque sunt in linea obiecti, & presentant effectus phisicos, sed ut reddunt obiectum cognoscibile ut presentia, vel absens, & sic sunt differentia, seu modi obiecti, reddentes diverso modo obiectum cognoscibile, & diverso modo movens ad cognitionem sui.

Sed contra est, quod illi modi non cognoscuntur per has notitias signatè, sed exercitè, nec primo, & per se, sed secundario; nã obiectum primario specificas est quidditas respectu intellectus, & sensibile respectu sensus interni (in quo potest esse utraque notitia) at quod non variat quidditatem, aut sensibilitatem,

non variat obiectum specificū: ergo illæ differentiæ non variant per se obiectum notitiæ: nã si variarēt transirent in obiectum, & cognoscerentur signate, & nō solum exercite: ergo si non cognoscuntur signate, nō variant obiectum notitiæ.

Conf. illa præsentia, vel absentia non est colorata, & per se sensibilis, nec habet propriam speciem sensibilem, vt admittitur ab omnibus singularitas, ad quam sequitur præsentia in intellectu, non repræsentatur per se, & directe in specie intelligibili, vt ait D. Tho. q. de anima art. 2. & 1. p. q. 86. artic. 1. Et 2. Contragent. cap. 106. at quod non habet propriam speciem sensibilem, aut intelligibilem, nec per se repræsentatur in tali specie, nō potest esse differentia per se obiecti talium potētiarum, quia proprium, & per se obiectum est illud, cuius specie per se primo informatur intellectus; de quo D. Thom. Opusc. 70. q. 1. art. 3. ergo intuitiuum, & abstractiuum ex parte obiecti non sunt differentiæ essentialiter. Alias rationes vide apud Huert. & Ortizium.

*Soluuntur Argumenta.*

11 Oppositum defendit Mol. 1. p. q. 56. art. 3. & Huert. loco iam citato probabiliter. Et prob. ex D. Tho. 1. 2. q. 67. art. 5. vbi reddēs rationem, cur fides nequeat manere in patria, ait: *Ideo esse, quia remota differentia alicuius speciei, nō remanet substantia generis eadem numero, & ita non potest esse, quod eadem numero no-*

*titia, quæ prius enigmatica erat, postea fiat visio clara.* Sentit ergo, quod videre rem in se, & non videre sūt differentiæ essentialiter intra genus notitiæ; sed hoc est per quod distinguuntur notitia intuitiua, & abstractiua: ergo. ¶ Resp. non ideo fides, & visionem differre essentialiter, quia sunt visio, vel non visio præcisse, sed quia sunt altera ænigmatica, & per diuersum medium, & speciē ab altera, quæ rē in se per propriā speciē attingit: at nos per eandē speciē, & mediū possumus cognoscere rem vt præsentem exercitè, vel vt præsentem non exercitè, vt dixi num. 4. de Astrologo cæco, vel si cognoscatur, & absens exercitè, fit per idem mediū, & speciē repræsentatiuā quidditatis; & ideo non sequitur, quod si fides, & visio differunt essentialiter per videre, aut non videre ex diuersis medijs, etiā notitia intuitiua, & abstractiua differant essentialiter per differentias intra genus notitiæ.

12 Arg. 2. quæ differunt ex parte repræsentationis, quæ est naturalis in specie, & conceptu, differunt essentialiter, siquidem non dicunt eandem adæquationem, quam dicit repræsentatio, sed præsentia, vel absentia repræsentatur in his notitijs, cum percipiatur, & cognoscatur ab intellectu, nec materialiter tantū se habeat ex parte obiecti (sicut cū me nesciēte versantur in obiecto) & notitia intuitiua non percipit absentiā, neq; intuitiua præsentia: ergo differunt essentialiter.

Resp. ea non representari signate, sed solum exercite, sicut sensibile commune representatur in specie visus, & ideo non variare notitiam, quia sola representatio signata dicit adaequationem. ¶ Contra est: etsi solum cognoscantur, & represententur praesentia, & absentia exercite in his notitijs, non sequitur, quod se habeant per modum conditionis accidentalis; nam ratio sub qua solum representatur exercite, & ut quo; & tamen, quae differunt penes diuersas rationes sub qua essentialiter differunt.

Dices, verum esse, quod ratio formalis sub qua solum ut quo attingitur, ceterum ipsa est ratio attingendi cetera: at probabimus, quod illa praesentia non est ratio cognoscendi cetera; sed quod in obiecto sensibili, & intelligibili, ex consequenti attingitur, & sic quod exercite tantum attingitur, est conditio tantum accidentalis. ¶ Sed contra est, quod ratio exercita reddens obiectum magis cognoscibile non est consequuta, sed ratio attingendi obiectum, & intra genus obiecti, & notitiae, est essentialis, at coexistentia illa notitiae intuitiue reddit obiectum magis cognoscibile; melius enim iudicamus, de veritate, & accidentibus rei, quae est praesens, quam de absentia: ergo non se habet ut conditio, sed ut ratio cognoscendi. ¶ Resp. quod coexistentia illa solum est ratio magis cognoscendi secundum quid; & penes accidentia, non simpliciter, seu qua-

si a priori: nam huius causa sunt praedicata quidditatiua, & propria immaterialitas, & causae intrinsecae, quae abstrahunt a praesentia, vel absentia, ideoque coexistentia, vel non coexistentia obiecti cogniti sunt conditiones accidentales consequutae ad notitiam, non vero rationes essentialiter differentiales.

13. Arg. 3. praesentia, & absentia sunt per se differentiae obiecti, ut amabilis; hac enim ratione essentialiter differunt desiderium, & gaudium, timor, & iustitia, simplex amor, & fruitio: ergo & erunt per se differentiae obiecti intelligibilis.

Dices cum Caiet. 2. 2. q. 18. art. 2. neg. conseq. Quia obiectum est amabile, ut ad extra consequibile, ut existens, quod per illas rationes multum variatur, at est intelligibile ratione quidditatis, & ut ad intra trahibilis, ad quod per accidens est, quod coexistat, cum veritas ex praedicatis quidditatiuis intelligibilis potius ab his abstrahat. ¶ Contra est tamen, quod obiectum esse intelligibile, aut amabile secundum quod est ad intra, vel ad extra, non dicit rationem formalem obiecti, sed conditionem: alioqui omnis vox significaret rem mediante conceptu, & omnis praedicatio esset terminus secundae intentionis: ergo ex illo diuerso modo quo illae potentiae percipiuntur suum obiectum male sumitur ratio, cur respectu vnius praesentia, vel absentia se habeant per se, & in altera se habeant per accidens. ¶ Resp. Quod intellectus nedum petit obiectum

ctum intra se, quod est cōditio; sed habet pro obiecto quidditatē, quæ est intra rem, ad quam se habent absentia, & præsentia per accidens: at voluntas fertur ad rem, nedum ad extra, sed secundam extrinsecam, nempe existentiam, & alia accidentia, ad quam sequitur bonitas, perfectio, & integritas, & ideo differentie, præsentia, vel absentia sunt differentia essentialia.

14 Arg. 4. Casus rectus, & obliquus eadem specie vtuntur in mente, eademque quidditatē attingunt ex parte obiecti, & tamen quia sub diuerso modo exercito conceptus illi in mente attingunt illam quidditatem, & diuerso modo vtuntur illa specie, rectus, & obliquus in mente essentialiter distinguuntur, siquidem conceptus recti sub secunda intentione nominis attingit obiectū; conceptus vero obliqui sine tali secunda intentione dicente Arist. 1. perhierm. cap. 1. obliquum nō esse nomē, sed nominis casum: ergo.

Resp. Varias esse circa obliquū, & rectum opiniones; nam qui afferunt eos conceptus diuersificari essentialiter, simul dicunt in actu signato relucere in conceptibus rationem recti, & obliqui, & usum speciei applicari conceptui sub diuersa ratione formali; licet in diuersis scientijs eadem species deteruiūt, sub diuersa tamen ratione: at qui afferunt, eos conceptus accidentaliter tantum differre simul dicunt, modos recti, & obliqui exercite tantum attingi ab illis conceptibus, ac

perinde obiecti præsentia, vel absentia tantum exercite attingitur ab his notitijs, sequitur eas accidentaliter solum diuersificari.

§. 3. *Modi præsentia, & absentia non sunt denominationes tantum extrinsecæ in notitijs, sed modi intrinseci.*

15 Deducitur diuisio nostra ex August. lib. 2. ad Simplicia. q. 2. vbi docet, quod mutaretur Deus si de nouo haberet notitiam intuitiuā, respectu eorum, quæ ante cognouisset per simplicem præsciētiam: sed si ratio intuitiui esset sola denominatio extrinseca, non esset cur Deus mutaretur, cum nec creatura ex eiusmodi denominationib⁹ immutetur: ergo ratio intuitiui mod⁹ intrinsecus est, & non sola extrinseca denominatio. Quod & defendūt Huer. Ortiz. & RR. Joann. à S. Th. Probaturque a ratione: quia si ratio intuitiui tantum esset coexistētia notitiæ cum obiecto, sine eo quod esset modus intrinsecus, non esset vlla ratio, vel apparens, cur notitia quam habet Astrologus de præsentia ecclipsis, quæ hic, & nunc coexistit tuæ notitiæ (& hoc ille scit) non esset notitia intuitiua, siquidem ea notitia est circa obiectu, vere, & realiter, & nihilicō coexistens illi notitiæ eamque denominans, non minus, quam columna denominatur dextra ab eo, qui illi coexistit, imo etiam si quis ignoraret obiectum sibi esse præsens.

si reuera esset præsens, ea notitia esset intuitiua; & tamen non est: ergo esse intuitiuam notitiam, non prouenit præcisè ex eo quod extrinsecè coexistat obiectum, sed ex eo quod ipsa repræsentatio conceptus modo aliquo intrinsecè repræsentationi refertur ad præsentiam exercite repræsentatam per talem conceptum.

16. Si quis autem exclusis his modis, qui & mihi in alijs materijs infensū fuit; & superflui iudicatur, pro his omnibus confugere uellet ad connotata intrinseca, per me licet: imò, & congruatur labor ei, dummodo extrinsecas istas denominationes exhiberet.

*Soluuntur Argumenta.*

17. Oppositum (ut fertur) tuetur Caiet. 1. p. quæst. 14. ar. 9. Bañ. 1. p. q. 57. art. 2. dub. 1. & q. 78. a. 3. dub. 8. & probabile reputat Huere. ubi supra. Et probat. Quod se habet extrinsecè, & per accidens respectu obiecti, ut intelligibilis, omnino se habet extrinsecè respectu notitiæ: sed præsentia, vel absentia physica est extra genus obiecti ut intelligibilis, ut supra ostensum est: ergo mere extrinsecè se habet respectu notitiæ.

Resp. Quod licet præsentia, vel absentia in linea physica se habeant extra genus obiecti cognoscibilis, tamen ut cognoscibilia modificant obiectum intrinsecè, licet non essentialiter, ad minus tamen accidentaliter, ac perinde ordo ad obiectum

ut sic modificatum, vel ut sic connotas ab intrinsecò absentiam, vel præsentiam, intrinsecè se habet eodem modo respectu notitiæ.

18. Arg. 2. Ex eo veritas, vel falsitas, & dextrum, vel sinistrum in columna sunt in pluriū opinione, denominationes solum extrinsecæ: quia idem iudicium immutatum manens transit de vero in falsum, & eadem columna de dextra in sinistram; sed etiam eadem notitia immutata manens potest transire de intuitiua, in abstractiuam: ergo huiusmodi sunt denominationes tantum extrinsecæ. Prob. min. Tum ab experientia eius, qui modo habet notitiam intuitiuam substantiæ panis, si eo nesciēte, vel nō audiente consecraretur, eadem notitia permaneret, & tamen transiret de intuitiua in abstractiuam. Tum quia per hoc solum, quod mutetur obiectum, optimè intelligitur transitus ille notitiæ de intuitiua in abstractiuam.

Resp. Quod ea notitia intrinsecè mutaretur per diuersam terminationem; manente substantia actus, licet hoc fieret imperceptibiliter ob minimam entitatem illorum modorum, vel saltem mutaret connotationem intrinsecam. Nec est idem de veritate: quia hæc non dicit nisi adæquationem intentionalem, quæ deficit quocumque extremo mutato: sed intuitio est ad rem in se intelligibiliter percipiendam; nec potest hoc saluari, nisi notitia aliquid habeat, vel per modum

quomodo, vel per modum con-  
notati.

*Dub. 2. In quibus potentijs dari pos-  
sit notitia intuitiva, & abstra-  
ctiva.*

**C**ertissimum est in nostro in-  
tellectu, & in cæteris sensi-  
bus internis, in quibus aut est me-  
moria, aut formatio idoli, dari pos-  
se notitiam abstractiuam; siquidẽ  
tangunt obiectum, non in se, sed in  
alio; ac perinde non dependent ab  
esse physico eius, nec ad illud ter-  
minantur, sed intentionaliter ad a-  
liquod idolum ad intra formatum.  
Certum est etiam, in sensibus exter-  
nis dari notitiam intuitiuam rei,  
cum ad eam immediate, & in se ip-  
sa, & non mediatè idolo termi-  
netur notitia. Nunc ergo dubium  
est, quomodo intellectus grudeat  
notitia intuitiva, cum non termi-  
netur ad rem ad extra; & an sensus  
exterior habere possit notitiam ab-  
stractiuam, cum nec memoria gau-  
deat, nec medio idolo terminari  
possit ad obiectum.

*Q. 1. In nostro intellectu datur notitia  
intuitiva obiecti ad extra coe-  
xistentis.*

**2.** Sic communiter Thomistæ:  
M. Soto lib. 1. sum. c. 3. nu. 4. Caiet.  
1. p. q. 45. ar. 1. Scot. in 4. dist. 45. q.  
3. M. Mart. de Prado 3. de anim. q.  
21. §. 2. vbi refert Greg. Och. Fons.  
Conimb. & potest referri P. Peña.

disp. 20. de anim. q. 4. Ortiz, Huér.  
& quotquot concedunt speciem  
propriam rei singularis, qui idem  
tuentur in intellectu. Et prob. In se-  
su externo datur notitia vere, &  
proprie intuitiva, ex eo quod at-  
tingit rem ipsam in se, vt substas-  
phicè præsentia percipiendo ta-  
lem præsentiam: ergo a fortiori da-  
tur notitia vere, & proprie intuiti-  
ua in intellectu. Prob. consequent.  
Turn quia intellectus non termino-  
tur ad rem ipsam vt quo, sed ver-  
bum mentis sit medium in quo, ta-  
men vt quod res ipsa terminat cog-  
nitionem sui. Alias præsentia ipsa  
externa multo minus est sensibilis,  
aut colorata, quam sit intelligibi-  
lis: ergo multo magis percipitur  
etiam exercitè ab intellectu, quam  
a sensu: ergo multo magis est in-  
tuitiva notitia intellectiua. Dato  
autem, quod notitia nostra intel-  
lectiua non terminetur ad rem ad  
extra vt quod; tamen melius per-  
cipit coexistentiam cum sua cog-  
nitione, & præsentiam ad sensum,  
quam ipse sensus: ergo ea notitia  
intellectiua; vt continuata cum  
sensu, & vt connotat hic & nunc  
sensem terminari ad rem ipsam in  
se exercitè, erit intuitiva singula-  
rium, sicut hac ratione et e experi-  
mentalem docet D. Thom. cum

Arist. 1. meth. lect. 1. & specialitè  
ter quest. 16. de malo artic. 1.  
ad 2. artic. 3. ad 3. & ar-  
tic. 7. ad 12.

(11)

*Soluntur argumenta.*

3. *Oppositum* tuerentur Durād. q. 3. prolog. artic. 2. Basol. ibi q. 7. Capreol. in 2. dist. 23. q. unica ar. 3. Aquar. in 2. not. ad Ferrar. 3. de anima q. 13. necdissentit Agid. Lusit. lib. 8. de beat. p. 1. q. 1. ar. 3. §. 4. ad 6. Et prob. quia ad noticiam intuitiuam requiritur, quod terminetur ad rem ipsam in se, vt præsens est physicè, & coexistens: at secundum D. Tho. in numeris locis, quos refert M. Mart. de Prado 3. de anima q. 18. §. 1. notitia intellectus terminatur ad rem, non prout in se, sed prout in verbo, tam vt quo, quam vt quod, quatenus intellectus trahendo res ad se intelligit, vt condistinguitur à voluntate: ergo in intellectu non datur notitia intuitiua, verè, & propriè. ¶ Resp. cū D. Tho. Quodlib. 7. art. 1. cognitionem rei in verbo non facere cognitionem mediatam: quia verbum, & res ipsa non ponunt in numero; solū autem medium per quod facit cognitionem mediatam; ac perinde nego, quod cognitio intellectus non terminetur ad rem ipsam in mediata, & si eam videat representatam in verbo, tam vt quo, quā vt quod. Vel dato, quod non terminetur ad rem ipsam in se formaliter, terminatur tamen immediatè de comotato, quatenus ea notitia continuatur cum sensu, & connotat illi esse præsens obiectum, & hoc percipit intellectus, quod sufficit ad propriam, & veram noticiam

intuitiuam in intellectu.

4. Instant secundo, quod præsentia sequitur ad singularitatem, & intuitio ad noticiam ei singularis; at intellectus noster non terminatur directè ad singulare, sed quasi indirectè, vt dictum est lib. 1. physic. dub. 2. §. 1. ergo neque potest dari vera, & propria intuitio in intellectu. ¶ Resp. quod sicut in directà cognitio singularium non obest quo minus ea propriè cognoscat; sed eatenus tantum dicitur in directà, quatenus per prius, seu primario attingit quidditatem ipsam: sic non obest, quo minus verè, & propriè intueatur rem vt præsentem: & si denominatio intuitionis non sit primaria in illa notitia, sed denominatiua, & accidentalis.

§. 2. *An in sensu externo dari possit notitia abstractiua, verè,*

*& propriè.*

3. Resp. negatiuè, imò & dicere repugnantiam; & quidem hoc materialiter repugnare, docet Arist. 2. de anima text. 6. ibi: *Sentire non est in ipso* (idest in potestate sensus) *necessarium enim est esse sensibile.* Et videri potest D. Tho. 1. p. q. 78. art. 4. & in 4. dist. 10. q. 1. art. 4. quæstiō. 1. Et ratio manifesta est, quia in his sensib<sup>9</sup> nec est memoria, neque formatio idoli, sed tam moueri à sensu, quam terminari, est ad rem, vel à re ipsa in se, vt experientia docet: repugnat ergo in absentia dari noticiam in sensu externo.

Quod

6 Quod autem hoc repugnet etiam de potentia Dei absoluta; ut probabilius tueretur Suar. tom. 3. in 3. p. p. 76. art. 7. disp. 53. sect. 4. §. 9. *superst.* R.R. Ioan. à S. Thom. disp. 23. log. art. 2. conclus. 2. & q. 6. de anima artic. 1. Prob. ratione desumpta ex doctrina D. Thom. & Arist. 2. de anima text. 52. & 59. & 1. 2. q. 15. art. 1. & q. 17. ar. 7. & 1. p. q. 78. artic. 3. & 4. id quo essentialiter distinguitur in genere sensus externus ab interno est illi essentialiter, & insupplebile per quamcumque Dei potentiam: atqui sensus externus distinguitur ex genere suo ab interno, per hoc, quod est terminari ad rem ipsam in se immediatè, cum tamè sensus internus terminetur ad eam medio verbo, seu idolo, quod potest in absentia rei formari: ergo implicat sensationem externam dari respectu rei absentis.

7 Responderi potest cum M. Raphaelè de la Torre, quod secundum motum rerum ad animam implicat sensum non moueri ab objecto in se presenti, at non implicare secundum motum animæ ad res medio quo species sensibiles possunt reuerti ad sensus externos, & in absentia objectorum ea sentire.

8 Resp. & impugnatur. Nam attempta prima adquisitione secundum motum rerum ad animam, omnes sensus pendent essentialiter a præsentia sensibilis: ergo ut saluetur essentialis differentia inter sensus externos, & internos debet poni, quod nec secundum motum animæ ad res

(quæ ficticia est) possit sensus externus in absens, cum tamen hoc possit sine sensu interni.

9 Prob. nostra conclusio à priori. Nulla potentia potest eleuari ut attingat, quod est extra suum obiectum adæquatum specificatum, ideoque nec visus potest audire; sed obiectum absens est extra obiectum adæquatum specificatum sensus externi: ergo. Prob. nam obiectum adæquatum visus, v.g. est coloratum physicum, & auditus est sonus physicus; sed quod est absens, vel non existit modo coloratum non est physicum, & ad extra sensibile: ergo nec est intra obiectum adæquatum sensus externi. Vnde optimè ait August. lib. 11. confess. cap. 18. *Videri non potest nisi quod est.* Nec est recursus ad idolum formabile de potentia Dei absoluta; tum, quia hoc in nostra sententia repugnat; tum, quia hoc non esset verè, & physicè, & ad extra coloratum: ergo nec obiectum sensus ad extra, seu visus externi. Vide attentè Arist. 2. de anima tex. 52. & 3. lib. text. 141. & ibi D. Tho.

Confir. ex testimonio Christi Lucæ 24. ubi ut ostenderet, resurrexisse in vera carne, hoc remittit ad eorum sensationem, dum ait: *Palpate, & videte, quia spiritus carnes, & ossa non habet;* at si de potentia Dei absoluta posset dari externa sensatione ad rem, quæ physicè non esset præsens, ea probatio Christi Domini efficax non fuisset; posset enim Thomas, & alij tergiversari dicentes, quod ea notiora, seu palpatio sensus

externi erat abstractiua, & respectu carnis, quæ fuit; non autem eius, quæ post resurrectionem illis luadebatur, quia Deus utebatur in hac sua potentia absoluta: ergo. Et quamvis hæc probatio, non ita urgeat de potentia absoluta, saltem me convin- cit circa potentiam ordinariam.

*Soluntur Argumenta.*

10 Oppositum etiam de potē- tia ordinaria, & naturali tenuit quondam Averroes (quem D. Tho. opusc. 16. destructorem totius philo- sophiæ appellavit) in tract. de som- no, & vigil. Buridian. 2. de anima q. 21. M. Raphael de la Torre tom. 2. in 2. 2. in introduct. q. 75. disp. 6. & alij, quos anonime refert Huert. hic q. 6. art. 4. Quod vero saltem non repugnet de potentia Dei absoluta tenent Molina. 1. p. q. 53. art. 2. disp. 2. memb. 5. Conimbric. 2. de anima cap. 3. q. 3. art. 1. & 2. Suar. 3. de ani- ma cap. 12. Rúbius 2. de anima trac- tatu de object. cap. 5. & 6. q. 13.

Prima autem sententia prob. 1. auth. Arist. lib. de som. cap. 2. ubi ait: *Sensibilia secundum singulum sen- sorium, in nobis efficiunt sensum, & que fit ab eis passio, non solum inest dum sensus agunt, sed etiam dum abierunt: at ista passio sensatio est: ergo in absen- tia sensibilium est notitia sensus ex- ternei.* Et lib. 3. de anima textu 138. ait: *Sensibilibus ipsis se motis, insunt in sensuum instrumentis sensus, imaginatio mesque.* Et tex. 156. *à nobis clausis ocu- lis visa videntur, atque apparent.* Idē. que docet D. August. 11. de Trinit.

cap. 2. dum ait, quod impingente capite ad parietē scintillæ resiliūt, quæ videntur ex oculis in tenebris. At tunc non adest lux sensibilis: er- go abstractivè cognoscitur ex mo- tu animæ ad res, quia descendant species à superioribus sensibus, & affixè externis, eos faciunt senti- re.

11 Resp. ad 1. testim. dico non docere Arist. quod postquam absūt sensibilia est sensatio externa; sed quod postquam transijt, seu abijt sē- sus, seu sensatio externa, adhuc est passio in sensu interno phantasiæ, quia illic manent species immixtæ à sensibus, & phantasiæ actus.

Ad 2. test. dico solum docuisse, quod se motis sensibilibus, manet actus sensus communis, & imagi- nationis; hoc enim intelligit ibi no- mine *sensus*. Quia hic immediatè, sentit seu percipit sēlationes, quin- que sensuum externorum.

Ad 3. ex D. Tho. ibidem loqui de insomnis, quæ sunt opus phan- tasiæ, non autem sensus in actu.

Ad 4. quod illa lux, quæ in tene- bris resultat ex illa collisione oc- culorum, est vera lux, sicut ea, quæ resultat ex senili, & putrida quer- cu, & ex pilis fellium dum scalpū- tur, & id vt præsens videtur, quia est verū visibile, non vero aliquid fictum, aut absens.

12 Si istes, in somnis nos ex- periri, quod videamus prata, audi- mus musicam, concedimus, bibi- mus, gustamus: sed hoc fieri nequit nisi hi sensus operentur in absentia obie-

obietorum descendētib⁹, quæ manent in phantasia sensibilib⁹ speciebus: quia non datur sensatio in actu sine sensu in actu: ergo si expetitur eas sensationes; ideo est, quia in sensu externo datur sensatio.

Resp. ex eleganti doctrina D. Thom. in 2. dist. 8. quæst. unica art. 5. ad 4. & q. 16. de demon. in corp. circa finem, & ad 6. quod phantasia duplici modo percipit sensationes externas, aut secundum motum rerum ad animam, & secundum quod sensus externi percipiunt obiecta, & sic mittit species ad sensus superiores, & sic vere percipit. Alio modo secundum motum animæ ad res, quatenus species, quæ erant in memoria ex commotione sanguinis, & spirituum, descendunt. *isue ad principium organum finium* (nota, quod non dixit ad sensus ipsos) & ut contingat præstigia, vel illusiones demoniorum, & somniorum, quatenus sine hoc, quod sensus externus sentiat fallitur phantasia, quia cum rursus recipiat eas species, quæ tetigere principia organorum sensuum externorum (a quibus alias ascendunt tales species) putat, quod sensus externi actu sentiant, & quod ex eorum sensatione immittantur ad se tales species; & sic fallitur putans sensus externos sentire, quod non sentiunt. Et hoc docet D. Thom. quo mirificè confirmat meam sententiam, vnde & immerito assumuntur hæc verba D. Tho. pro fundamento oppositæ sē-

tentiæ à M. Raphaelē de la Torre vbi supra citato.

13 Arg. 2. eo potest sensus internus, & intellectus operari abstractivè in absentia obiecti, quia potest conservare speciem in eius absentia, sed hoc etiam possunt sensus externi; saltim pro brevi tempore: ergo.

Probat minor; tum, quia impulsus sagittantis potest conservari brevi tempore, etiam si sagittarius intercitat, & sonus durat absumpto sonatuo: ergo in absentia obiecti potest manere species in aere, & a fortiori in sensu.

Resp. speciem illam pendere in sensu externo ab obiecto in fieri, & conservari, sicut lux à sole, quod ex natura sua habet, cum tamen hanc dependentiam non habeat impulsus sagittantis, quod patet, quia absente obiecto petit naturaliter ex speciem, nec multum potest durare: sed non a contrario, quod non habet, neque quia aperit subiectum: ergo quia per se pendet ab obiecto, quo absenti perit. Nec illud de sono verget, quia illæ species multiplicantur per medium in tempore, aut aurem informant in instanti, & non dependent à sonatuo, sed à sono diffuso in aere circumstante, & quandiu ibi durat sonus, durat species in aere, & non plus.

14 Pro secunda sententia arg. 3. ex D. Thom. 3. quæst. 76. articulo octavo, vbi ait, quod cum sub speciebus consecratis apparet figura pueri, vel carnis, bifariam hoc

contingit, aut ita ut fiat aliqua immutatio ex parte specierum, & sic videtur ab omnibus; aut quia fit immutatio in oculis vidētis, ac si videret puerū, vel carnē, & tunc nō fit immutatio ex parte Sacramenti, nec videtur ab omnibus: ergo tunc videtur ab oculis, quod non est in re visibile, ex miraculosa immutatione oculorum: ergo de potentia absoluta datur notitia abstractiva in oculis. Et in 4. dist. 10. q. 1. artic. 4. *Fieri potest* (ait) *diuino miraculo; ut similitudo corporis fiat in oculo, sicut naturaliter fieret, si corpus Christi esset præsens. Vide D. Tho. 3. p. q. 1. art. 2. & q. 55. art. 4. ¶ Resp. non dixisse D. Tho. ibi, quod tunc oculus vere videt, sed quod facta similitudine in oculo percipit immutationem se habet videns, ac si expresse videret carnem per speciem immixtam ab obiecto; quia posita illa specie in principio organi visui, & immixta ad phantasiam, & imaginationem, putat se videre sensu externo, quod apparet in phantasia, ut dixi n. 12. nec inde fit, interuenire ibi illusionem, seu prestigium, aut deceptionem, sicut in magorū spectris: quia ut sedulo aduertit D. Th. locis modo adductis, *formatio talis speciei in oculo ad aliquam veritatem figuram ordinatur. Quod non aduertit D. Th. nisi eodem modo contingeret, & si non ob eundem finē, sed relege attentē dicta nu. illo 12. Vel hoc fit per apparentes colores in aere, sicut contingit in iride, ut alij malunt: sed ego fidam primæ solutioni.**

15 Arg. 2. tota dependentia, quam habet notitia sensitiva exterior ab obiecto præsenti est supplebilis à Deo: ergo potest dari sensatione externa circa obiectum absens. Prob. antec. tota dependentia est, tanquam à causa formali extrinseca: hæc potest à Deo suppleri: ergo. Prob. min. tum, quia dependentia quam habent accidentia à substantia, tanquam à causa materiali extrinseca suppletur à Deo in absentia substantiæ, ut patet in accidentibus Eucharistiæ: ergo etiam dependentia in genere causæ formali extrinseca potest suppleri. Tū, quia hæc dependentia, & specificatio ponitur in notitia sensus interni, & tamen in absentia obiecti potest dari, siquidem etiam tunc idolum specificatur ab obiecto externo, tanquam à causa formali extrinseca: ergo etiam de potentia absoluta poterit saluari dependentia, quam habet sensus externus à suo obiecto, sine hoc, quod sit præsens. Nec videtur euidenter reddi implicationem, cur sensus externus nequeat formare idolum obiecti, & eo mediante tendere in obiectum absens.

16 Resp. quod in eo casu nō supplet Deus effectum causæ materialis panis, sed eius concursus effectiuū, & dando accidentibus modum substantiæ non egent concursu materiali substantiæ: Deus autē nihil potest dari sensui externo, quod non sit externus, & cum hoc habeat, ex eo, quod terminatur ad re ad extra in se ipsa, & hoc formaliter

ter esse nequeat nisi res sit præsens, sit hoc non posse suppleri a Deo.

Ad 2. resp. quod licet specificatio absolute non requirat existentiam obiecti, tamen specificatio sensus externi essentialiter exigit, quod are ad extra specificetur, & ad eam terminetur. ¶ Ad vltimum nego, quod sit possibile tale idolum; sed eo dato essentialiter exigeret terminari ad rem ad extra, quia esset idolum, non sensus interni, sed externi, qui necessario, & essentialiter exigit ad rem ad extra terminari.

17 Arg. multo magis est extra spheram potetie actiue corporeæ res spiritualis, quæ extra spheram sensus externi, & eius obiecti res absens; at Deo volente potest ignis corporeus agere in spiritibus torquendo, & immutando eos in inferno: ergo poterit obiectum absens immutare sensum externum ad cognitionem sui, vel poterit de potentia absoluta sensatio externa in obiectum absens.

Resp. hoc ad summum probari posse aliquid eleuari vt instrumentally agat extra spheram suæ actiuitatis naturalis; non autem extra spheram adæquatam suæ potentie obedientialis: at actus vitalis nequit esse instrumentalis formaliter vt vitalis, & cum ea immutatio, & sensatio sit vitalis non habet locum concursus instrumentalis, at principalis implicat: ergo. ¶ Præterquam quod causa instrumentalis ad efficientem reducitur, quæ exigit

essentialiter, quod ipsa, & idem quod agit existant vt fiat actio; vt de implicat, quod ignis non existens torqueat physicè spiritum, vel quod agat spiritum, qui non est: ergo cum obiectum non est existens nequit eleuari, vt videatur, vel sentiatur, etiam de potetia Dei absoluta. Poterit quidem Deus facere, quod ego videam huc, quæ sunt Romæ augendo virtutem visui, quia iam non sunt absentia, neque extra spheram meæ actiuitatis potentie, at quod videam non existens repugnat ex parte facti, vt dixi.

§. 3. *Sensus communis per se petit terminari ad præsens, solumque per accidens ad absens.*

18 Prima pars probatur, quia D. Th. 1. 2. q. 15. art. 1. & q. 17. art. 7. ad 3. & 1. p. q. 78. art. 4. solum imaginationi, & phantasia attribuit per se posse attingere obiecta in absentia. Tum, quia sensus communis est, quasi centrum quinque sensuum externorum, quod agit ex eorum immutatione iudicando de eorum differentijs: at sensus externi solum sunt circa præsens: ergo & sensus communis ex eorum immutatione sentiens.

Quod vero sensus communis, dum non operantur sensus externi possit per accidens (secundum motum anime ad res; de quo num. 12. dixi) in absentia sentire, maxime in dormientibus cum non sufficiens

copia vaporum, & in amentibus, & phreneticis, etiam dum vigilat, docent D. Tho. expresse 1. p. q. 48. art. 8. ad 2. & q. 111. art. 5. & lib. 3. de anima lect. 4. & 5. & Arist. ibidem. Et patet, tum, quia supremū infimū, attingit infimum supremū; de quo D. Tho. 1. p. q. 48. art. 4. at sensus communis est supremū respectu quatuor sensuum: ergo potest per accidens, & ex conjunctione ad superiores sensus attingere modum notitiæ rei absentis.

Præterquam quod via motus animæ ad res commotis spiritibus descendunt species principia organorum externorum, & deinde regrediuntur ad sensum comunē, & ad alios sensus: ergo tunc poterit sensus communis informatus illa specie sentire in absentia obiecti.

19 Si dicas, sensum comunē per se sentire medio idolo, at quia alij sensus interni formant idolum possunt terminari ad absens: ergo & hoc per se potest sensus communis. ¶ Resp. per sensum externū formari idolum præcise ex commotione sensuum, quia caret memoria, & ideo per se solum debet tale idolum ad præsens, quamvis quia format idolum per accidens possit in accideas, at sensus interni per se utuntur, vel memoria, vel ex immutatione sensuum externorum; & ideo per se possunt, tam in præsens, quam in absens. Vide D. Th. 3 de anima lect. 3. & Mag. Martinez de Prado ibi quest. 2. §. 4. à au,

Dub. 3. An possit dari etiam de potentia Dei absoluta notitia intuitiva rei absentis?

1. **C**onclusio est negatiua. Sic communiter Thomistæ 3. p. q. 11. art. 7. vbi sic Med. Nazar. At aujo, Cabr. & 1. p. q. 57. art. 3. vbi Villar controu. 82. Corolar. unico, qui citat Bañ. Zum. & Nauarrete. Idem tenet Ferrar. 1. Contragenr. cap. 66. & 67. in præsentem autem Huert. M. S. Tho. Ortiz, & Ledesm. de esse Dei q. 9 art. 5. cōc. 4. Et summendum est ly *absens* physice, & formaliter; non enim sufficit obiectiue, alioquin nulla notitia abstractiua nō esset intuitiua, cum omnis abstractiua terminetur ad re obiectiue præsentem; ideoque D. Tho. 1. p. q. 14. artic. 13. recurrit ad physicam existentiam futurorū, in æternitate, vt saluet Deum omnia, quæ non remanent in pura possibilitate certo cognoscere, & in se intueri. Quare Angeli, & Deus, quibus nulla distantia physica obest ad hoc, quod sit illis res existens physice præsens ob distantiam localem deinit habere notitiam intuitiuā, & cum Deus augendo virtutem cuius habet potentiæ possit facere, quod distantia non impediatur ad visionem rei in se potest facere, quod sit notitia intuitiua respectu eorū quæ alijs sunt absentia; quia supposita virtutis cognoscitiuæ ampliatione virtutis, iam non sunt absentia. Similiter data æternitate parti-

participata in visione beata, & in alijs actibus, quæ mensuræ nostri temporis sunt futura, ibi sunt præsentia; & ideo notitia intuitiua ex participatione æternitatis, non est rei absentis, sed præsentis: posse autem dari participatam æternitatem, latè ostendi. 1. p. q. 10. art. 3. cum D. Tho. ibi, & 3. Contrag. cap. 61. Conclusio ergo debet intelligi de eo quod physice formaliter est absens, aut ratione distantie, aut ratione durationalis respectu notitiæ, & sic dico implicare etiam de potentia Dei absoluta notitiam intuitiuam rei absentis.

2. Et prob. quia de ratione notitiæ intuitiue est, quod res cognita habeat esse extra vidētem, coexistat illi secundum propriam mensuram, & sit intra spheram præsentie cognitionis, ex D. Tho. 1. p. q. 51. art. 2. at quod est formaliter absēs, aut ratione distantie, aut ratione durationalis, non est in se attingibile, neque coexistit formaliter cognitioni, & notitiæ, sed potius ea notitia abstrahit ab eo, quod non est intra spheram attingentiæ notitiæ: ergo nisi vel augetur virtus potentie, ita ut ea distantia sit materialis, vel participetur æternitas ratione cuius res sit non futura, nequit ea notitia esse intuitiua. Tum quia quod non est, videri non potest, ut ait August. 11. Confes. cap. 18. & D. Tho. 1. p. q. 57. art. 3. at quod est absens formaliter, aut non existens, non est respectu huius cognoscentis: ergo inueniri nequit. Tum,

quia D. Thomas ait prima parte quæstione 14. articulo 13. quod futurum, ut futurum, cum non habeat esse determinatum, nequit videri in se determinatè; at intuitio est determinata cognitio rei in se: ergo nec de potentia absoluta inueniri potest, quod sic est absens, nam terminari determinatè ad rem in se, & rem non esse in se determinate implicat, ideoque D. Thomas ibi ut Deus rem possit cum se ipsa certo cognoscere antequam sit in propria mensura, inuenit physicam rerum existentiam in æternitate.

3. Si dicas, sufficere Deum in se fundere species rerum futurarum, vel absentium, ut sunt in æternitate, ut possim ego rem absentem intuitiue cognoscere.

Contra est, quod æternitas non est mensura in representando, sed in essendo: si ergo illæ species non habent æternitatem participatam, non faciunt, quod res cognita physice coexistat cognitioni. ergo solum facit præsentiam obiectiuam, quæ non abstrahit notitiam à linea abstractiue: ergo non sufficiunt ad notitiam intuitiuam rerum absentium, vel futurarum.

Præterea, illæ species non representant Deum in se (ut pro certo docet D. Thomas prima parte quæstionæ 12. articulo secundo, & tertio: ) ergo solum representant re possunt signum, vel effectum diuinae determinationis ad hoc, quod futurum sit: ergo nequit cau-

fare intuitionem rei in se; sed solum cognitionem rei in alio, quod est esse abstractionem.

4. 2. Prob. Deus nequit facere, quod sit visio sine colore, quia pendet ab illo tanquam a forma extrinseca; sed etiam intuitio eodem modo pendet a presentia physica rei cognitæ in se, quia in hoc distinguitur ab abstractiva, quæ requirit presentiam obiectivam, & tangere potest hoc modo presentiam exercitam, ut patet in Astrologo cæco cū iudicat de ecclipsi præsentis: ergo.

*Soluntur Argumenta.*

5. Oppositum de pot. absol. tuetur M. Soto 1. sum. cap. 3. not. 3. Caiet. Capreol. Alu. & alij citati a M. Martinez de Prado 3. de anim. q. 21 § 3. Suar. Peñaf. & plures alij. Prob. ex varijs locis D. Th. scilicet 2. 2. q. 95. ar. 1. & 171. ar. 6. ad 2. & q. 172. art. 1. & q. 173. art. 1. & q. 12. de verit. art. 6. ubi docet, quod reuelatio prophetica est impræssa quædam similitudo futurorum, & præscientiæ Dei prout respicit illa in seipsis, & quod simul cū lumine prophetico sunt illæ species speculum æternitatis repræsentans futura, ut illa videt Deus in sua æternitate: sed illa videt Deus in æternitate intuitiue: ergo & Propheta: sed hæc futura sunt absentia Prophete, siquidem, necesse est cognitio mensuratur æternitate, nec sunt existentia in propria mensura cogitationis propheticæ: dabilis ergo est absentium cognitio intuitiua futurorum. ¶ Resp. quod

prophetica reuelatio est participatio præscientiæ Dei (ut videntis futura in æternitate) quantum ad certitudinē, non quantum ad intuitionem; repræsentat enim ea Prophetæ sicut speculo, at quæ in speculo videntur abstractiue cognoscuntur, ut dicam dub. subsequenti: ergo. Est ergo a præscientia diuina rerum in se, sed non ostendit ea in se ipus, sed in signo, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 171. art. 6. signum autem ostendit rem futuram abstractiue.

6. Arg. 2. Deus in se continet omnem perfectionem quam continet obiectum physice præsens, ut ab eo pendet notitia, nõ minus quam continet perfectionē subsistentiæ creatæ, quatenus ab ea pendet natura creata: at potest Deus supplet subsistentiam creatam, & sine ea reddere naturam creatam subsistentem: ergo potest sine obiecto physice præsentis conferuare notitiam intuitiuam. Mai. patet, quia diuina essentia repræsentat in se intuitiue omnia creata: ergo continet omnem perfectionem obiecti in se visibilis intuitiue.

Resp. posse quidem reddere naturam creatam subsistentem per suam subsistentiam in creatâ amota creata, at sine vlla subsistentia repugnat, quia Deus non supplet genus causæ, aut denominationis formalis, potest etiam facere per suam essentiam, quod visio clara Dei sit intuitio futurorum in verbo intuitiue, quia ea cognitio est vita æterna, & æternitas participata; at quod sine essentia

ria Dei immediate vnita, vel quod sine obiecto physice presenti notitia rei sit intuitiua, hoc repugnat prorsus, quia denominatio intuitionis, sine forma denominante per sui coexistentiam physicam, vel in propria mensura, vel in mensura aeternitatis prorsus, repugnat etiam respectu Dei.

7 Sed contra instant potest, Deo conseruare in meo intellectu notitiam intuitiuam abque eo quod species impressa sit causata ab obiecto, vt patet in Angelis: ergo & poterit conseruare verbum intuitiuum sine hoc, quod coexistat obiectum; neque enim minus specificatur notitia a principio, quam a termino, vt dixi tractatu ant. disp. vltim. dub. 1. ergo.

Resp. de ratione intuitionis, non esse, quod sit, vel non sit causata species, aut intuitio ab obiecto; quia hoc se habet per accidens omnino ad specificationem, quam habet notitia, vel a principio, vel ab obiecto; sed quod per se requirit est; quod obiectum cognitum intuitive physice coexistat tam speciei, quam notitiae, quam verbo, & hoc a Deo nequit suppleri, quia denominatio intuitiui per se, & essentialiter pendet a tali coexistentia, & ab ea venit secundum quod distinguitur a notitia abstractiua; vnde talis denominatio formatiua provenire non potest, nisi vel ab ipso obiecto in propria mensura presenti, aut in mensura superiori; quateus in eadem potest collocari notitia per parti-

icipationem aeternitatis.

8 Arg. 3. Notitiam intuitiuam, vt communiter admittunt Thomista, potest Deus conseruare in lapide independenter ab obiecto: ergo multo magis eam conseruare potest in oculo, vel in intellectu a quo elicitur, cum habeat maiorem conaturalitatem, & proportionem cum suo principio vitale, quam cum lapide: at ea visio in eo casu denominaret videns, suum principium vitale: ergo daretur notitia intuitiua rei absentis.

Conf. Tantam dependentiam habet species impressa ab obiecto, quam notitia intuitiua a praesentia obiecti; imo maiorem, siquidem prima adaequatur ab obiecto, & specificatur; secunda vero respicit praesentiam, non vt obiectum, sed vt modum exercitum obiecti, vt dixi in hac disp. dub. 1. sed potest Deus conseruare speciem coloris sine colore, vt docent Thomista 1. p. q. 57. art. 3. ergo & notitiam intuitiuam, sine physica praesentia obiecti.

9 Resp. negando posse Deum ponere visionem in lapide, vt intuitio est, licet possit ponere vt qualitas quia intuitio est modus notitiae ve, connotatio proueniens a coexistentia physica obiecti per eam attachi, & hoc deficiente, neque in lapide, neque in oculo erit ea notitia intuitio, sed in lapide non erit formaliter vita, sed qualitas, quia deficit principium vitale a quo denominatur: sic quoque deficiente physica obiecti praesentia ponit eadem me-

in oculo erit quidem vita, sed non intuitio. ¶ Ad 2. quod species non specificatur ab existentia coloris, sed a colore secundum, & ideo eo deficiente manet species, at intuitio ut talis reduplicatiue denominatur a presentia exercita in obiecto, ideoque ea deficiente, non potest manere intuitio.

Si contra istes, non minus est de ratione actus productiui terminus productus, quam de ratione intuitionis terminus coexistens, & in se attractus; sed potest per accidens actus ex se productiuius habitus per accidens non producere; ut patet in secunda demonstratione in opinione nostra, quod scientia est simplex qualitas: ergo pariter. Adde, quod actus denominatur productiuius a termino producto; sicut intuitio a termino in se viso: ergo sicut potest actus productiuius per accidens non terminari ad terminum de nouo productum, poterit etiam notitia per accidens terminari ad rem non physice presentem.

Resp. quod secunda demonstratio non est productio, sed productiua, ex connotatione principij potentis producere, quod tunc manet: at intuitio est actus secundus, & ideo sicut productio non est dabilis sine termino producto, ita neque intuitio sine termino physice coexistenti etto abstractiua, possit dici ab extrinseco intuitibilis, quia est ab intellectu potente per eandemmet notitiam (accidentaliter tamen inmutatam) videre intuiti-

ue obiectum illud si esset physice presentens.

10. Arg. 4. Supposita sententia afferente, quod species Angelorum sine vlla sui mutatione representant singularia quando existunt; tunc ea notitia poterat vi eius speciei videre eodem modo Petrum, dum existit, & postquam extitit, sed ante, intuitiue ergo modo: nam si nunc intuitiue non videt intelligi nequit quomodo maneat immota.

Resp. Nunc representare abstractiue, & ante intuitiue, quia in ea sententia, mutatur notitia de intuitiua in abstractiuam, non per aliquid intrinsecum, sed solum per extrinsecam coexistentiam physicam, vel per cessationem ab ea; sed melius est dicere, quod in hoc casu intrinsece variatur ea notitia, ut dixi dub. 1. huius disp. §. 3.

11. Arg. 5. Non minus petit notitia intuitiua presentiam localem, quam presentiam durationis, sed potest Deus facere, quod ego videam intuitiue, quod est localiter absens, nempe, quod hinc intuear, quæ sunt Romæ: ergo & poterit facere, quod ego videam intuitiue futurum Antichristum. ¶ Conf. 1. potest Deus facere, media aliqua specie miraculose impressa, quod ego videam modo Antichristum futurum, ita clarè ac si nunc esset, imò quod multo clarius iudicè de eius accidentibus, quàm si esset mihi physice coexistens, sed hæc sunt accidentia propria notitiæ intuitiue: ergo potest mihi infundere notitiã intuitiuã rei physice absentis. Conf.

**Confirm. 2.** Deus potest facere se solo, quidquid potest facere causa secunda, modo id quod prestat causa secunda, nullam dicat imperfectionem intrinsicam, & essentialē: at intuitio neque dicit imperfectionē ex parte notitiæ cum sit perfectior abstractiva (quam nisi potest Deus se solo infundere sine concursu obiecti) neque eam dicit ex parte obiecti, siquidem illi melius est coexistere, seu existere, quam non: ergo.

Resp. posse Deum supplere distantiam localem addendo virtutē ex parte potentie; sed ea non addita nequit facere, me videre, quod est extra meā spherā intuitivē; sic potest facere, quod videat futurū, media participatione eternitatis, sed sine illa neque Deus ipse videret intuitivē futura, ut ait D. Tho. 1. p. q. 14. art. 13. ¶ Ad 1. conf. quod claritas illa circa accidentia non est proprietas quarto modo notitiæ intuitivæ, sed accideas quodam inseparabile; sicut claritas Solis, qua maiore tribuit, vel potuit tribuere suo corpore transfigurato. Ad 2. dico, quod sicut vitalitas, quia involuit causalitatem formalem ex parte principij intrinsici, hoc ipso involuit limitationem insupplebilē à Deo, sic notitia intuitiva, quatenus dicit adæquationem cum obiecto coexistenti, speciei, & notitiæ, vel in propria, vel in aliena mensura; & ideo dicit quandam limitationem insupplebilē à Deo, qui nec potest facere

æqualitatem sine duplici  
quantitate.

**Dub. 4.** Vtrum notitia rei in speculo sit notitia intuitiva?

**1.** Dico, notitiam esse quidem intuitionem speculi, & imaginis existentis in illo, & Petri, secundum esse representativum, quod habet in illa imagine; sed dici nō potest intuitiva Petri in se si ille est a tergo v. g. & quidem in sensu exteriori, solū est notitia imaginis, & speculi, at in intellectu est intuitio imaginis, & pure abstractiva cognitio. Sic communiter Thomistæ referuntur Capreol. in 2. dist. 35. q. 2. art. 1. & dist. 11. q. 1. ad 5. Scoti. Caiet. 1. p. q. 18. art. 8. & ibi Nazar. artic. 9. idem Caiet. 1. p. q. 56. artic. 3. RR. M. Arauz. 2. Meth. q. 2. art. 3. nu. 55. vbi citat etiam Palludan. in 4. dist. 45. q. 2. RR. Ioan. à S. Thom. q. 6. de anim. art. 1. circa finem. M. Martín. de Prado 2. de ani. q. 30. §. 5. Cabr. 3. p. q. 11. art. 2. disp. 4. Ortiz, & alij innumerati in manuscriptis. Mol. & Peñaf. & RR. Echall. locis infra citandis, quia oppositū etiam defendunt.

**2.** Prob. elidendo fundamentū oppositæ sententiæ. In speculo non est sola refraçtio specierū, quas immitit obiectum, sed formatur vera imago obiecti; at cognitio rei in sua imagine, vel statua, licet sit intuitiva imaginis, est abstractiva respectu rei imaginatæ: ergo. Mai. est D. Tho. 1. p. q. 76. art. 3. & in 4. dist. 10. quaest. 1. artic. 3. quaest. iuncta 3. vbi ait, quod imago speculi non est si

*reforma absolute quiescens; sed aggeratur ex reberueratione specierum. Vide q. 8. de verit. art. 4. quod verò cū videtur res in speculo non videatur per speciem rei, sed per speciē speculi representationis imaginē reformatā in illo, docet expræse 1. p. q. 12. artic. 9. in arg. sed contra, & quod cognitio rei per speculum sit tanquam per medium, non quo, aut in quo; sed tanquam per medium per quod faciens cognitionem mediatam, docet latè, & expræse quodlib. 7. art. 1. videndus. Quod autem cognitio rei in speculo sit similiis ei quam habemus de Deo per suos effectus, quæ notitia abstractiua Dei est, docet 1. p. q. 56. a. 3. (& ne graue mus lectorem testimonijs) videri potest D. Thom. in 2. dist. 4. q. 1. ar. 2. & dist. 23. q. 2. art. 1. & in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. quæstionc. 4. ad 1.*

3 Satisque insinuatur nostra cōclusio in Script. Sacra in epist. Canon. Iacob. cap. 1. vbi ait: *Estote factores verbi, & non auditores tantum fallentes vos metipfos, quasi quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum naturæ suæ in speculo: considerauit enim se, & abiit: & statim oblitus est qualis fuerit. Si quis autem curiosius inquirat in quo subsistat huiusmodi fallacia, & comparatio. Respondet ibi D. Thom. Ad litteram talis fallitur, quia videtur sibi, quod videat rem, sed nō videt rem, sed solum rei idolum, seu imaginem; sic ille qui audit, & non facit solum verborum vmbra habet, non corpus operis. Ex quo satis liqui-*

do apparet quam sit consona resolutio præscripta Textui Sacro.

4 Ex quibus omnibus sic probob conelus. Cognitio rei quæ non est per propriam speciem, sed per speciē alterius, nec est rei, sed imaginis, nec est immediata, sed per medium per quod non est intuitiua rei in se, vt ex dictis tota hac disput. constat: at cognitio rei in speculo est huiusmodi, vt testantur clara testimonia ex Sacra Scriptura, & ex D. Thom. collecta: ergo notitia illa non est intuitiua rei.

*Soluntur Argumenta.*

5 Oppositum defendunt Conimbr. 2. de anim. cap. 5. q. 8. art. 2. Suarez. 3. de anim. cap. 2. Vazq. 1. p. q. 12. ar. 2. Peñaf. disp. 20. de anim. q. 4. nu. 40. refferens Huert. & probabile iudicat RR. Echall. ibidem disp. 16. cap. 4. num. 45. Et Probari potest q. 2. de verit. art. 6. vbi ait, *quod per similitudinem, quæ est in visu in speculo accepta directe fertur visus in cognitionem rei speculata; sed per quamdam reflexionem fertur per eandem in ipsam similitudinem, quæ est in speculo. Ergo ea cognitio directe tendit in rem ipsam, & secundario, seu reflexe in illam imaginem: ergo est intuitiua rei in se.*

Resp. quod cum D. Thom. addiscat hanc doctrinam, gratia exempli, ad explicandum, quo pacto intellectus intelligat singularia, non est inde venanda eius mens, vbi potuit vti aliena sententia, vt remelius explicaret, sed debet attendi ex innumeris locis quos iam de-

simus, & hæc solutio exactior est meo videri, quam alia, quæ confugiunt ad visionem intellectiuam, quæ & est contra textum, & difficultatem intactam relinquit semper namque ea verba vrgent.

6 Arg. 2. Modus quo representantur creature in verbo assimilatur modo, quo res in speculo representatur, secundum D. Thom. 1. part. q. 12. artic. 9. & quest. 14. art. 3. sed visa essentia Dei videtur in illa creature existentes intuitiue: ergo viso speculo, videtur intuitiue res in illo representata.


Resp. similitudinẽ tenere quantum ad aliqua, nõ quantum ad omnia: tenet quidem, quia creature ibi non videntur per propriam speciem, neque immediatẽ immediatione cognitionis, ac non tenet in eo quod res in speculo immediatẽ rei, non videtur, sed mediãte speculo vt medio per quod; ad quorum terminorum intelligentiam vide D. Thom. 1. part. q. 14. art. 6. ad 1. & quest. 2. de verit. art. 3. ad 2.

7 Arg. 3. In speculo nulla fit imago, sed solum species immixta a Petro refranguntur; ac tales species immediatẽ, & intuitiue representant illum: ergo ea notitia intuitiua est. Conseq. videtur bona: min. vera, & prob. mai. Quia secundum D. Thom. locis citatis num. 2. ibi est reflexio, & refraçtio specierum immixtarum ab obiecto: ac hæc reflexio dicit idem mobile, & patet in pila reflecta a pariete: ergo

species quæ venit ad oculum, eadem est ac illa, quæ immittitur ab obiecto ad oculum, & inde resultat ad oculum. Secundo. Difficilimum est explicare, quomodo fiat imago ex concursu specierũ. Tertio. Imago esset in superficie, ac quod videtur est infundo, seu in concauo: ergo quod videtur non est imago. 4. Videns se, vel alio in speculo percipit accessum, vel recessum obiecti, & omnes eius motus, quos causaret imago si ibi esset, & sola videtur: ergo species rem ipsam immediatẽ representat, & ea est, quæ videtur.

8 Resp. Quod sicut dicimus conceptum esse reflexum, quatenus mens tendit ad obiectum, & ab illo ad conceptum, non sicut per eundem conceptum, sed per diuersum, sic dicimus videri rem in speculo per reflexionem, non quia eadem sit species, sed quia ex speciebus causatis ab obiecto, causatur imago in speculo, quæ causat speciem ad oculũ. ¶ Ad 1. conf. Resp. ex doctr. D. Thom. lib. 3. meteor. in digres. de color. irid. q. 4. quod species, quæ solum continent obiectum representatiue se solis nequeunt causare imaginem, sed tamen habent vim ad modificandam reuerberationem lucis in concauo speculi, quod a tergo. bet opacitatem, & sic causatur imago, vt contingit in iride. Ad 2. quod cum species, & iux non refrangatur in superficie, sed in concauo speculi, ibi apparet imago. Ad 3. quod dicitur

illa imago causetur a speciebus ut modificantibus lucem, & illae species representent distantiam, motusque rei imaginatae; illa imago, quae non habet esse permanens, sed vagum, representat eisdem motus, & distantiam rei, quatenus diverso modo modificatur a speciebus, quae diverso modo imitantur in speculum, secundam distantiam, & motum obiecti ipsius. Sed de his in libris de Anima, & in Meteoris.



DISPUTATIO IV.

De divisione conceptus in ultimum, & non ultimum.

Dub. 1. An huiusmodi divisio sit bona, & essentialis?

**C**onceptum non ultimum esse conceptum termini, & ultimum esse conceptum rei significatae per terminum, docet M. Soto lib. 1. sum. cap. 3. not. 6.

*Prima conclusio.*

Hae divisio est bona, & adaequata: nam est intellectui aliquid possit obijci, & ab eo cognosci, quod nec sit terminus, nec sit significatum per aliquem terminum; tamen ut notat M. Soto ibi, & D. Th. 2. perh. lect. 1. Logica non agit de verbis, nisi ut significantur per terminum vocalem, aut scriptum: sed ut nuncius debilis est conceptus in Lo-

gica, qui non sit termini, vel rei significatae per terminum: ergo Logica, seu Dialectica accepta, ut debet accipi, haec divisio est bona, & adaequata.

*Secunda Conclusio.*

3. Haec divisio, conceptus in acceptione Logica est essentialis. Sic Huert. lib. 1. sum. cap. 3. q. 7. art. 3. Et prob. Quia datur in ordine ad obiecta diversa signate cognita, at essentia conceptus sumitur ab obiecto, cuius est adaequata representatio: ergo. Prob. mai. Est enim conceptus non ultimus, representatio termini directe, & ut quod, & in recto; conceptus autem ultimus est representatio rei significatae, per terminum in recto, & ut quod; sed terminus, & res signata sunt diversa obiecta si sumantur in recto, & conceptus quilibet per se, & in recto, est representatio in eodem quod suum obiectum, estque eiusdem quidditatis, & essentiae cum illo: ergo ista divisio essentialis est, seu in ordine ad obiecta essentialiter diversa, refundentiaque diversas differentias essentielles in conceptus. ¶ Si dicas, dari istam divisionem materialiter quidem penes diversa obiecta, & praesupponitur, at formaliter in ordine ad differentias tantum accidentales, quia differunt penes ultimum, & non ultimum, quod est extra generis, multo magis quam praesens, vel abiens, & ideo solum constituit differentiam accidentalem inter conceptus. ¶ Contra tamen

est: idem posse dici in diuisione conceptus directi, & reflexi, materialiter, & præsuppositiue se habere diuersitatem obiectorum, & solū differre formaliter penes esse primū, vel secundū cōceptum, quod est extra genus notitiæ & tamen R.R. M. Ioann. a S. Thom. nobis in hac parte aduersarius tenet eam differentiam conceptus in directum, & reflexum esse essentialē: ergo idē tenetur dicere de conceptu ultimato, & non ultimato, vel quod dixerit ad hanc instantiam; erit tētum contra redditam euasione ad nostrum fundamentum. Tum etiam, ille ordo vltimi & nō vltimi a quo denominantur illi conceptus, non est quo eos distinguimus, vt patet ex definitionibus traditis, sed distinguimus eos penes id quod representant terminum, vel rem significatam per terminum, ex quo oritur vnū esse vltimatum, alterum vero non vltimatum: at ordo ille ad terminum, vel rem significatam cum sit representatiuus essentialiter inuoluit diuersa obiecta: ergo diuisio in ordine ad illa tradita est essentialis in conceptibus. Merito autem vocatur vnus conceptus non vltimatus, & alter vltimatus, quia primus, non vtcumque, est cōceptus termini vt res quædam est, sed est termini vt significatiui, & sic quasi dicit ordinem ad rem significatam, quæ importat quasi in obliquo: at vltimatus cum sit rei vt significatæ, quasi in obliquo importat terminum, & sic ex consequenti se

inferunt isti conceptus, & in recto important quidditates, & obiecta diuersa.

*Soluntur Argumenta.*

4. Oppositum tuentur R.R. M. Ioann. a S. Thom. q. 23. Log. art. 4. & Murcia lib. 1. sum. disp. 1. q. 2. cōclus. 1. & alij. Et prob. quod conceptus non vltimatus non est signate conceptus significationis vocis, sed est conceptus vocis cui accidit exercite significatio, sicut conceptus vltimatus est conceptus rei, vt accidit esse significatam per alium terminum; quod enim dicat hoc esse essentialē rei conceptæ, quod sit significata per alium terminum vocalem, aut scriptum: ergo idem dicendum de termino significatæ vocem.

Resp. Quod conceptus illi signate representant, & vocem vt significatiuam, & rem vt significatam a voce, vel scriptura. Nam si non representatur obiectum vt significatum a voce, vel scriptura, eius cōceptus erit quidem vltimatus negative, aut phisice, quia non restat alius conceptus; sed non Logice, & si conceptus representat vocem, & non vt significatiuam, erit conceptus vltimatus, quia representat vocem, vt res quædam est: cum ergo ista diuisio sit proprie logicalis, solum datur in casu, quod mens cōcipiat vocem, vt formaliter significatiuā, & rem vt formaliter significatam; vt iam dixi supra.

¶ Instat. Si conceptus non vltimatus signate esset conceptus significationis vocis, sequeretur æquiuocatio in mente, dum non vltimate conciperet. ~~hæc~~ vocē *caus*, quæ est æquiuoca: at falsum est dari æquiuocationem in mente: ergo & inde sequitur. Prob. sequela, quia ille terminus idè est æquiuocus, quia habet tres significationes; sed si conceptus huius vocis signate representat significationem; esset representatio illius triplicis significationis, quæ est in illa voce: ergo esset conceptus æquiuocus.

Resp. inde non sequitur æquiuocationem; vel quia in eo casu non datur vnus conceptus non vltimatus talis vocis, sed triplex iuxta numerum significationum; vel quia si solum datur vnus conceptus, eas significationes nõ representat vt plures sunt, sed vt sunt in vna voce, & constituunt vnum terminum simpliciter, cum tamen ad æquiuocationem in mente requiratur, quod conceptus representet plura, vt plura; vel quia eas significationes representat conceptus in obliquo, licet signate, & idè cum sit vnus terminus sèper saluatur significatū in recto conceptus vltimati esse vnū, & non plura.

¶ 6 Arg. ratio vltimati, vel non vltimati in conceptu sunt denominationes, non minus extrinsecæ, quam dextram, vel sinistram in columna: ergo sicut diuisio columnæ in dextram, & sinistram, nõ est essentialis; sic neque hæc diui-

sio conceptus. Prob. ant. conceptus quem modo habeo de hac voce *blis* est vltimatus, & tamen si imponeretur ad significandum, per extrinsecam impositionem in motu manente conceptu transiret de vltimato in non vltimatum: ergo.

Resp. negando, quod in eo casu maneret idem conceptus, mutaretur enim siquidem modo representaret illam vocem vt significationem, quam ante non sic representabat. ¶ Sed contra est; tum, quod idem motus est vltimatus, & non vltimatus, siquidem antequam perueniat ad terminum, est non vltimatus, & fit vltimatus, cum peruenit ad terminum: ergo etiã idè conceptus modo est vltimatus, modo non vltimatus. Tum, quia mutato obiecto de presente in absens, transit eadem notitia de intuitiva in abstractiuam, cur ergo mutata impositione vocis, non transit idè conceptus eius de vltimato in nõ vltimatum.

Resp. idè motū physicum, tunc non variari essentialiter, quia non habet diuersum terminum specificatum; solum namque specificatur à termino vltimo; nõ vero à non vltimo; at conceptus, vt dixi, habet diuersum obiectū, à quo specificetur, quando significat rem vt significatam, vel terminum, vt significantem. ¶ Ad 2. dico, quod esse presens, vel absens exercitè sūt modi extragenus notitiæ; ideoque potest eadem notitia manere variatis illis modis; at obiecta vnde ori-

cur ratio ultimi, vel non ultimi, in conceptu sunt diuersa intra genus obiecti, & notitiæ; ideo sicut nequit idē habere diuersas essentias, sic nequit idem conceptus transire de ultimato in non ultimatum, vel e contra.

*Dub. 2. An conceptus non ultimatus soluat vocem, an etiam eius significationem repræsentet, & quomodo.*

**R** Estabat hoc explicare, ut doctrina tradita dub. antec. amplius apparet; & relictis varijs sententijs, quas refert Huerr. lib. 1. Summul. cap. 3. q. 7. art. 3. dicendum mihi est. Conceptum non ultimatum signatè repræsentare significationem, seu vocem ut significatiuam. Quia sicut forma embrionis, v. g. essentialiter ordinatur ad perfectā formam viuentis, ita & conceptus non ultimatus ad ultimatum, ad quem fundat relationem, ut ex ipso nomine constat: ergo ordinatur ad illum secundum repræsentationem signatam; hæc enim est sola, quæ essentialiter se habet in cōceptu: at si solum repræsentaret terminum, ut vox est, vel ut qualitas est, non posset subordinari ad conceptum ultimatum, quoniam conceptus vocis, ut vox, vel ut qualitas est ultimatus: ergo solum potest ordinari, quatenus repræsentat vocem ut significatiua est: sic enim mens naturaliter desiderat signatè cognoscere, quod sit id quod significatur per vocem, vel scripturam re-

præsentatiuam. Qued & constat, nos enim addiscimus idiomata vel medium ad res intelligēdas, at medium est tale ut conducit ad finē, & vox solum conducit ad alia cognoscenda, quatenus est significatiua: ergo conceptus habet rationē medijs, seu non ultimi, quatenus est signata repræsentatio vocis, vel scripturæ ut significatiua.

2 Inquires, an ille cōceptus in recto, an in obliquo repræsentet significationem illam? Resp. eam in recto repræsentare siquidē, quatenus significat vocem, non est nō ultimatus, sed ultimatus: constituitur ergo in ratione nō ultimi per repræsentare vocem ut significatiua, vel significationē vocis; at per quod aliquid conceptus in sua essētia constituitur in recto debet intrare: ergo. Sed tamen ille conceptus in obliquo, seu connotato dicit rem significatam.

2 Præterea, quæ obiecti, & dilui dub. antec. num. 3. solet hic argui, quia rusticus per hoc, quod cōfusè cognoscit, quod hic terminus *vnus hypostatica*, v. g. est impositus, format conceptum nō ultimatum de ea voce, & idem est cum ego video Hibernos, vel Vascones loquentes inter se, formæ enim conceptus non ultimatum de illis vocibus, quia scio non esse non significatiuas, sicut blitiri, & tamen non rellucet in eo conceptu notitia significationis: ergo non repræsentatus signatè.

Resp. signatè repræsentari in il-

lo conceptu significationē, quo ad an est, non quo ad quid, sicut cū audio Deum formo conceptū de illo verum, & proprium, & signate representantem Deum in recto, confusē, & quo ad an est, nō clarē, & quo ad quid est.



## DIPVTATIO V.

*De conceptu directo, & reflexo.*

*Dub. 1. De quidditate conceptus directi, & reflexi, & an bonae definitiones.*

**Q**uiditas rei definitione innotescit: conceptus ergo directus est conceptus qui directe tendit in rem; reflexus autem est conceptus alterius conceptus in eodē cognoscente, & in eadē potentia. Has vltimas particulas posui causa explanationis; licet enim nonnulla reflexio sit cum quis aduertit suos actus existentes in altera potētia, vt notant D. Tho. opusc. 29. & M. Sorō hic, tamen vera reflexio, de qua hic agimus, contingit cum idēmet intelligens per intellectum regreditur supra suum actum cognoscituum, postquā directe te tendit in obiectum. Bonitatem harum definitionum satis explicui in Dialecticā parua: restat modo eas defendere respondendo obiectionib⁹, quae in eas intorque-ri solent.

*Soluantur argumenta.*

2 Arg. 1. conceptus representatus, ac voce conceptus est cōceptus alterius conceptus, & tamen est directus: ergo definitio reflexi non est bona, siquidem alijs a definito conuenit. Mai. prob. quia representat conceptum in communi, & supponit pro quolibet in particulari. Min. constat, quia directe tendit in conceptum sui, & in quemlibet tanquam in rem quandam. ¶ Resp. esse conceptum alterius cōceptus in communi, nō vero vt exerciti ab hoc cognoscente: at reflexus taliter est conceptus alterius, quod sit conceptus exercitus in singulari ab hoc cognoscente, a quo abstrahit ille conceptus representatus per hanc vocem cōceptus; ac proinde nego, quod definitio conceptus reflexi conueniat directo: quia non datur nisi sub sensu iam explicato: nam reflexio motum exercitum dicit.

3 Arg. 2. vt sit reflexio requiritur, quod idē mobile, quod tenderat directe in vnum terminum, regrediatur ab illo eadē via, qua processerat: nam si ego iacio vnam pilam ad parietem, & alter non eandem, sed diuersam reiciat ad me ibi non erat reflexio: ergo cum dicitur conceptum reflexum esse conceptum alterius conceptus, destruitur reflexio, ad quam requirebatur, quod idē conceptus, qui directe tendit in rem, ab illa resiliret in se ipsum: ergo mala est definitio.

finis conceptus reflexi. ¶ Respondetur, non verificari reflexionem respectu eiusdem conceptus, sed respectu eiusdem intellectus, qui diuersis conceptibus tendit in rem, & regreditur ad conceptum quod tetenderat. Contra, quod si idem homo posset vna pila percutere parietem, & altera à pariete ad se reflexire non diceretur tunc esse reflexionem, sed esse duos motus directos diuersarum pilarum in diuersos terminos: ergo idem dicendum in presenti.

Resp. idè tunc non esse reflexionem, quia non esset idem motus, sed diuersos, & discontinuos, at cum intellectus moueatur discrete, & ad motum discretum duo conceptus requirantur, hoc ipso, quod mens ab eodem in idem moueatur duplici conceptu, saluatur vera reflexio.

4. Arguitur tertio: nam conceptus reflexus temper est directus: ergo distinctio illa supponit falsum. Probatue, vel representat alterum, vt res quædam est, & sic directè tendit in rem; si vero vt imago, cum idem sit motus in imaginem, & in rem imaginatam, sequitur, quod reflexus etiam directè tendat in rem, quam representat directus vt imago: nam quod media imagine cognoscitur, directè cognoscitur: ergo.

Præterea, quæ sunt similia vnitertio, sunt similia inter se; vnde, si ego sim similis imagini Cæsaris, & Cæsar est similis tuæ imagi-

ni, nequimus non esse similes Cæsar, & ego: ergo si conceptus reflexus attingit alterum conceptum, vt similitudo est obiecti, nequit reflexus non esse similis obiecto, ac perinde directè tendit in rem representatiuè, licet mediante directo. ¶ Resp. ad hoc argumentum reddendam esse rationem infra dub. 3.

*Dubium secundum. An hæc diuisio sit bona, & essentialis?*

**R**espondetur ad vtrumque affirmatiuè. Bonam esse constat, quia in nobis non est debilis conceptus, qui non sit directus, vel reflexus: & si in Deo, & Angelis ob eminentiam, qua gaudet idè possit esse simul directus, & reflexus conceptus. Quod vero sit essentialis diuisio probatur, cum RR. M. Ioann. à S. Thom. quæst. 23. Leg. artic. 3. conceptus est imago eius, quod representat in recto, & imago essentialiter variatur si res representata sit diuersæ essentia: at conceptus reflexus est imago directi in recto, & directus non est imago sui, sed obiecti, in quod tendit in recto: directus autem, & obiectum habent diuersam quidditatem, etiam si consideretur directus vt imago: ergo conceptus reflexus, & directus essentialiter distinguuntur.

\*\*\*\*\*

\*\*\*

*Soluantur argumenta.*

2 Arg. 1. ad probandum eam divisionem conceptus esse tantum accidentalem: quia solum variantur ex parte subiecti, non autem ex parte obiecti: ergo. Prob. nam conceptus quē ego habeo de meo conceptu directo est in me reflexus, & conceptus quo Angelus cognoscit eundem: nec cōceptum meum directum est directus; & tamen uterque conceptus habet idem obiectum, & solum gaudent ratione directi, vel reflexi, quia ille cōceptus est in eadem, vel est in diuersa potentia: ergo differentia conceptus directi, & reflexi non sumitur ab obiecto: sed solum à subiecto.

Resp. meo casu obiectum materialiter esse idem, formaliter verò diuersum, quia habet diuersum modum tendendi, vnde sicut motus rectus, & circularis ad eundem terminum, est ad eundem materialiter terminum, & formaliter ad diuersum, vbi diuersam attingibilitatem habet cum attingit modo recto, aut circulari, sic est in nostro casu, vbi diuersitas, vel idētitas subiecti se habet præsuppositiue, & diuersa attingibilitas se habet formaliter ex parte obiecti: vel hæc diuisio conceptus est respectu eiusdem cognoscentis, vbi interueniunt diuersa obiecta, non respectu diuersorum.

(i)

*Dub. 3. An conceptus reflexus attingat obiectum conceptus directi?*

1 **S**uppono nos loqui de conceptu directo, & reflexo in eodē cognoscente, quatenus ex quo per conceptum directum attingit intellectus obiectum, & reddidit illud cognitum, aduertens intellectus esse cognitū ab aliquo actu, seu conceptu suo, regreditur ab obiecto cognito ad conceptum cognoscentem, & ab illo ad eius principium proximum, & radicale cognoscendum; vt ait D. Tho. in 3. diu. 23. q. 1. art. 2. ad 3. & 1. p. q. 87. art. 3. & sic inquirō, quando ab obiecto regreditur intellectus ad cognoscendum cōceptum directum, quo cognouit obiectum, an cognoscat obiectum iterum medio conceptu cognito, siquidem conceptus ille directus est imago obiecti, quæ nequit cognosci, non cognoscendo rem imaginatam. Secundo aduerto, quod conceptus, vel potest cognosci vt imago exercita, & mediū in quo, & sic terminat cognitionē directam, & immediate repræsentat obiectum ipsi cognitioni, & eā terminat obiectum in conceptu, vt ait D. Tho. Quodlib. 7. art. 1. vel potest considerari ipse conceptus vt imago signate, & vt quod, & sic ducit notitiam sui in notitiam obiecti, non formaliter, sed instrumentaliter, neque vt medium in quo, sed vt medium per quod.

Vni-

*Unica conclusio.*

2. Dicendum igitur, conceptus reflexus attingit directum nedum ut qualitas est, aut ens; sed etiam ut imago est obiecti; non exerceat, & ut in quo, sed signate, ut per quod, ac perinde reflexus attingit obiectum directè, non in se, sed ut est in imagine. Prob. quoad singulas partes, nam si solum attingeretur ut res, quædam est ille conceptus esset directus, neque enim resiliet ab obiecto ut cognito si non attingeret conceptum, ut in quo est cognitum obiectum, ac perinde non esset reflexio; ac cognoscendo directum ut in quo relucet obiectum, cognoscitur ut imago: non quidem exercitè, si quidem non formatur ille conceptus directus à cognitione directæ; sed ut imago representata ut quod per verbum reflexum; quod enim est quid representatum à verbo habet esse cognitum ut quod. Et autem ipso, quod cognoscatur imago ut quod in illa cognoscitur res imaginata quasi in obliquo, & secundum esse, quod habet in imagine; ut late dixi tract. antec. dum agerè de signo instrumentali (quod relegendum est) ergo vera est conclusio quoad omnes partes.

3. Ex quibus facile fit satis arg. propositio dub. 1. huius disp. nu. 4. Resp. enim, quod etsi reflexus representet directum, ut imago est, non tendit directè in obiectum directum in recto, & in se; sed indirectè, & in obliquo secundum esse, quod

habet in imaginè, seu in obiecto, quamvis ex illo possit habere aliam cognitionem in rem ipsam, sicut contingit in quolibet signo instrumentali. Unde cum dicitur eundem esse motum in imaginem, & rem imaginatam, si per motum intelligatur identitas conceptus, dico tendere in rem imaginatam, non in recto, & in se, sed indirectè, & secundum esse, quod habet in imagine: si autem per eundem motum intelligatur motus discretus intellectus, sic erit duplex conceptus unus reflexus attingens directum ut imago est, & in illo obiectum secundum esse intentionale, quod habet in conceptu; alius directus, qui iam tendit in ipsam rem ex præexistente cognitione. ¶ Ad ultimum, quod quæ sunt similia uniter, sunt similia inter se, si eodem modo sint similia uniter, & re, & ratione idem, ac reflexus est similis directio secundum esse intentionale, quod habet obiectum in conceptu, non secundum esse absolutum in recto, & ut quod: & ideo non sequitur, quod reflexa cognitio, & similitudo conceptus, sit directæ similitudo, & cognitio obiecti.

4. Arg. 2. cognitio unius relativi terminatur ad alterum: ergo non stat, quod conceptus reflexus attingat directum ut imago quin terminetur ad rem ipsam imaginatam. ¶ Sed facile resp. ex citis, terminari ad rem ipsam in obliquo imaginatam non in recto, ut

dictum est; hinc autem nil deducitur contra nos. ¶ Si inthes, quod verbum reflexum est imago conceptus directi, ut imago est sui obiecti: ergo verbum conceptus reflexi, non significat conceptum directum formaliter; sed potius rem significatā à directo in recto, si autem significat: ergo representat. ¶ Prob. 1. consequentia, quia tract. ant. dictū est, quod vna imago non est signum alterius, sed vtraque prothorypi.

¶ Resp. quod vna imago eatenus non est alterius signum, quatenus eum perfecte representat: at verbum reflexum non representat perfecte directum (sicut nec alia verba mentis representant perfecte sua obiecta) ac perinde est signum in recto conceptus directi.

*Dub. 4. An eadem specie cognoscatur intellectus directè, & reflexè?*

**D**icendum igitur, eadem specie imprællā fit cognitio directā, & reflexa (quæ ut dixi) ut proprie fit talis, debet esse in eodē cognoscente, & in eadem potentia intellectiua; ut aduertit Capreol. in 1. dist. 30. q. 2. ar. 1. conclus. vltim. Ferrat. 2. Contragent. c. 66. §. *Circa istam.* ¶ Sed nostram conciliationē tuentur D. Tho. in 3. dist. 30. q. 1. ar. 2. ad 3. & q. 10. de verit. art. 9. ad 4. & 10. RR. M. Ioana. à S. Th. q. 2. Log art. 3. §. quod si petas: & committer Thomista. Et prob. quia intellectus pro hoc statu nō intelligit spiritualis per propriā speciē, sed per

speciē abstractam à phantasmatibus illius obiecti, à quo mouetur ad cognitionem illius rei spiritualis: ac conceptus directus est entitas spiritualis, & intellectus mouetur ad illū cognoscendum reflexe, ex eo quod cognouit obiectum materiale: ergo per eandem speciē, quā vsus est intellectus ad cognoscendum directè obiectum, eadem vitur ad cognoscendum reflexe ipsum conceptum directū. ¶ Conf. nam eadem specie qua cognoscitur obiectum primarium, etiam cognoscuntur, quæ secundario competunt tali obiecto, vel per connotationem, & ordinem ad tale obiectum cognoscuntur: at obiectum primarium, & proportionatum nostri intellectus pro hoc statu, est quidditas materialis, ut docet D. Tho. 1. p. q. 87 art. 3. ergo per speciē eius cognoscitur reflexe conceptus directus, qui per connotationem ad res materiales, & in ordine ad quidditatem materialem directè cognitam, attingitur reflexe à nostro intellectu pro hoc statu. De quo vide D. Tho. q. 10. de verit. art. 9.

3. Nec tamen ideò negamus posse intellectum semel cognito conceptu directo formare tertiam speciē representatiuam eius connotatiue ad quidditatē materialem; sicut D. Th. docet, quod imaginatio potest formare tertiam speciē montis aurei, nam quod habet inferior potentia, superiori denegari, iure non debet, sed aīo, quod quantum ad primam cognitionem, & representationē,

Eidem specie qua intellectus directe cognoscit obiectum, seu quidditatem materiale, eadem cognoscit reflexè ipsum conceptum directum.

*Soluantur Argumenta.*

Sed contra nostram conclus. arg. pro sententia M. Bañ. nobis aduersi 1. par. q. 87. art. 3. vt species representet debet esse similis ei, quod representat, at qui species rei materialis, nequit esse similis conceptui spirituali: ergo nequit cognoscere reflexe conceptus directus, per speciem directè representatiuam quidditatis materialis. Min. prob. quia res in rationis ordinis, non pertingit ad ea quæ sunt superioris ordinis.

Resp. autem, quod sicut per speciem creaturarum cognoscimus Deum non quoad quid est in se, sed connotatiue, & quantum ad aliquam proportionem; sic per speciem rei materialis directè cognita possumus deuenire reflexè in cognitionem conceptus directi, qui est spiritualis, non quidditatiuè, sed connotatiuè.

§. 2. In nostro intellectu cognitio reflexa est distincta à cognitione directa.

Suppono nunc, quod cognitio, seu actus cognoscendi, distinguitur a conceptu, seu a verbo mentis; ideòque in sensu formali loquimur de distinctione inter cognitionem directam, & reflexam in nostro intellectu, ne nunc disputemus de cognitione Angelica naturali, de qua certius est, quod cognoscendo dire-

cte, & comprehensiuè suam essentiam, cognoscit etiam suas proprietates, & per consequens cognoscit se ipsam reflexè, quia ipsa est vna ex proprietatibus talis naturæ; de quo videri potest D. Thom. 1. par. q. 87. art. 3. Caiet. ibi, & M. Martinez de Prado 3. de anim. q. 19. §. 4. a n. 36.

Suppono etiam, quod cum intellectus sit reflexiuus in quolibet actu, vt docet D. Tho. pluribus in locis, quos videre est in Bergom. in concord. dub. 41. qualibet cognitione cognoscit intellectus noster suam cognitionem exercitè, & vt quo; nunc autem inquirimus, an cognitio reflexa cognoscens directam cognitionem, signatè, & vt quod, distinguitur ab ipsa directa cognitione.

*Vnica Conclusio.*

§. Dicendum ergo cognitionem reflexam in nostro intellectu realiter distinguui a cognitione directa: Sic D. Thom. illis locis, non paucis quos designat Bergomens. verbo Actio, num. 19. & M. Mart. de Prado loco iam relato. Et prob. rat. D. Thom. 1. p. q. 87. art. 3. actus distinguuntur, & multiplicantur, pones obiecta attacta vt quod, sicut docet D. Thom. in 1. dist. 17. q. 1. art. 5. ad 4. cognitio directa habet pro obiecto quod, quidditatè materiale; reflexa vero cognitionem directam spiritualem, quæ sunt diuersa obiecta vt quod: ergo vtraque hæc cognitio diuersa est realiter.

¶ Dices, optimè posse eandem cognitionem attingere diuersa obiecta vt quod, ordiue quod est;

alterum scilicet primario, alterum, secundario, & sic cōtingere hic ubi quidditas materialis primario attingitur; & cognitio ipsa directa secundario. ¶ Sed contra est, quod si illa ratio cognoscibilis, ratione alterius, nō se habet, aut sicut perfectio rei, vel sicut ratio connexa, aut necessario consequuta cū altera, qualiter non se habet cognitio directa cum obiecto materiali, non facit talis ratio vnum in ratione cognoscibilis cū tali obiecto: ergo quantum solutio tenet in primo casu, nō tamen tenere inquit in nostro ubi esse cognitum directè nō perfectio intrinseca est in obiecto talis cognitionis: ergo diuersa est cognitio reflexa a directa. ¶ Præterea, dato, quod aliqua cognitio eminentissima, qualis est angelica, aut diuina, possit attingere simul rationem primariam, & secundariam vt quod, & res diuersi ordinis, & distantis, qualia sunt ens materiale, & spirituale, tamen cognitio limitata, & imperfecta, qualis est nostra pro statu, hoc non valet, sed pro quolibet obiecto distincto, attacco vt quod exigitur distincta adæquata cum illo; vt patet in cognitione entis realis, & rationis, vt quod: ergo idem erit in cognitione directa entis materialis, & in cognitione reflexa entis spiritualis nostri cōceptus directi.

*Soluntur Argumenta.*

7 Arg. 1. Si ad cognoscendū cōceptum directum necessario exigetur, quod cognitio reflexa esset di-

stincta, etiam ad cognoscendum cōceptum reflexum, requireretur distincta cognitio, & sic in infinitum; sed a natura non datur talis processus: est enim semper præter intentionem: ergo falsa est nostra cōclusio, vnde hoc sequitur. ¶ Dices, non esse absurdum, quod multiplicatio nouo obiecto vsque in infinitum multiplicetur cognitio, eo quod intellectus noster est potens infinite syncategorematicè; hæc autē solutio est D. Tho. 1. p. q. 83. art. 3. ad 2. & q. 28. artic. 4. ad 2. ¶ Contra est, quod eadē ratio videretur de specie impressa, & de cognitione; sed eadem species impressa, qua representatur directè obiectū, vt in medio quo, representatur ipsa species vt quod, siquidem ipsa ceterum ad cognitionem reflexam sui: ergo similiter, absque noua reali superadditione, & absque confugio ad processum infinitū poterit eadē cognitio esse; id quo directè cognoscitur obiectū, & esse id quod cognoscitur reflexe, per eandem cognitionem.

Resp. Benè posse intellectum formare 3. speciem vsque in infinitum, ad cognoscendum suam speciem impressam; & aliam ad cognitionem illius tertie speciei, vt constat ex dictis in hoc dub. Sed dato assumptum argumenti dico non esse eandem rationem, quia species impressa representat per modum principij, & actus primi; cognitio autē tendit in obiectum per modum exercitij, & actus secundi, constat autem actum secundum strictiorem esse, & limita-

tio.

riorem, quam actus primas, ideo que non sufficit ad ea ad quæ potest species impressa.

8 Arg. 2. Idem actus cognitionis potest habere se ipsum pro obiecto: ergo potest eadem cognitio esse in nobis perfecte reflexiua sui consequent. videtur bona, & probant. Nā potest intellectus formare hanc propositionem, *omnis actus mei intellectus est cognitio obiecti*. Sed hæc habet se ipsam pro obiecto, ut per se patet: ergo.

Resp. Quod in eo casu non se habet eadem cognitio pro obiecto formali adæquato, sed pro materiali in adæquato siquidem formale obiectum a se quantum illius cognitionis est universalitas conceptus, non hic in particulari. Nec tunc tendit reflexè in se ipsam, sed directè, quia tunc non regreditur intellectus ab obiecto materiali, ut cognito ad cognoscendam conceptum, quo obiectum est cognitum; ac perinde nil contra nos probat argumentū, qui loquitur de vera reflexione habente pro obiecto formali sui alterum conceptum, ut directè tendentem in obiectum.

9 Arg. 3. Cognitio scientiæ infuse in Christo Domino, cū sit perfectior, quā cognitio naturalis Angelica, ut ait D. Tho. 3. p. q. 1. r. art. 4. cognoscit suammet, cognitio nostra ut quod: ergo idē poterit cognitio nostra, cū etiam sit humana. Resp. Christum vti hæc cognitione, non humano more, sed supernaturali; & ideo eo ipso potest

se obsummam eminentiam habere vnicā cognitione, quod nos vix plurimis assequi nequimus, sicut ob hanc eminentiam possunt aliqui actus supernaturales esse simul practici, & speculatiui, quod cognitio mere naturalis inferioris ordinis non potest. Sed tamen cum Christus potuerit vti illa cognitione, vel conuertendo se ad phantasmata, vel sine tali conuersione, dico, quod in primo casu quia modo humano cognoscit, nō posse eandem cognitionem esse perfecte reflexiuam sui; benè tamen in secundo casu, ubi etiam quantum ad modum, perfectior est quam cognitio naturalis Angelica, de qua diximus posse perfecte reflecti supra se; quod si neque hoc velit admittere arguēs, melius sulcit eadem sententiam; si enim hoc non valet scientia infusa Christi, adhuc cum non conuertitur ad phantasmata, quanto minus hoc poterit cognitio nostra.

§. 3. Non implicat, quod de potentia Dei absoluta eadem potest numero cognitio creata sit directè, & reflexè per se.

10 Loqui possumus de intelligentia creata ut sic, secundū quod abstrahit ab Angelica, & humana, vel de humana, recedendo quoad abstrahit a se ipsa pro hoc statu, vel pro statu separationis, vel a se ipsa more humano procedente cum dependentia a phantasmatis, vel supernaturali modo, sine vsa phantasmatis.

casinatum. Et sic dico, quod etsi non implicet, quod in alijs casibus eadem cognitio creata sit directa simul, & reflexa; implicat tamen, quod cognitio humana, quæ sit per conuersionem ad phantasmata simul sic directa, & reflexa.

11 Prima pars nostræ conclusionis, facile ostenditur, tum in Angelis, tum in scientia infusa Christi Domini, vt dixi; nam cum cognitio naturalis Angelica sit comprehensiuua suæ essentiæ, ac perinde simul attingit omnes perfectiones naturales talis naturæ, quarum vna est ipsa cognitio naturalis directa, necesse est, quod eadem met cognitio sit etiam sui ipsius perfecta cognitio signatè, & vt quod; ac per consequens cum cognitio infusa Christi Domini cum non utitur phantasmatis, perfectior sit etiã quantum ad modum, quam cognitio naturalis cuiuslibet Angeli, sit quod possit esse perfectè reflexiuua sui signatè, & vt quod; cumque non implicet tam perfectam cognitionem, etiam comprehensiuuam, & sine vsu phantasmatis, communicari à Deo cuiuslibet viatori, nec implicabit, dari in nobis cognitionem, quæ sit perfectè reflexiuua sui.

12 Quod vero hoc implicet in nostro intellectu pro hoc statu modo humano cognoscendo, cognitio naturalis; per conuersionem ad phantasmata; tum quia implicat, quod cognitio limitata manente limitatione sit illimitata; at qui cog-

nitio nostra pro hoc statu, & secundum naturalem modum, ob suam limitationem, qua pender a phantasmatis, nequit se sola reflexe conuerti supra se ipsam, quia in se est aliquid spirituale, & excedens proportionem rei materialis: ergo sicut implicat, quod nostra nulla addita virtute videat solem, ita implicabit, quod cognitio humana manente modo illo cognoscendi, per limitationem ad phantasmata, simul cognoscat se reflexe signate, & reflexe.

Tum etiam, cognitio nostra naturalis, pro hoc statu intelligens conuertit ad phantasmata habet solum pro obiecto proportionato quidditatem materiale, & pro improporionato quidditatem spirituale, & manente hypothese nostra, oppositum implicat. At etiam implicat, quod eadem cognitio, simul habeat pro obiecto, quod signatè attractio, obiectum proportionatum, & improporionatum obiectum quidditatiuè, & connotatiuè attractum directè, & vt quod; quia hoc esset excedere limites essentielles sui constitutiui: ergo manente hypothese, quod ea cognitio sit mere naturalis, & pro hoc statu, & cum dependentia a phantasmatis limitato modo procedat, implicat, quod eadem numero cognitio sit simul directa, & reflexa signate, & vt quod.

Et per hæc meo videri conciliantur discordantes Thomistarum sententia, quæ in præfati digladiantur.

*S. 4. Dato quod cognitio reflexa nõ format verbum, & quod sit realiter distincta à directa, non repugnat conceptum, seu verbum directum, se ipso reddi cognitum à cognitione reflexa, sine alio superaddito.*

13 Hæc est mens Ferrar. 1. Cōtrag. cap. 53. in fine. Iauel. 1. p. q. 27 art. 1. Ledem. de esse Dei, quæst. 4. artic. 5. sub art. varic. conclus. 1. M. Martinez de Prado 3. de anim. q. 19 §. 5. & inter alios negantes formati verbum ab Angelo in cognitione naturali, cum Caiet. 1. part. & Rip. 1. part. quæst. 27. art. 1. vbi videntur Zam. & Nazar. & D. Thom. 1. part. quæst. 56. art. 1. & quæst. 87. artic. 3. cum par sit ratio ad suadendum, quod sicut essentia Angeli naturaliter sine verbo superaddito potest terminare cognitionem sui, quæ realiter distinguitur ab illa, ita de potentia absoluta potest verbum directum citra infinitatem terminare cognitionem reflexam sui absque eo quod talis cognitio reflexa format verbum, & absque eo quod identificetur cum cognitione directa.

14 Fundamentum præcipuum est, quia si ob aliquam rationem repugnet, quod verbum directum esset se ipso cognoscibile ut quod, absque verbo superaddito; maxime quia hoc esset identificare suam ultimam actualitatem in genere cog-

noscibili passiuo, & hoc dicit infinitatem; sed hoc est falsum: ergo non repugnat. Prob. min. Non dicit infinitatem, quod obiectum visibile physice præsens potentie visiva, se ipso sit visibile absque vilo idolo superaddito: ergo dato, quod verbum mentis directum sit præsens intra potentiam intellectiuam creatam, non implicauit, quod se ipso sit intelligibilis, ut quo absque verbo superaddito, neque hoc arguet infinitatem. Prob. consequent. tñ quia quod potest obiectum visibile, in linea cognoscibili inferiori, non debet denegari verbo mentis, quod est cognoscibile superioris ordinis, & lineæ; nempe in linea intelligibili. Tum, quia non minus est proportionatum tale verbum, nec minus applicatum potentie respectu intellectiois, quàm sit obiectum visibile intra spheram visus: ergo si hoc potest se ipso videri citra infinitatem, ita & poterit verbum mentis se ipso intelligi ¶ Conf. Nam esse aliquid intelligibile per se ipsum in linea cognoscibili passiuo, nõ dicit ultimam actualitatem intrinsecam, sed solam connotat actionem extrinsecam: ergo potest aliquid esse se ipso intelligibile posita intellectioe in intellectu, absque eo quod arguatur infinitas. Prob. cõf. Tñ, quia habere a se, quod nõ dicit perfectionem ultimam intrinsecam, nõ est esse ens infinite actuale, & perfectum a se; nam huiusmodi ens, dicit habere a se ultimam actualitatem intrinsecam.

Tum, quia potest aliquid se ipso effici, & causari passiuè absque aliquo superaddito solum posita actione in agente; vt patet cum aliquid creatur a Deo; potest aliquid se ipso exercere causalitatem causæ finalis respectu voluntatis solum connotata volitione in appetitu, vt dixi in phisica lib. 2. disp. 7. dub. 3. potest aliquid esse visibile, vt dixi a visione æterna, solum connotata visione sine hoc, quod mediet aliquid superadditum: ergo & poterit verbum mentis se ipso reddi intellectum solum connotata cognitione reflexa absque aliquo verbo reflexo superaddito. Et idem dic de essentia Angeli, vt aduertitur nu. 13.

15 Sed resp. ad hæc, quod obiectum redditur visibile per aliquid materiale, ac perinde hoc non arguit, in finitatem, ac obiectum redditur obiectiue præsens intellectui per suam immaterialitatem, quam necesse est identificare vsque ad actum vltimum, vt aliquid sine verbo superaddito sit se ipso intelligibile, quod est esse infinitæ actualitatis.

Sed hæc responsio iam est præclusa num. 14. & ostensum hoc non dicere identificationem alicuius vltimæ actualitatis intrinsecæ, & posita est instantia in essentia Angeli, ad quam cognoscendam non est necesse formare verbum in Angelo, ex D. Thom. & Caiet. 1. par. quæst. 87. artic. 3. tum quia si obiectum pure materiale potest identificare suam vltimam cognoscibili-

ratem in sua linea, a fortiori hoc poterit ens immateriale, siquidem immaterialitas, non est conditio diminuens, sed potius augens cognoscibilitatem in sua linea. Tum, quia esse aliquid se ipso cognoscibile est esse proportionatum cum potentia cognoscente, & eius cognitione: sed quia potentia visiva est finita, potest obiectum coloratum lucidum supposita sufficienti applicatione reddi se ipso visibile, & attingibile à visione: ergo cum potentia intellectiua, & eius intellectio, sint aliquid finitum poterit verbum directum, se ipso reddi vltimo intelligibile, & proportionatum cum intellectu reflexo, vel saltim hoc non repugnat conceptui entis intelligibilis creati. Tum, quia inde non sequitur, quod identificet suam existentiam, quia tale obiectum, non existit existentia intrinseca, nec est illi aliqua perfectio, quod actu intelligatur cum sit mensura intellectiois: vt ait D. Thom. 1. part. q. 13. artic. 7. Sed existit extrinsecè per cognitionem, vt contemplatio est, vt ait D. Thom. 1. p. quæst. 14. art. 4. & quæst. 54. art. 1. & quæst. 71. artic. 1. & quæst. de spiritualibus creaturis, artic. 11. ergo etsi non mediet verbum superadditum, si tamen cognitio reflexa est distincta, manebit verum, quod verbum directum existit intelligibiliter per existentiam extrinsecam realiter diuersam.

Denique verbum eo ponitur a D. Thom. vt obiectum sit intimè præ-

præfens potētiae, & intra illam ob-  
iectiue ponit: ergo verbum non vt  
rationem formalem, sed vt appli-  
cationem, seu conditionem appli-  
catiuam; at hanc potest Deus sup-  
plere, potest enim facere, quod ego  
videam hic, quæ p̄ om̄a gerun-  
tur, & vt ignis ardens apud Indos  
comburat Europæos: ergo potest  
etiam facere, quod verbum dire-  
ctum se ipso absque alio superaddi-  
to intelligatur a nobis.

16 Conf. & explicatur ratio ob-  
quam D. Thom. 1. Contragēt. cap.  
33. & 4. Contragent. capit. 11. &  
opule. 13. & 14 ait, requiri verbum  
superadditum vt aliquid actū sit in-  
relictum a nobis; vel est ratione ab-  
sentiæ obiecti, quod vt intelligatur,  
& ponatur intra potentiam requi-  
ritur verbum; vel quia est mate-  
riale, & immersum conditionibus  
materialibus, ac perinde carens de-  
bita proportione cum intellectu,  
qua propter debet apponi verbum  
spirituale, quo reddatur immate-  
riale: sed verbum mentis est phy-  
sicè præfens intellectui, & præfens  
obiectiua potest suppleri, vt dixi-  
num. ant. in fine. Alias est imma-  
teriale: ergo poterit cognosci sine  
verbo superaddito.

Dices, quod debet cognosci à  
nobis ad modum rerum materia-  
lium; & idè debere formari ver-  
bum connotatiuum. Ad quod fa-  
cile resp. Quod hoc est verum iux-  
ta exigentiam naturalem, at non  
implicat, quod noster intellectus  
videat verbum directum suæ cogni-

tionis quidditatiue, & non conno-  
tatiue, & videre iterum oportet,  
quod dixi §. antec.

*Soluntur Argumenta.*

17 Arg. 1. secundum D. Tho-  
mam 1. part. quæst. 27. artic. 1. om-  
ne intelligens creatum, hoc ipso,  
quod intelligit format verbum. Et  
inde probat primam processionē  
in diuinis, esse Verbi Diuini, sed  
hæ ratio nil probaret si in cog-  
nitione reflexa posset nō fermari Ver-  
bum, ad cognoscendum concep-  
tum, seu verbum directum: ergo.

Resp. eam rationem adduci a  
D. Thom. per modum congruen-  
tiæ; vnde sufficit, quod naturali-  
ter hoc contingat in nobis, & etiam  
conueniat Angelo, in aliqua cog-  
nitione; manet ergo locus, vt stet no-  
stra conclusio de potentia Dei abso-  
luta.

Si instes D. Thom. quæst. 4. de  
verit. artic. 2. ad 3. docere, quod non  
aliter possumus intelligere, nisi huius-  
modi conceptionem exprimendo; &  
idè omne intelligere in nobis proprie lo-  
quendo est dicere. At quod est de pro-  
prietate locutionis videtur esse de  
ratione essentiali, & constitutiua:  
ergo in hoc sensu loquutus est D.  
Thom. ¶ Resp. ibi loqui D. Tho-  
de intelligere nostro creato, in re  
humano, & naturali, & per con-  
uersionem ad phantasmata intelli-  
gendo, & sic eti de essentia intel-  
lectionis, vt talis formatio ver-  
bi, vt dixi in simili §. antecedenti.

Vel loquitur de proprietate locutionis, secundum intelligere nostrum de potentia ordinaria, non de absoluta Dei potentia.

18. Arg. Verbum non minus est ultima actualitas obiecti in genere intelligibili passivo, quam cognitio sit ultima actualitas intelligentis creati in linea actiua; at repugnat nos intelligere actiue sine intellectione superaddita; quia hoc argueret infinitatem in via Thomistica: ergo etiam debet arguere, quod verbum directum reddatur in actu secundo intellectum sine verbo reflexo superaddito. Prob. conf. quia sicut actio est quedam perfectio intelligentis, ita & verbum est perfectio intelligibilis: ergo si primam idealificare arguet infinitam perfectionem, ita secundum.

¶ Resp. quod verum est, quod intellectio est perfectio intelligentis intrinseca, ac proinde esse intelligentem sine illo superaddito dicit infinitatem actus puri; at verbum non est perfectio intrinseca obiecti; sed potius intelligentis cum sit terminus intrinsecus intellectio nisi intelligibilis cum sit mensura cognitionis, & verbi specificans utriusque, & non dicens ordinem reale ad illud; sed potius reddens utrumque pendens a se, ut dixi num. 15. non ergo sequitur, quod sublato verbo debeat obiectum intellectus esse infinitum. Et instatur, si oculus identificaret suam visionem esset in nostra sententia infinitum, si Angelus suam intellectionem, &

tamen obiectum visibile identificat suam ultimam visibilitatem, si ne idolo superaddito, & essentia Angeli suam intelligibilitatem respectu Angeli cognoscentis seipsum naturaliter: non ergo est eadem ratio utriusque. ¶ Alias replicas omitto, quia hinc alluuntur.

19. Arg. 3. Obiectum intelligibile reddi obiectiue presens medio verbo, non est sola conditio, & applicatio respectu intellectus creati, sed est conditio, aut differentia essentialis, & intrinseca, sicut existentia respectu cause efficiētis, aut sicut rationalitas respectu hominis: implicat ergo verbum directum esse intelligibile reflexe sine verbo reflexo superaddito. Prob. ant. Hæc enim est differentia quam assignat D. Thom. 1. par. quæst. 27. art. 4. & super Aristot. 3. de anima text. 15. quod intellectus intelligit trahendo, res ad se medio verbo, & voluntas vult dum fertur ad res, & trahitur ab illis medio impulsu: sed hæc differentia saluari non potest nisi verbum, vel sit conditio intrinseca cuiuslibet intellectionis, vel sit differentia essentialis, ut patet: ergo.

Resp. quod differentia essentialis non stat inter illas potentias, in eo quod sit verbum, vel impulsus medijs, quibus aut intellectus trahat res ad se, aut voluntas fertur ad illas: sed stat in eo, quod intellectione vnit rem intellectam trahendo ad se, medio verbo, si non sit se ipsa obiectiue presens; si au-

rem sit intra uniendo ad se, ut contingit in visione beata, ubi sine formatione verbi stat, quod illa visio erahat Deum ad se, & eum possideat, & fiat per hoc beatus. Voluntas autem feratur ad rem, medio impulsu, quia reuera res ad extra est cum amatur, quod est extra amantem, vel non est ipse amans.

Quare autem Deus non possit intrinsece uniri voluntati sine impulsu creato, sicut unitur intellectui beatorum sine medio verbo alterius materię negotium est, & disputatur in materia de Charitate, & de beatitudine, quod quia nimis extraneum est, debet pro nunc omitteri. Et hæc de hoc tractatu.



## TRACTATUS QVARTVS. De terminis in particulari.

Disputatio prima de Termino Vniuoco, & Æquiuoco.

*Dub. 1. An diuisio termini in vniuocum, & æquiuocum sit bona, & qualis sit?*

**D**iuisum huius diuisionis, non est terminus, ut abstrahit etiã à mentali, scripto, & vocali; sed præciso ut abstrahit à vocali, & scripto, quia non datur terminus mentalis æquiuocus. Quo posito, quæ hic occurrunt digno disputatione, subiectis conclusionibus enodanda sunt.

*Prima conclusio.*

1. Hæc diuisio est bona, & adæquata. Prob. quia hæc extrema exhauriunt omnino diuissum; non enim potest dari terminus scriptus;

aut vocalis, qui non sit vniuocus, aut æquiuocus, ad quæ analogici termini reducuntur, aliàs datur hæc diuisio per rationes formaliter oppositas, & aliæ conditiones bonæ diuisionis obseruantur: ergo hæc diuisio est bona, & adæquata.

*Soluuntur argumenta.*

3. Arg. contra. Tunc est nugatoria diuisio cum diuissum coincidit cū vno ex membris diuidentibus: at sic contingit in præsentī: ergo. Prob. min. vel hæc diuisio est analogica, vel est vniuoca. Si vniuoca, iam diuissum est terminus vniuocus, ac perinde

perinde coincidit cum vno ex membris diuidentibus. Si analogia, coincidit cum altero extremo, nempe cum termino æquiuoco, quia analogia plurimum conceptuum, vbi ratio significata est intrinsecè in analogatis ad æquiuocare reducuntur, vt in ante prædicamentis communiter dicitur vitiosa: ergo & augatoria est huiusmodi diuisio.

Resp. in prius hoc argumentum iustari in omnibus alijs, diuisionibus terminorum, quas esse bonas admittitur: nam terminus, qui diuiditur in terminum, cathegorematicum, & syncathegorematicum, cathegorematicè prædicatur, & terminus, qui diuiditur in communem, & singularem, communiter dicitur, & terminus, qui diuiditur in nomen, & verbum terminus est, & sic de alijs. ¶ Resp. autem, quod cum intellectus sit reflexiuus, potest reflecti, & ea, quæ sub vna ratione sunt superiora sub vna ratione, facere inferiora sub alia consideratione, & denominare secunda intentione inferiori, v.g. genus, quod est superius ad omnem speciem potest intellectus denominare secunda intentione speciei in ordine ad communem vniuersalitatem; & hoc non obstat, quin diuisio vniuersalis in quinque vniuersalia sit bona, & æquata, etiã si vniuersale sit quoddam genus, & genus ipsum sit species vniuersalis; quia hanc commutationem secundarum intentionum fortiuntur illa prædicabilia denominatiuè accidetaliter, & vt quod,

non essentialiter, & vt quo: sic secunda intentio termini vt sic, quæ considerata vt quo, & essentialiter abstrahit à ratione vniuoci, & æquiuoci, potest media intentione intellectus reflectentis denominari, æquiuoca, seu analogia, & reddi inferior ad sua membra diuidentia, sed hoc non reddit diuisionem vitiosam, quia hoc non conuenit diuiso vt quo, & essentialiter, sed denominatiuè tantum, ac perinde optimè potest diuidi terminus vt sic in vniuocum, & æquiuocum.

4 Et hinc soluitur aliud argumentum, nempe membra diuidentia inter se coincidere, quia terminus æquiuocus vniuoce dicitur de suis inferioribus. ¶ Resp. enim, non coincidere, quia terminus æquiuocus non essentialiter, & vt quo, sed denominatiuè tantum, & vt quod habet esse vniuocum quid respectu inferiorum; cum tamen hæc diuisio procedat de secunda intentione termini in concreto, quatenus est ratio vniuocandi, vel æquiuocandi.

*Secunda Conclusio.*

5 Hæc diuisio est essentialis analogia. Quod sit essentialis constat, quia traditur per differentias, quæ sunt intra essentialiam termini: ergo est essentialis diuisio termini. Prob. antec. nam hæc diuisio traditur penes significare vnum, aut plura, & penes hoc, quod est componere propositionem, quæ sit vna, vel plures: at de ratione signi essentiali termini est esse signum ordi-

nabi:

abile ad propositionem: est ergo essentialis huiusmodi diuisio tradita per ea, quæ sunt differentia intra genus termini. Quod verosimiliter analogum, & non vniuocum huiusmodi diuisio. Prob. quia diuisio entis in vnum, & plura est analogum: ergo & diuisio termini in vniuocum, & æquiuocum: nam terminus æquiuocus logicè non est vnus simpliciter, sed plura, eo, quod componit propositionem, non vnã simpliciter, sed quæ dicitur plures, ac perinde terminus æquiuocus non est vnum simpliciter, sed vnum secundum quid: at quod est vnum secundum quid etiam est ens secundum quid: ergo terminus æquiuocus, qua ratione est vnus secundum quid, erit etiam terminus secundum quid.

6. Præterea, terminus æquiuocus in consideratione logica non conducit per se ad finem logicæ, & terminus vniuocus per se conducit ad illum finem: ergo in consideratione artificiosa logica nequit hæc diuisio esse vniuoca: in hac enim diuisum æquè per se reperitur in quolibet membro diuidente. Ant. prob. tum, quia vt ait M. Soto, terminus æquiuocus relinquitur ab arte. Tū, quia terminus eatenus spectat ad logicam, quatenus instrumentum artificiosum sciendi, & demonstrandi veritatem intellectui; at terminus æquiuocus non componit immediatè propositionem notificationis veritatis, sed potius amphibologiam, & fallacem, nec mediatè componit syllogismum demonstra-

tium: sed potius confusum, & sophisticum elenchum: nam vbi medium est æquiuocum, nulla potest esse demonstratio: ergo terminus æquiuocus non est per se talis in consideratione logica, sed solum secundum quid, & apparenter: ergo ista diuisio vniuoca non est, sed analogum. Vide D. Thom. 1. Contrag. c. 33. nu. 4.

7. Contra istam conclusionem obijci potest, quod terminus æquiuocus iuxta à me dicta in logica parua, est simpliciter vnus terminus, sicut vniuocus: ergo diuisio est vniuoca. Prob. consequens, nam quod est simpliciter vnum, est etiam simpliciter ens in linea, in qua est vnum; sicut quod est simpliciter vnus homo, est homo simpliciter: ergo si terminus æquiuocus est simpliciter vnus terminus, non minus, quam vniuocus; erit etiam simpliciter terminus, non minus, quam vniuocus: ergo ratio communis termini vniuocè dicitur, tam de termino vniuoco, quam æquiuoco; ac perinde diuisio erit vniuoca. Sed tamen re melius inspecta probabilius modo apparet dicere, quod terminus æquiuocus non simpliciter, sed solum secundum quid est vnus terminus; ac perinde, quod hæc diuisio est analogum. Quod & amplius patecet ex dicendis dub. seq.

8. Instari potest secundo: quod terminus æquiuocus per se conducit ad conuertendum elenchum, medio æquiuoco constantem, quod & artificiose fit à logica: ergo termi-

nus æquiuocus per se conducit ad finem logicæ, quæ non minus docet partem demonstratiuam, quã topicam, & sophisticam: ex hac ergo ratione malè diximus, terminũ æquiuocum non participare per se rationem termini artificiosi.

Resp. quod logica docet clẽchos conficere mediante termino æquiuoco, non per se, sed per accidens, ne fallatur quis ignorato defectu, si cut etiam ethici docet naturam vitij, ne incurratur, & artifex sciens componere artefactum vitiosum si vellit est magis artifex, quã qui nesciens conficit defectuosum artefactum ex Arist. 6. Ethic. cap. 5. & ex D. Tho. 1. 2. q. 21. artic. 2. in corp. & ad 2.

Dub. 2. *An terminus æquiuocus sit simpliciter vnus terminus, & an vnica relatione ordinata ad propositionem constituitur?*

*Prima conclusio.*

**D**icendum est primo: terminum æquiuocum sicut pluribus significationibus constituitur, ita etiam pluribus secundis intentionibus termini constitui, iuxta numerum significationum. Sic Huer. hic cap. 4. q. 8. art. 1. & M. Mart. de Prado lib. 2. Log. q. 1. §. 3. conclus. 2. Prob. tum, quia eo sunt ibi plures significationes, quia eadem vox significat plures conceptus formales simplices, & plures cõceptus obiectiuos simplices; at qui etiam cõ-

ponit propositionem vocalem, quæ representat plures propositiones mentales, & plures propositiones obiectiuas: ergo etiam constituitur pluribus secundis intentionibus termini. Prob. consequ. nam sicut vox habet significationes, quatenus substituitur pro conceptu, & obiecto; ita habet secundam intentionẽ termini, aut propositionis, quatenus mouet audientem ad formandum conceptum, & ad hoc, quod percipiat obiectum. ¶ Præterea, secunda intentio termini nihil aliud est, quam significatio partialis; at terminus æquiuocus habet plures significationes simplices, & partiales, neque ex illis tribus (cum sint æquè primo diuersæ, & omnino distinctæ à secunda intentione propositionis) non fit vna completa, & per se, & totalis significatio: sed potius quælibet ex illis absque ordine inter se, est significatio simplex ordinabilis ad componendam propositionem: ergo quælibet vox, seu scriptura æquiuoca, constituitur triplici secunda intentione.

2. Vtterius prob. cum quis audit hanc propositionẽ, *canis est substantia*, tunc non format vnã propositionem, sed plures: ergo deseruit illa vnica propositio pro tribus: ergo intelligit eam eodem modo, ac si haberet triplicem copulam, triplexque subiectum, & prædicatum: ergo denominat triplici secunda intentione, subiecti prædicati, & copulæ. Prob. consequ. tũ, quia intellectus attribuit secundas inten-

tionēs vocibus, quatenus sūt instru-  
menta intelligendi: sed intellectus  
in illo termino æquiuoco *canis*, in-  
reliquit tres terminos, & in illa pro-  
positione *canis est substantia*, intelli-  
git tres propositiones: ergo.

Tum, quia hac ratione, & si hæc  
littera *A* sit incomplexa, tamē (se-  
cundum doctrinam M. Soto in cap.  
de termino complexo) si impone-  
retur ad significandum hominē ai-  
bun illa vox non esset terminus in-  
complexus, sed complexus; ac per  
inde secunda intentione complexa  
denominaretur ab intellectu: ergo  
similiter, & si vox *canis* sit vnica,  
tamen quia deseruit vt instrumen-  
tum ad triplicem terminum men-  
talem, & obiectiuum, debet consti-  
tui in ratione triplicis termini per  
trinam secundam intentionem.

3. Posito multiplici fundamen-  
to, & ratione fundandi diuerso spe-  
cie, resultat triplex relatio maxi-  
mè si ex parte termini, ponatur e-  
tiam multiplex terminus, seu ratio  
terminandi; ideoque si in homine  
ponatur potentia generatiua, & ge-  
neratio, quantitas, & albedo, posi-  
tis terminis, nequit non resultare  
in illo relatio paternitatis, & quali-  
tatis, vel inæqualitatis, & similitudi-  
nis. Sed ratio fundandi secundā in-  
tentionem termini, est significatio  
simplex in voce, & ex parte termi-  
nandi relatio nis, ratio terminan-  
di est significatio propositionalis,  
que in diuersis speciebus, quatenus  
significat naturas diuersæ quiddi-  
tatis, & veritatis diuersæ rationis;

ergo necesse est, quod resultent di-  
uersæ relationes, seu secundæ inten-  
tiones termini in hac voce *canis*, &  
diuersæ relationes propositionis in  
hac oratione vocali, *canis est substan-  
tia*: constituitur ergo terminus æ-  
quiuocus multiplici relatione ter-  
mini, seu secunda intentione, iux-  
ta numerum significationum, quæ  
sunt in eadem voce.

*Soluuntur argumenta:*

4. Oppositum defendit Ortiz  
tract. 5. confer. 4. conc. 1. quatenus  
ait, terminum æquiuocum vnica  
relatione constitui fundata in plu-  
ribus significationibus. Prob. quia  
idem est constitutiuum, & distincti-  
uum; sed terminus æquiuocus suf-  
ficienter distinguitur ab vniuoco,  
per vnā relationem partis funda-  
tam in triplici significatione æque  
primo diuersā, siquidem terminus  
vniuocus habet vnā relationem  
præcisè fundatam in vnica signifi-  
catione: ergo.

5. Conf. nam secunda inten-  
tio termini, seu relatio partis ordi-  
nabilis ad propositionem, nō se ha-  
bet vt genus ad terminum, sed me-  
re materialiter, ac et si id quod se ha-  
bet materialiter in suo genere sit  
plura potest tamen supra illud fun-  
dari relatio, quæ sit vnica: ergo et si  
in voce æquiuoca sint plures signi-  
ficationes; poterit tamen relatio  
termini constitutiuā termini æqui-  
uoci esse vnā, & cū aliās natura hor-  
reat superflua, dicēdū erit huiusmodi

terminum, vnica tantum secunda intentione, seu relatione constitui. Min. prob. quia conditiones indiuiduales materialiter se habent ad rationem indiuidui, & partes domus ad domum, & vnitates ad numerum, hæc omnia vnica forma, & relatione constituuntur: ergo similiter.

6 Resp. quod plures significationes omnino materialiter se habent ad rationem termini, sicut ad rationem albedinis se habet materialiter, quod subtractum sit nix, vellac, vel agnus: in merito ait Ortiz, quod sufficienter distinguitur terminus æquiuocus ab vniuoco per constitui in relatione fundata in vna, vel in pluribus significationibus, sicut immerito diceretur album in ratione albi essentialiter distingui, per hoc, quod sit albedo in pariete, in agno, in homine, in lacte, vel in niue; eo ipso, quod Ortiz intendit, quod constitutiva horum terminorum distinguantur essentialiter per habere plures, vel vnica significationem, debet etiam concedere, quod significatio vna, vel plures per se fundant istius modi relationes, ac perinde, quod multiplicata significatione debeant etiam multiplicari huius modi relationes, sicut ostendi nu. 4.

7 Ad arg. igitur concess. mai. neg. min. per non suppositionem: nam sicut implicat vnica esse passionem fundatam in essentijs diuersæ speciei, sic implicat vnica esse relationem fundatam in diuersis, & pluribus significationibus, quæ sūt

rationes fundandi secundam intentionem, seu relationem constitutiuam, & distinctiuam termini vniuoci, & æquiuoci. ¶ Ad conf. dico, bene posse vnica formam fundari in pluribus entitatibus, quæ eam fundant, seu illi substituuntur sub quodam ordine, & per modum vnius, qualiter contingit in exemplis allatis, at non posse vnica formam constitui, & distingui ab alijs præsupponendo plura vt plura sine aliqua vnitare, & ordine, qualiter contingit in termino æquiuoco, vbi vox significat plura vt plura, & sic habet duas significationes vt plures, & sic fundat relationem, seu secundam intentionem termini æquiuoci, vt distinguitur ab vniuoco.

8 Arg. 2. accidentia solo numero diuersa nequeunt multiplicari in eodem subiecto; at qui illa secunde intentiones essent solo numero diuersæ: ergo nequeunt multiplicari in eadem voce. Prob. min. conuenirent in eo, quod est esse partem propositionis incomplexam, & componerent propositionem eiusdem speciei, siquidem si de facto fierent tres propositiones vocales, d. cædo, canis marinus est pitcis, canis latrabilis est terrestris, canis sidereus est celestis; istæ propositiones solo numero differrent: ergo si adunatur istæ tres propositiones in vnica propositione vocali, tres intentiones illæ essent solo numero diuersæ. Prob. antec. nam propositiones non differunt specie in ratione, & forma propositionis, penes hoc, quod

solum differant penes significata, si sint in simili forma.

Resp. dato, quod plura accidētia physica solo numero diuersa nō possunt esse in eodē subiecto, quia ab illo. indiuiduantur, posse tamē plures formas accidentales secūdo intentionales esse in eodem subtracto vocis, quia non indiuiduantur à subtracto; sed ab intellectu; ideoque eadem vox audita à pluribus potest denominari pluribus secundis intentionibus, solo numero diuersis, & si non possit idem subiectum affici accidentibus solo numero diuersis, etiam a diuersis agentibus physicis. ¶ Secundo resp. eas intentiones, quæ in fieri, & conseruari pendent ab intellectu, non simul, sed successiue competere, tã termino, quam propositioni æquiuocæ; quia intellectus audita voce æquiuoca non simul intelligit eius significationes, sed successiue; ac perinde eodem ordine quo intelligit denominat vocem secundæ intentione termini, seu propositionis, dum autem non acta considerat vocem, manet vox solum terminus fundamentaliter, vel virtualiter, quatenus ibi manent significationes, & relationes rationis solum fundamentaliter, seu virtualiter.

Vel dic, eas relationes diuerre, non solo numero, nec specie completa, sed specie incompleta, quod sufficit vt possint simul conuenire plures illæ relationes eidem.

VOCIS

*Secunda Conclusio.*

9 Terminus æquiuocus nō est simpliciter vnus terminus, & secundum quid plures, sed potius è contra est simpliciter plures, & vnū secundum quid. Sic Huert. loco iam notato. Et prob. quia etsi concreta accidentalia primo intentionalia non habeant vnitatem à forma, sed à subiecto, & sic sint vnum mathematicè, siue arithmeticè, quia actus numerandi est actus mathematicè, & res ad quam tendit huiusmodi facultas, est id à quo res habet esse, & subsistere, quia ex modo significandi supponunt talia concreta pro subiecto à quo subsistunt, & existunt aliquomodo talia concreta; & ideo quantumuis homo habeat plura indumenta dicitur vnus vestitus, & quantumuis sit ornatus pluribus scientijs dicitur vnus sciens; vnde si suppositum verbi diuini assumeret plures humanitates, ratione vnitatis suppositi diceretur vnus homo, quæ omnia clarè docet D. Tho. 11 met. lect. 3. & opus. 39. c. 4. & 5. & quod lib. 4. ar. 17. & 1. p. q. 39. art. 3. & 3. p. q. 3. art. 7. tamen concreta secundo intentionalia non sumunt suam vnitatem à subiecto, sed à forma; quia non subsistunt, neque existunt à subiecto, sed precise ab intellectu, & ex modo significandi appellant proprium conceptum sumptum pro forma: vnde, & dicitur, quod homo vt quantus, & vt albus est in duplici specie, & in duplici practicamente; non vtcumque, sed ita

ita vt quodlibet prædicamentū habeat sua indiuidua, nempe, quia in talicasu est homo hoc indiuiduum aibi, & hoc quanti, & hoc substantiæ, & plura indiuidua secundo intentionalia diuersorum prædicamentorū. Sed ly *terminus* est terminus secundæ intentionis, quia significat id quod conuenit voci, vel scripture non secundum id, quod habet in re, sed secundum id quod habet per ordinem ad conceptum mentis: ergo si terminus æquiuocus constituitur per plures intentiones secundas primo diuersas, debet dici plures termini simplicitate in consideratione logica, & vnus secundū quid; esto mathematicè possit dici vnus terminus, de quo non curo.

*Soluuntur Argumenta.*

IO Oppositum primo aspectu uentur RR. M. Ioann. à S. Tho. q. 1. Log. art. 2. difficult. 2. Ortiz tractatu 4. Sum. confer. 4. §. 2. con. 2. M. Mart. de Prado lib. 2. Log. q. 1. §. 4. nu. 19. & dixi primo aspectu, quia probationes quas adducūt ex D. Tho. locis citatis num. antec. solum probant, quod concreta accidentalialia primo intentionalia mathematicè considerata multiplicātur multiplicato subiecto, & quod habent unitatem, si maneat idē subiectum, quantumuis formæ multiplicentur; unde quia in termino æquiuoco vox est vna, sicut dicitur, quod vox est vna potest dici vnus terminus mathematicè quantumuis formæ, & significationes, & secun-

dæ intentiones termini multiplicentur. Sed quia nos hoc concedimus, & solum loquimur de termino æquiuoco in logica consideratione, & quatenus attendimus ad modum significandi, & multiplicandi termini nos secundæ intentionis; ideo ni fallor parum in re distamus. Sed quidquid de hoc sit maioris gratia claritatis proponemus, quæ à ratione nobis possunt obijcere, & diluamus.

II Arg. ergo primo. Terminus æquiuocus non dicitur plura signa, sed vnus, quia & si significationes sint plures, tamen subiectū, seu vox est vna: sed similiter, & si secundæ intentiones sint plures, tamen vox est vna: ergo ob eandem rationem debet dici vnus terminus. Mai. est D. Tho. quodlib. 4. art. 17. vbi ait. *Vnitas, aut diuersitas vocis significatiue non dependet ex unitate, aut diuersitate rei significatæ, alioquin non esset aliquod nomen æquiuocum.* Et 1. Contragent. cap. 33. num. 2. *Vbi est pura æquiuocatio, nulla similitudo in rebus attenditur sed solum vnitas nominis.*

¶ Resp. hinc probari, quod terminus æquiuocus est vna vox significatiua, & sic secundum considerationem mathematicam est vnus quid, quia mathematica numerat quantitatem discretam; at nego esse vnus signum sub consideratione logicam, quæ nō considerat quantitatem rei sumptam ex subiecto, sed solum modum significandi secundarū intentionum ratione formæ cum quadam appellatione, & redu-

reduplicatione eius, & sic considerat nomen æquiuocum secundum quod est plura signa partialia. Vnde sicut Logicus solum diffinit pernes formalia, & sic attendit esse rei sub sua consideratione cadentis, nõ vero materiam, vt ai D. Thomas 1. de anim. lect. 2. & opusc. 70. super Boet. de Trinit. quæst. 4. art. 2. Sic etiam multiplicat diffinita ratione formæ in concretis secundo intentionalibus. Quod & a simili constat, nam sicut Sacramentum Eucharistiæ est vnum Theologicè, etiã si Mathematicè sit plura, quia constat accidentibus panis, & vini, & formis vocalibus non continuatis phisicè. Et è contra, si eadem materia sub diuersis verbis, & formis esset instituta ad effectũ Baptismi, Pœnitentiæ, & Ordinis consequẽdam diceretur plura Sacramenta Theologicè, et si Mathematicè esset vnum quid: & sicut idem corpus Christi est plura sacrificia Theologicè; ac perinde sacrificium Crucis, & altaris diuersa numero dicuntur Theologicè, quia actiones offerendi sunt diuersæ, et si res oblata sit vna; sic similiter dico, quod terminus æquiuocus, et si mathematicè dicatur vna vox significatiua, tamẽ logicè dicendus est plures termini simpliciter.

12 Si infes D. Thom. locis citatis, cum Arist. 1. meth. lect. 3. nedum dixisse, quod in æquiuocis vox est vna; sed etiam, quod nomen; at nomen non minus est terminus secundæ intentionis quam *ly terminus*:

ergo sentit nedum mathematicè; sed etiam logicè terminum æquiuocum esse vnum nomen; & vnum terminum.

¶ Præterea, et si secundæ intentiones non subsistant phisicè a subiecto, tamen eodem modo concipiuntur ac si subsisterent, & ea propter significatur adiectiue, & per modum termini connotatiui, seu formæ alteri adiacentis, quia concipiuntur ab intellectu ad modũ realium accidentium: ergo etiam debent numerari, & habere vnitatem in consideratione logica ad modũ realium accidentium; sed hæc iuxta D. Thom. cum significantur in concreto habent vnitatem simpliciter a subiecto quantumuis multiplicentur in illo formæ accidentales: ergo terminus æquiuocus adhuc in consideratione logica est vna terminus simpliciter, & non plura.

13 Resp. quod ibi non assumptum sit D. Thom. & Arist. nomen simpliciter, & secundum considerationem logicam; sed laxè, & secundum quod dicitur abstractum, & vocem significatiuam, quatenus indifferenter usurpatur à Grammaticis, & Dialecticis, quod mihi est verò simile, quia posuit ibi nomen loco generis cũ sit cõperrũ, quod concreta hæc diffiniatur per antiqua, quod est extra genus formæ, & secundæ intentionis, vt latè explicui differẽdo an signũ sit genus ad terminũ, quamobrẽ, ex quo dicant esse vnũ nomẽ, nõ sequitur eos docuisse esse vnũ terminum.

¶ Ad conf. Resp. Quod et si secundæ intentiones in concreto aliquo modo concipiuntur ab intellectu, ad modum realium accidentium, non tamen sic concipiuntur quantum ad omnia, nam concreta secundo intentionalia supponunt simpliciter, & appellant proprium conceptum, quod non habent concreta accidentalia primo intentionalia; & ideo, non sequitur, quod ex parte rei conceptæ concipiatur ut subsistens à subiecto, vel ab illo existens esse ex parte eius ad cuius inftar concipitur, videtur dependere: quia reuera totum esse secundæ intentionis ab actuali consideratione intellectus habet esse, non vero à subiecto, cui attribuitur, & ideo eius veritas Logicæ considerata nõ tumetur à subiecto.

*Dub. 3. An terminus cui adiungitur adiectivum uniuocum fiat terminus uniuocus?*

**A** Diectivum illud, vel potest significare accidens, aut rationem communem tribus significatis termini æquiuoci, ut cum dico canis albus, aut idem est cum commune prædicatum de illo dicitur, verbi gratia cum dico, canis est substantia; aut potest tale adiectivum significare accidens propriam alicuius determinati significati talis termini, ut cum dico, canis latrabilis, vel canis latrat: sciens qui audit; quod tale adiectivum, vel prædicatum est accidens pro-

prium illius; & in utroque casu procedit dubium nostrum.

*Prima conclusio.*

2 Cum terminus adiectivus significat accidens, seu rationem communem, vel quando hæc ponitur ex parte prædicati, & adiungitur cum termino æquiuoco, terminus æquiuocus non fit uniuocus, sed retinet suam æquiuocationem. Sic communiter Thomistæ. Huert. lib. 1. Sum. capit. 4. quæst. 8. artic. 2. conclus. 1. qui & dicit esse communem inter dialecticos. Hæc conclusio est D. Thomæ 1. Contragentes capit. 33. & Ferrar ibi, concedit enim D. Thomas, quod propositiones, quæ sunt de subiecto termino æquiuoco, cum additur prædicatum commune manent æquiuocæ, quia nullum determinant significatum: sed idem est quando ex æquiuoco, & adiectivo communi fit unum complexum: ergo.

¶ Prob. etiam ex doctrina D. Thom. 1. part. quæst. 39, artic. 5. ad 5. & in 1. distinct. 19. q. 1. artic. 1. in corp. & ad 2. & in 3. distinct. 5. in exposit. lit. in fine, adiectivum adiective tentum non nominat substractum suppositi cui adiungitur, secundum rationem substracti formaliter formæ, quam significat tale adiectivum; sed solum ponit suum significatum formale circa subiectum; & loquitur ibi D. Thom. & communis sententia Summuli-

statum de adiectiuo significante formam communem; hæc enim nihil peculiare ponit: ergo illud adiectiuum *albus* relinquit æquiuocationem quam habebat subiectum *canis*. Prob. conseq. nam si nihil ponit ex parte subiecti, neque significat illud vt substractum formaliter: ergo cum dico, *canis albus*, non significantur canes, vt conueniunt in hoc, quod est subterni albedini, sed præcisè vt canes sunt: alias formalitas albedinis, quid commune est, nec magis determinat ad formandum conceptum de vno, quam de altero: ergo manet ille terminus omnino æquiuocus.

3 Prob. vltius secundum D. Thomam citato loco Contragentes, num. 3. quando audito nomine non possumus venire determinare in cognitionem vnius significati determinati, neque ex vno in cognitionem alterius, tunc nomen est æquiuocum, at audita hac voce *canis albus*, non possumus determinare, an sit *marinus*, an *latabilis*, neque cognito, quod aliquis ex his sit *albus* possumus per hoc scire an alter sit *albus*: ergo semper manet ille terminus æquiuocus.

¶ Conf. illud complexum sua significata pluribus conceptibus representat: ergo arguendo a definitione ad definitum, erit illud complexum æquiuocum. Prob. antecedens adiectiuum illud *albus* non determinat intellectum ad aliquod determinatum significatum concipiendum: ergo totum illud comple-

xum significat pluribus conceptibus. Prob. eo, *ly canis* se solo significat sub pluribus conceptibus suis significata, quia etsi illa conueniat in vna voce, tamen hoc est indifferens, & commune omnibus illis, & hæc conuenientia in voce est, quæ maximè causat confusionem, & æquiuocationem, vt ait D. Thomas opusc. 39. capit. 4. sed etiam *albedo* est illis indifferens, & communis, nec sibi determinat aliquam naturam, sed est accidens illis commune: ergo illud adiectiuum non minuit, sed auget confusionem, & æquiuocationem illius complexi cum nesciat intellectus, de quo *canis* dicatur *albedo*, sicut nescit de quo dicatur ea vox.

4 Si dicas, illud complexum de materiali quidem dicere plures conceptus at de formali solum vnum dicere, quia concipit canes vt albi sunt.

¶ Contra est, quod cum *ly canis* ibi sit materiale, & hoc habeat in mente plures conceptus, est quod *ly albus* correspondeat pro formali vno conceptus; manebit tamen *ly canis* omnino æquiuocus: ergo ex adiunctione illius adiectiuum *albus* non tollitur æquiuocatio in *ly canis*. ¶ Præterea, nõ minus determinat predicatum subiectum, tanquam forma quem adiectiuum determinet substantiuum; sed cum sit hæc propositio *canis* est substantia, predicatum non tollit æquiuocationem subiecti, quod ibi se habet de materiali, cum tota illa pro-

positio sit æquiuoca, & amphibologica, vt ait D. Tho. opus. 39. cap. 4. & idem est quando syllogismus habet medium æquiuocum, & subicitur medium in vtraque præmissa: ergo idem erit quando in aliquo complexo adiungitur adiectiuum commune, termino substantiuo æquiuoco.

¶ Si dicas non esse idem, quia prædicatum non restringit subiectum verificatione termini qualiter adiectiuum restringit substantiuum; sed solum restringit verificatione propositionis: & ideo illud prædicatum relinquit subiectum æquiuocum; non autem adiectiuum. ¶ Contra est, quod si poneretur pro medio in aliquo syllogismo illud complexum, adhuc esset amphibologica propositio, & sophisticus syllogismus: signum ergo est, quod adiectiuum non tollit æquiuocationem, sicut nec tollit cum prædicatur. ¶ Præterea, illa restrictio quam facit adiectiuum respectu substantiuo, nõ est determinanda suppositum, vel subtractum substantiuo, vt dixi n. 2. sed solum applicando formam omnino indifferentem: ergo non est sufficiens tollere æquiuocationem sui substantiuo.

¶ Præterea, ea restrictio verificatione termini solum fit ab adiectiuo, quatenus significat formam, que conexa est potius cum vno significato substantiuo, quam cum altero; at hoc non contingit in nostro casu: ergo illa restrictio non consistit in eo, quod tollatur æquiuocatio

substantiuo; sed in eo, quod pro solis albis canibus accipiatur terminus: cum tamen incertum maneat, qui nam sint isti canes, qui solum sunt albi, an marini, an cælestes, an terrestres, manet integra æquiuocatio.

5 Ex quibus colligo contra Ortiz, quod istud complexum canis albus absolute est æquiuocum, etsi solum ratione materialis proueniat æquiuocatio, sicut tota propositio redditur æquiuoca, & amphibologica secundum Arist. & D. Thom. per hoc solum, quod subiectum sit æquiuocum, & quod illud axioma, æquiuocatio est de genere mali, & malum ex quocumque defectu, debet verificari, nedum in moralibus, sed etiam in linea significatiua, & Logica: nam sicut totus syllogismus redditur negatiuus, aut contingens, per hoc solum, quod vna præmissa sit negatiua, aut contingens, & tota propositio redditur materialis per hoc solum, quod vnum extremum sit materiale: ita & complexum totum redditur æquiuocum per hoc, quod substantiuum sit æquiuocum, quod contingit quando adiectiuum non determinat intellectum ad vnum determinatum significatum.

#### Soluntur Argumenta.

6 Oppositum defendit Ortiz hic tract. 4. conf. 3. conclus. 2. ille est terminus vniuocus, qui de formali significat vnum, etsi de materia

formali significat plura, quia hoc ipsum, quod de formali significat vnum illa plura, sicut significantur ibi non absolute, sed sub illa forma; ita etiam debent significari vt conueniunt in ratione substracti talis formæ, & non absolute vt plura. Sed in hoc complexo *canis albus*, adiectiuum de formali significat vnum, nempe albedinem vt applicatam significato substantiui: ergo absolute debet dici complexum vniuocum, siquidem denominatio sumitur semper a forma, & non a materia: ergo etiam significata materialia de *ly canis* accipiuntur vt subternuntur albedini: ergo vt conuenientia: ergo tam pro formali, quam pro materiali erit complexum illud vniuocum.

¶ Resp. ex dictis, quod in illo complexo, licet ex parte formalis significetur vnum, non tamen vt determinate applicatum alicui significato determinato sui substantiui, & ideo non denominat totum complexum vniuocum; non enim sufficit vnum significare ex parte formalis, nisi hoc vnum vno modo significetur. Quod patet in analogis plurium conceptuum, & in analogis attributionis, vbi quia significatur vna ratio, quæ non est eodem modo in analogatis, terminus non est vniuocus. Nego etiã, quod illud complexum ex parte materialis significet sua significata, vt conueniunt in albedine præcisè; sed seruat substantiuum sua significata

vt plura, & adiectiuum applicatum suum significatum, non quidem significando substractum (vt dixi) & conuenientiam in ratione substracti; sed significat eam formam cum omni indeterminatione, & indifferentia ad plures canes, in quibus esse potest; ac perinde neque ex parte materialis, neque ex parte formalis significati, redditur illud complexum vniuocum.

7 Secundo arg. Et potest esse replica, casu quod solum tres ille species canum essent albe in mundo, & mouerentur, vniuoce diceretur de illis album mouetur; & tamen hoc ideo esset, quia *ly album* de formali significat vnum, nempe albedinem, & de materiali significat, vel connotat, quæ conueniunt in esse subiectum albedinis: ergo similiter cum dico, *canis albus* currit, in eo casu vniuoca esse illa propositio de subiecto vniuoco. Prob. conseq. Minus enim determinat subiecta *ly album*, quam *ly canis albus*, & tamen hoc non obstat vt *ly album*, sit vniuocum, etiam si significet, vel connotet eisdem canes, quos explicitè dicit *canis albus*: ergo.

¶ Resp. disparem esse rationem, quia *ly album* est terminus substantiuus, ac perinde supponit pro subiectis albedinis, quia supponit pro illis, & ea connotat, vel significat ratione significati formalis, ac perinde significat illa vt conueniunt in ratione substracti albedinis.

*Ally albus* in hoc complexo canis albus, cum sit adiectiuum, non supponit pro materiali subiecto, neq; illud significat: sed solum applicat suam significationem formalem, ad significationem de *ly canis*, & cum non applicet rationem determinatam, sed communem, neque modo determinato, neque sub ratione subiecti, ut dicit conuenientiam, manet totum complexum æquiuocum.

7. Arg. 3. Ad idem illud adiectiuum omnia determinat substantiuum ad supponendam pro his canibus, quæ sunt subiectum albedinis: ergo determinat quoad significationem, ut accipiatur pro illis ut subiectum albedinis. Ant. prob. nã idem hæc est mala consequentia, omnis canis albus currit: ergo omnis canis currit; quia *ly canis albus* solum supponit, & debet verificari de his canibus qui sunt subiectum albedinis. Conseq. autem probatur, quia suppositio sequitur significationem: ergo restrictio quoad supponere solum pro albis, est restrictio quoad significationem. ¶ Resp. Tamen non esse idem restringere quoad suppositionem, & quoad significationem; sicut enim potest aliquid supponere pro eo, quod non significat, ut patet in termino connotatiuo; sic potest esse restrictio quoad suppositionem, & non quoad significationem. Falsum etiam est secundum plures dialecticos, quod suppositio supponat significationem, quia in

eorum sententia voces non significantes proprie supponunt, & tamen non significant (quamuis ego aliter suo loco dixerim; sed ad instandum hoc mihi fat est) at dato, quod supponat significationem, nihil contra me, quia etsi supponat, non tamen eodem modo fit restrictio quoad significationem ac fit quoad suppositionem, sicut etsi amor supponat cognitionem, non tamen eodem modo amamus accognoscimus. In hoc ergo complexo, etsi suppositio supponat significationem illius termini canis, tamen restrictio, quæ fit ex vi adiectiui ut supponat pro Solis albis, non tollit, quod maneat omnimoda indeterminatio quoad significandum tres canes, quorum aliquibus existentibus albis, semper manet intellectus anceps, & dubius quinam scilicet sint illi canes albi currentes.

#### Secunda Conclusio.

8. Cum termino æquiuoco adiungitur adiectiuum significans aliquam proprietatem unius determinati significati; tunc fit uniuocus, ut si dicam, canis latrabilis currit. Aut canis celestis lucet, aut canis marinus latrat: hæc sent. est communis, tenet eam Magister Soto, hic capit. 4. ad 2. Magister Bañez, Huert. loco citato conclus. 2. Magister Martinez de Prado in Dialectic. lib. 1. cap. 4. num. 1. & 5. Ortiz loco iam notato conclus. 1. solum

Displicet Huert. quatenus ait, quod cum dico, canis latrabilis est terminus vniuocus, si sumatur incomplexè, & in vi vnius conceptus; nõ autem si sumatur complexè.

9 Prob. breuiter, quia meo videri est certissimum: tum quia hoc complexum canis latrabilis, taliter mouet audientem ad formandum conceptum, vt non maneat suspensus; sed formet conceptum determinatum de cane terrestri non minus quam si demonstraretur ad se ipsum, dicendo, hic canis: sed in hoc secundo casu esset terminus vniuocus: ergo & in primo. Tum etiam, quia potest fieri demonstratio assumendo pro medio canem latrabilem, dicendo, omnis canis latrabilis est animal terrestre; sed hic est canis latrabilis: ergo animal terrestre; at si remaneret terminus æquiuocus, non posset esse mediũ demonstrationis: ergo est terminus vniuocus.

Tum, quia secundum Magistrum Sotum, cum dico, homo est pictus, subiectum alienatur a propria significatione, & tunc supponit pro homine picto, & illum significat etiam si ex sua impositione minus propriè significet hominem pictum: ergo a fortiori cum canis, verbi gratia, ex equo significet canem latrabilem, cælestem, & marinum, addito prædicato significante, canem esse latrabilem, vel saltem addito eo adiectiuo determinabitur intellectus ad concipien-

dum canem tantum terrestrem, seu quadrupedem. Tandem ex eodem terminus *canis* est æquiuocus, quia illi correspondet triplex conceptus (sive sit complexus, sive incomplexus) quorum vnus est canis, vt cælestis, alius canis, vt terrestris, alius canis, vt marinus; & quilibet ex illis conceptibus est vniuocus significabilis per terminum vocalem vniuocum, at conceptus quæ habet intellectus de cane vt latrabili, non est significabilis alijs vocibus, quam his *canis latrabilis*: ergo.

10 Nec valet dicere, quod in eo casu terminus ille *canis* est æquiuocus quoad essentiam, licet quantum ad modum exercitij sit vniuocus, sicut cum habitus habet modum, & exercitium dispositionis, & dispositio modum, & exercitium habitus.

Nam terminus non habet essentiam termini, nisi ratione significationis, quæ habet rationem generis, & rationem secundæ intentionis partis, quæ habet rationem differentie: at in hoc complexo canis latrabilis, significatio est vna, quia significat vnum conceptum mentis, sive complexum, sive incomplexum: secunda vero intentionis partis, etiam est vna, quia ordinatur ad componendam vnam simplicem propositionem, & non plures, vt ostensum est: ergo habet necum exercitium, sed etiam essentiam termini vniuoci; vn-

de sicut, cum termino communi additur pronomen demonstratiuum amittit significationem communem, & rationem termini communis, & significat singulariter, & est terminus singularis, & sicut cū dico, *hæc vox homo*, ly *homo* amittit significationem, & rationem termini, & supponit materialiter pro se: sic in nostro casu, ly *homo* mutat significationem, & rationem termini, & de æquiuoco fit uniuocus; nequamquoad exercitium; sed etiam quoad essentiam.

*Saluantur argumenta.*

11. Arg. 1. quia ly *canis* per hoc, quod fiat pars illius complexi, et si impediatur a suo exercitio æquiuocationis, tamen non deponitur à sua significatione æquiuoca, cum non habeat nouam impositionem: ac essentia termini non constituitur per exercitium significationis, sed per aptitudinem: ergo adhuc sub illo adiectiuo retinet essentiam termini æquiuoci.

¶ Resp. Negaado, quod tunc ly *canis* retineat suam significationem æquiuocam, & mutatur enim eius significatio tam actu, quam aptitudinæ; quia ubicumque reperitur tale complexum, siue scriptum in libro clauso, siue alio modo, semper significat vnā rem, seu naturam mediante vnico conceptu, & solum ad hoc habet aptitudinem; sicut hic homo mutat significationem, vt dixi; vnde per adiunctio-

nem illius adiectiuo, virtualiter deponitur à sua significatione æquiuoca, quia hæc fuit intentio impositoris, vt ea vox æquiualeret tribus terminis uniuocis, si adderentur adiectiua, quæ exprimerent proprias rationes cuiuslibet significati ex illis tribus.

12. Sed contra est, quod iste terminus *canis albus*, eo non est terminus uniuocus, sed æquiuocus, quia licet ex parte adiectiuo significet vnū, nempe formam albedinis; tamen quia *canis* adiectiuè significat, ponit iuxta materiale, non tamen significat illud, & ideo substantiuum retinet suam significationem uniuocam, vt dixi num. 2. ergo et si in hoc complexo *canis* latrabilis ex parte prædicati significetur ratio, quæ est vna, quia tamen adiectiuè significatur; non tollet quæ minus substantiuus, in se retineat suas significationes.

¶ Resp. quod cum illud adiectiuum non sit commune, sed proprium; de ratione autem formæ propriæ sit, quod subiectum sit de essentia talis formæ, & de eius diffinitione, vt dicitur 1. poster. sit cōsequens, quod hoc ipso, quod adiectiuum latrabilis significet eam formam, seu passionem in eius conceptu intret determinatum subiectum, nempe *canis terrestris*; ac perinde, quod totus ille conceptus complexus sit uniuocus.

(c)

*Dub. 4. An detur terminus mentalis equiuocus, seu equiuocatio in mente vltimata?*

**A**D nos non attinet in presenti discutere, an intellectus noster possit plura, vt plura intelligere, bene, quia hoc spectat ad librū 3. de anim. vbi, & a nostris, & ab extraneis animosè pugnatur, nobis dicentibus, non posse intellectum aliquē dari, qui siue vnica, siue pluribus cognitionibus, siue vnica specie, siue pluribus, siue vnico conceptu, siue pluribus, intelligat plura, vt plura sunt, de quo D. Thom. quodlib. 7. art. 2. & q. 8. de verit. art. 14.

Sed nos intra dialecticos cancellos, & limites, quæ ad nos tantum attinent in examine vocamus, an scilicet dari possit in mente aliquis conceptus (qui dicitur terminus) mentalis, qui possit plura, vt plura, representare, sicut datur vnica vox, quæ plura, vt plura diuersis ex æquo representationibus, & impositionibus significat.

*Vnica Conclusio.*

2 Resp. negatiue, cum communi assensu Thomistarum, viderique potest M. Soto hic cap. 4. not. 4. M. Bañ. lib. 1. cap. 1. *S. denique ex dictis*, R. M. Ioan. à S. Thom. lib. 1. dialect. cap. 3. & in Log. q. 13. ar. 2. difficul. 2. M. Ioan. Mart. lib. 1. dialect. cap. 4. numer. 2. & ego quondam in parua dialect. lib. 1. cap. 2. num. 2. Etique sent. D. Thom. in corp. & ad 2. vbi pro certo statuit, quod quæ vna specie, vel vno conceptu representantur

tur per modum vnus, & non per modum plurium debent representari. Et 1. Contrag. cap. 55. & quodlib. 7. artic. 2. pro certo statuit, quod quæ vnica specie representantur hoc ipso, non per modum plurium, sed potius per modum vnus representantur; quæ doctrina expressius verificatur in conceptu mentis, quia expressius representat obiecta: ergo si quæ representantur vnica specie impressa nequeunt non representari per modum vnus, quia secundum D. Thom. nequeunt non representari vnica representatione, sequitur non posse secundum eius mentem dari conceptum equiuocum, siquidem ad equiuocationem requiruntur esse plures representationes, seu significationes, in eodē conceptu. Vide etiam D. Thom. q. 8. de verit. art. 14. ad 2. arg. sed contra.

3 Probatione, quam reddit M. Soto, conceptus nihil aliud est, quàm expressa imago, & naturalis similitudo obiecti: at vna imago, quæ naturaliter representat bobem v. gr. non potest naturaliter representare Aquilam v. g. ergo neque conceptus potest representare plura obiecta, vt plura sunt. Min. est euidens, quia et si vna imago picta in linteo, quia hoc est diuisibile possit in vna parte exprimere Leonem, in alia bobem, tamen formaliter per ea lineamenta, & colores, quæ exprimit vnum, non exprimit alterum, nec per eandem expressionem: at conceptus noster est indiuisibilis, quædam expressio similitudi-

nis intellectualis adæquate obiecti: ergo nisi multiplicentur conceptus non potest multiplicari representatio plurium, at ad æquiuocationem conceptus, seu termini mentalis, requirebatur, quod sicut in vna voce æquiuoca sunt plures representationes plurium, vt plura, ita in eodem conceptu, essent etiã plures representationes, & imagines plurium vt plura: ergo repugnat terminus mentalis æquiuocus.

4 Conf. ratione D. Tho. quod lib. 7. art. 2. conceptus est id quo in intellectus fit obiectum intelligibile intentionaliter in actu: ergo sicut implicat, quod vnum obiectum secundum suam quidditatem sit plura vt plura, ita implicat, quod idẽ conceptus sit plura obiecta intelligibiliter. Prob. conseq. quia ex conceptu, & re concepta fit eadẽ quidditas in esse intelligibili, sed quia diuisio entis in vnum, & plura est prima, & adæquata diuisio in membra essentialiter repugnancia, & opposita sibi in se repugnat idem obiectum in se esse plura, vt plura: ergo etiam repugnabit eundem conceptum fieri plura, & identificari cum illis intelligibiliter, & representatiuè: repugnat ergo conceptus, seu terminus mentalis æquiuocus.

5 Resp. P. Licet infra citandus, quod et si repugnet, quod imago de picta vnius sit plurium aliorum imago, non tamen repugnat, quod idem conceptus sit intelligibilis, imago, & representatio plurium

vt plura; quia in primo casu est euenientia vniuoca in coloribus, & liacamentis sensibilibus: at cõceptus tantum est representatio analogica, & imperfecta obiecti, eo quod obiectum intellectus in se habet esse physicum, & reale; conceptus autem est solum intentionaliter idẽ obiectum.

6 Sed contra est, quod et si sit intentionalis imago in conceptu, tamen non minus repugnat, quod per eam intentionem, qua naturaliter representatur leo, representetur intentionaliter Aquila, vt sunt diuersa, & plura non minus, quam hoc repugnet in imagine, quæ habet conuenientiam vniuocam: ergo si conceptus est ipsa intentio intelligibilis, & imago intentionalis implicabit eodem conceptu representari plura vt plura. Prob. antec. tum, quia non minus adæquatur imago intentionalis cum suo imaginato per prædicata analogicè, & intentionaliter conuenientia, quã imago picta adæquetur vniuocè cum suo imaginato: nam quod adæquatur cum vno, per hoc, quod illi adæquatur in quocumque genere sit adæquatio non potest adæquari eũ altero huic inæquale (sunt autem quidditates, & species rerũ inæquales sicut numeri, vt sæpè docet Arist.) ergo ex quo cõceptus sit imago intentionalis obiecti, nõ sequitur, quod possit plura vt plura representare. Tum, quia representatio intelligibilis, fit per hoc, quod eadem prædicata rei, quæ sunt in

re physice, sicut in conceptu intentione  
naliter, ac perinde convenientia ana-  
logica non est quoad formalia pre-  
dicata, sed quoad modum essendi  
illorum, sicut contingit in perfec-  
tionibus diuinis participatis in li-  
nea supernaturali; vbi eadem sunt  
predicata sapientie, & charitatis,  
cum diuerso tamen modo essendi:  
ergo sicut implicat, quod per chari-  
tem participetur in creatis forma-  
lis ratio sapientie Dei, & quod per  
eam ratione qua in homine est ima-  
go patris, sit imago filii ( nam me-  
moria est imago patris, intellecta fi-  
lij, voluntate Spiritus Sancti ) etiã  
si sit ibi convenientia analogica;  
ita multo magis repugnabit, quod  
conceptus mentis nostrae, qui essen-  
tialiter est expressio similitudinis,  
& imaginis, vnius obiecti, sit imago  
plurium vt plura.

7 Sed dices, verum esse, quod  
conceptus non potest esse imago,  
& representatio plurium per eam  
rationem, qua est imago vnius ob-  
iecti, sicut implicat, quod vox ca-  
nis ex significatione, qua significat  
canem marium representet cele-  
stem: tamen quae implicatio est,  
quod sicut in eadem entitate vocis  
caus sunt plures significationes ra-  
tione, quarum, vt sunt in vna voce  
illa vox sit æquiuoca; ita etiã in ea-  
dem entitate conceptus sint plu-  
res, diuersaeque representationes  
ratione quarum representet plura,  
vt plura, & fiat conceptus æquiuo-  
cus?

8 Sed contra est, quod sicut repug-

nat, quod in eadem entitate materie  
sint plures formae, & quod vna quid  
dicas sit plura, quia est repugnantia  
essentialis in eo quod idem sit multi-  
ta etiam secundum diuersam ratio-  
nem; ita repugnat, quod in eadem  
entitate conceptus sint diuersae ima-  
gines plurium, eo, quod in intellectus  
medio conceptu sit quidditas obie-  
cti, vt conceptus est forma intelligen-  
tis in actu perfecto, vt ait D. Tho.  
quodlib. 7. art. 2. & q. 3. de veritate  
art. 14. ergo non potest eadem enti-  
tas conceptus exprimere plura vt  
plura, nisi sit vnus, & plures simul  
conceptus, cum conceptus sit ipsa ex-  
pressio. Explicatur ex sæpè dictis:  
nam in conceptu entitas est prop-  
ter representationem, quaedam e-  
nim data sunt vt sint alia, vt repræ-  
sentatiua sint, & in hac secunda li-  
nea est conceptus: ergo entitas est  
propter expressionem obiecti: er-  
go qualibet expressione fit concep-  
tus, & entitas: ergo non fiat vna en-  
titas conceptus vitaliter prolata  
ab intellectu, eo quod expressiones  
& representationes obiecti fiat  
plures vt plures. Tum, quia enti-  
tas conceptus producit ab intel-  
lectu, non propter se, sed propter  
expressionem obiecti, cum quo fit  
vnum intellectus in esse intelligibi-  
li: at non fiat vnum fieri propter  
multa vt multa sunt, quia voluntas  
non operatur propter plures fines,  
vt plures sunt, vt ait D. Tho. 1. 2. q.  
1. art. 5. ergo non fiat vnum esse cõ-  
ceptum mentis, & plures expres-  
siones, seu representationes obiecto

rum, vt plura sunt; & hæc ratio de-  
sumpta est ex D. Tho. 1. Contrag.  
cap. 55. n. 2. Denique facilius est in-  
telligere plura, vt plura, per plures  
intellectiones, quam per vnã, sed  
primam repugnat secundũ D. Th.  
1. p. q. 54. art. 2. ergo & 2.

*Soluantur Argumenta.*

9 Oppositum vt magis probabile  
defendit P. Linæus lib. 3. Dialect.  
tract. 2. c. 4. à nu. 37. & lib. 7. meth.  
cap. 3. tract. 4. Et probat, datur in  
mente vnus conceptus representans  
plura vt plura sunt: ergo datur ter-  
minus mentalis æquiuocus. Probat  
ant. lib. 7. meth. cap. 3. eadem res  
habet simul respectum physicũ ad  
plura vt plura, sed hoc est difficilius,  
quam quod idẽ conceptus habeat  
respectum representatiuum, & in-  
tentionalẽ ad plura vt plura: ergo.  
Conseq. videtur bona. Min. vera,  
quia plura possumus intentionali-  
ter concipere, aut imaginari, quam  
physice facere; potest enim intellec-  
tus cogitare vnũ extremum, & in-  
de transire ad alterum sine medio,  
v. g. ab Hispania ad Indos, nihil de  
medijs cognoscendo, & tamen phi-  
sicus transitus, & non per medium  
excedit facultatem nostram, & plu-  
ra id genus contingunt. Mai. vero  
prob. quia idem homo habet respec-  
tum physicum ad sententias suas,  
amores & intellectiones, quæ sunt  
plura, vt plura, ad intetiones, & ele-  
ctiones, quæ etiã sunt plura vt plu-  
ra. Insuper eodem actu apprehen-  
dimus simul materiam, & formam,  
quæ sunt plura: ergo. ¶ Resp. quod

omnia illa respicit homo, vt perfec-  
tiones eiusdem subiecti, & secundũ  
diuersas potentias, quæ radican-  
tur in eodem subiecto, & non per vnũ  
respectum, sed per multos, vt ordi-  
natos ad perfectionem completam  
eiusdem subiecti, & sic concedimus  
intellectum posse intelligere plura  
secundum quod habent ordinem in-  
ter se; non tamen eodem concep-  
tu, nec negamus plura vt plura per  
diuersos respectus, & conceptus luc-  
celsiue intelligi posse; ac perinde  
dico, quod per diuersas potetias res-  
piciantur plura, vt plura physice, ni-  
hil contra nos (esto omnia illa tan-  
dem reducantur in vnitatem ratio-  
ne radicis illarum diuersarum potet-  
tiarum, ratio ne quarum diuersa res-  
piciuntur.) Sed falsum est, quod in-  
tentio, & electio ad plura vt plura  
terminentur, siquidem electio atin-  
git medium ratione finis, & intetio  
finem, vt est ratio volendi media.  
Falsam etiã, quod apprehensio ma-  
teriarum, & formarum constituentium quid-  
ditatem sint plura, vt plura; siquidẽ  
attinguntur quatenus vniuntur ad  
constitutionẽ vnus completam quid-  
ditatis, quod D. Th. explicat locis iã  
citatis: plura ergo falsa assumit hoc  
argumentum, & quæ nos negamus,  
ac perinde, aut probari debuisse, aut  
non vibrari contra nos, quæ eius-  
modi tela sola negatione assumpti  
facile eludimus.

10 Arg. 2. Szpẽ æquiuocatur  
intellectus audita voce æquiuoca,  
aut amphibologica propositione,  
vt videre est in D. Thom. opusc. 39.

cap. 4. Ergo datur æquiuocatio in mente; nihil enim amplius videtur requiri ad æquiuocationem, quam quod mens æquiuocetur; vel quam quod vnum conceptum formet cum pluribus representationibus nesciens, de qua earum verificetur propositio, seu vox audita. ¶ Resp. mentē nō esse æquiuocā formaliter per hoc, quod formet vnum cōceptum representantem plura vt plura; sed quia formando plures cōceptus iuxta numerum significatorum, quæ sūt in voce æquiuoca, nescit de qua loquatur ille à quo audit, aut vocē æquiuocam, vel ancipitem, & amphibologicam propositionem.

II. Arg. 3. Datur æquiuocatio in voce: ergo & in mente. Prob. cōseq. tū, quia quæ in inferioribus sūt dispersa, in superioribus sunt unita: ergo si datur æquiuocatio in voce per hoc, quod in eadē voce sūt plures significationes, aut representationes, dabitur in mente per hoc, quod in eodem conceptu vnica representatione plura vt plura represententur. Tum, quia ex quo datur suppositio impropria in voce satis probabiliter, deducitur etiam dari in mente: ergo similiter. Tum denique, quia voces sunt signa conceptuum: ergo sicut vox vniuoca est signum conceptus vniuoci, ita vox æquiuoca erit signū conceptus æquiuoci. ¶ De hoc argum. non nihil dixi in parua Dialect. lib. 1. c. 2. nu. 3. Sed resp. potius inde sequi oppositum: nā æquiuocatio vocis in eo cōsistit, quod sua significata pluribus

conceptibus representet: non ergo debet voci correspondere vnus conceptus æquiuocus, sed plures vniuoci; vnde hinc non sequitur, quod si conceptus est superior ad vocem, debeat vnica representatione exprimere, quod vox pluribus significationibus representat: quia representare plura vt plura, non est de genere boni, sed potius de genere mali; & ideo non debet reperiri in cōceptibus; poterit autem superior conceptus, quo perfectior est plura sub unitate, & vniuersaliori ratione representare; at plura, vt plura, non potest. Nec est idem de suppositione; tum, quia non est certum, quod datur suppositio impropria in mente; tum quia hoc dato (vt infra dicemus) non est idem, quia suppositio illa seruat unitatem, ad signatū proprium, quod non repugnat conceptui. Nec ideo datur in mente, quia datur in voce, sed quia alias non repugnat conceptui. ¶ Ad 3. prob. quod vox est signum conceptus, seu conceptuum, vnde non æquiparantur quantum ad unitatem, sed quantum ad hoc, quod id quod est in voce concipiatur in mente, siue vnico, siue pluribus conceptibus. Nec obstat, quod significatio vocis mensuratur, & specificatur à conceptu tanquam ab exemplari: ergo si vox est æquiuoca, cōceptus erit æquiuocus: nam æquiuocatio, vt talis, non specificatur à conceptu; sed quælibet significatio vocis à suo conceptu specificatur, vnde illæ plures significationes, quæ per accidenas cōiunguntur

guntur in voce, habeat plures conceptus in mente, citra ullam æquiuocationem.

12 Arg. 4. ex hypothesi, quod datur suppositio impropria in re, ille conceptus quem format intellectus de Leone in hac propositione, *vicit Leo de Tribu Iuda*, significat plura vt plura: ergo datur cōceptus æquiuocus. Prob. ant. repræsentat verum Leonem, & supponit pro Christo repræsentādo illū mēti: ergo plura vt plura. Ant. Prob. quia si non significat Christum, nec repræsentat illum, non cognosceret intellectus Christum aucta illa voce; si autem non repræsentat verum Leonem, ille conceptus non esset improprius: ergo. ¶ Resp. quod hoc argumentum longiorem disputationem exigit, de qua nos infra, quo modo scilicet datur in mente conceptus improprie supponens. Sed tamen dato, quod ille conceptus improprie supponat pro Christo, & quod vtrumque repræsentet, nihil sequitur contra nos, quia non repræsentat illa duo vt plura; sed cū ordine quodam, scilicet Christū, quatenus habet similitudinem cum vero Leone, quod non arguit æquiuocationem in conceptu.

13 Arg. 5. data opinione, quod propositio mentalis, siue sit affirmatiua, siue sit iudicatiua est simplex qualitas, tunc vno, & eodem conceptu mentis repræsentatur, quod homo non est lapis: ergo plura vt plura. Prob. conseq. nam in primis repræsentatur quidditas homi-

nis, & quidditas lapidis; & quod vna non est alia, at prout vna ex his quidditatibus non est alia sunt plures quidditates vt plures, nec maior pluralitas concipi potest, quā prout vna non est alia: ergo. ¶ Sed tamē Resp. D. Tho. 1. Contragent. cap. 55. nu. 1. & 1. p. q. 98. art. 2 & quod lib. 7 art. 2. & q. 8. de verit. art. 14. in fine, quod tunc cognoscit intellectus plura vt vnum, non vt plura; nā eo ipso, quod apponit copulam negatiuam, concipit intellectus, quod ea quæ non sunt vnum in ordine ad se, sunt vnum in differre, seu in ordine ad copulam negatiuā, & sic cōiungit ea in differendo virtualiter dicēdo, quod sicut homo non est lapis, ita & lapis non est homo. Ad æquiuocationem autem, amplius exigitur, nempe, quod nec repræsententur vt conueniant in copula negatiua, sed debent esse plura, cum æquiuocatione a casu, absque vlla attributione, aut mutua cōparatione.

14 Arg. 6. supponendo id quod D. Thom. locis iam citatis in principio supponit, quod quæ repræsentantur in vna specie, possunt cognosci vnico conceptu; & quod species Angelorū quo illi superiores sunt, eo sunt vniuersaliores in repræsentando. Tunc sic, conceptus Angeli non minus est naturalis repræsentatio, & similitudo obiecti, quam cōceptus humanus, & tamē conceptus Angeli superioris repræsentat plura vt plura: ergo. Prob. in. Repræsentat plures naturas secundum vltimas earum differentias,

tias, sed ille vt sic sunt plures formaliter, ita quod si simul repræsentarentur per plures actus in intellectu humano esset cognoscere plura vt plura: ergo. ¶ Resp. illū conceptum Angelicum nō esse vniuocū, nec repræsentare plura vt plura, quia eas naturas repræsentat secundum vltimas differentias, non vt cumque, sed vt sunt partes vniuersi, vel maioris partis vniuersi; Deus enim condidit inuisibiliter in mentibus Angelorum medijs speciebus quæcumque ad extra produxit visibiliter, vt docuit August. & quo superior est Angelus eo vniuersa. Illos sunt species, quia repræsentant maiore partē vniuersi prout continet plures species, & sic illæ ibi cognoscuntur sicut partes in toto, vel sicut minores partes in maiori; & sic quamuis cognoscantur secundum vltimas differentias, nō tamen vt plura, quod eleganter explicat D. Thom. quodlib. 7. art. 2. Nec esset idem in nobis si illa similia cognoscerentur etiam diuersis cognitionibus, quia non cognoscerentur, vt erant partes in toto, vel in maiori parte; sed vt sunt adinuicem, & sic vt plura. Quæ solutio meo videri obruncat plures replicas, quæ hic solent coaceruari, & facilius elidit vim argumenti facti.

15. Arg. 7. ad probādā, quod possit dari in mente conceptus æquiuocus, saltim vtendo pluribus speciebus impressis; quia certum est posse illis vt intellectum cum

ordine, v. gr. specie hominis, & equi, & intendimus, quod possit etiam sine ordine, ac perinde, quod possit plura vt plura. Nam in eo casu non est cur idemmet conceptus non sit similitudo plurium vt plura: ergo. Prob. Tunc esset similitudo plurium in ordine ad plura, & secundum ordinem ad diuersas species: ergo posset plura vt plura repræsentare. ¶ Resp. nō posse tunc vtī cōceptum pluribus speciebus vt plures sunt, & sine ordine; tum, quia vt ait D. Thom. 1. Contrag. cap. 55. n. 2. quod non potest intendere voluntas, nec potest facere intellectus: at in vfu specierum pendet intellectus a voluntate, & hæc nequit plura vt plura intendere: ergo neque intellectus vtī pluribus speciebus vt plures; tum, quia vnus cōceptus est vnica expressio, & vnica assimilatio: non ergo potest exprimere, quod est in duplici specie vt plures est; Tum, quia sicut idem nequit esse plura; ita neque fieri plura intelligibiliter per conceptum. Tum, quia si non potest intellectus simul vtī pluribus speciebus, vt plures sunt etiam per diuersos actus, vt constanter docet D. Thom. multo minus hoc poterit per vnicū conceptum, etiam in ordine ad diuersa; imo quia sic diuersa non est idem conceptus.

16. Arg. 8. Conceptus non vltimatus huius terminus vocalis est æquiuoci: ergo. Prob. ant. Ille conceptus repræsentat eam vocem, & est similitudo eius, & idem

intelligibiliter cum illa ut significatiua est illa vox; sed significat æquiuocè: ergo conceptus ille est æquiuocus representatiuè.

Resp. negando antec. ad prob. dico, quod representat vocem ut significatiua est æquiuocè, non utcumque, sed quatenus illæ significationes adunantur in voce, & sic attingit æquiuocationem signate, & nō exercitè, vnde conceptus ille nō est æquiuocus.

17 Arg. vniuoca, & æquiuoca sunt contraria; sed datur terminus mentalis vniuocus: ergo & æquiuocus. Prob. conseq. quia contraria nata sunt esse circa idem.

Resp. nata esse contraria circa idem ad exercendam contrarietatem, concedo; alias, nego: potest enim subiectum esse capax vnius contrarij, & non alterius; Deus enim habet veritatem, & bonitatem, & tamen est incapax malitiæ, & falsitatis. Nec illa sunt contraria in mente: quia terminus mentalis non habet secundā intensionē termini vniuoci, vt dixi agēs de termino mentali, ratione cuius possent esse contraria. Præterea, terminus æquiuocus non est vere terminus, sed relinquitur ab arte, vt iam dixi; terminus vero vniuocus est artificiosus: non ergo sunt in eodem genere terminus vniuocus, & æquiuocus: ergo neq; contraria.

18 Tandem solet obijci, voluntatem posse intendere plura vt plura: ergo & intellectum plura vt plura eadē cognitione intelligere; non

minus namque repugnare videtur vnum motum habere plures terminos, quam vnum conceptum plura obiecta. Ant. prob. ex doctrina D. Th. 1. 2. q. 12. art. 3. vbi docet, quod voluntas intendere potest nedum, quæ sunt ordinata ad inuicem; sed etiam ea, quæ non sunt ad inuicem subordinata: ergo. ¶ Resp. negato antec. ad prob. dico, D. Tho. satis se explicuisse ibidem ad 2. vbi docet, voluntatem solum posse vnicā intensionē appetere ea, quæ in re nō habent ordinem inter se; non vero ea quæ nō sūt ordinata, & nō habēt vnitatem per rationem, saltem in ordine ad tertium: sed quia voluntatis non est ordinare; sed hoc prouenit ab intellectu, qui per modū conditionis se habet ad voluntatē quæ trahitur ab obiecto: ideo dixit, quod voluntas fertur ad plura, quia fertur ad res prout sunt in se; sed quia apprehensio est conditio sine qua non, & hæc ordinat, sicut est verum, quod voluntas trahitur ab obiecto, vt est in se, sed non nisi prius apprehendatur: sic est verum, quod fertur ad ea, quæ sunt plura in re; sed non nisi vt habent aliquam vnitatem à ratione ordinatè (ea quæ ab inuicem non sunt ordinata) vt sint ordinata ad aliquod tertium. Et hanc esse mentem legitimā D. Th. contabit oculatius intuenti litteræ eius; & vt eius mens quoad rem nostram luculentius appareat. Vide: dicitur est Dr. S. 1. Contragent.

capite 55. numero 2.

*Dub. 5. Verum regule analogorum sine rectè a signatæ?*

**P**ostquam M. Soto in præsen-  
ti docuit duas regulas, quas ip-  
se præfixit pro analogis, fundari in  
communi modo loquendi, & quod  
pro aliquibus instantijs, quæ in præ-  
senti afferri solent contra eas, con-  
sulendæ sunt aures, & sic, vel ad-  
mittendas esse, vel refutandas:  
meo videri parum, aut nihil relin-  
quitur, de quo merito possit insti-  
tuti disputatio, ad defendendas re-  
gulas tanti Magistri, ac perinde ad  
alia progredi, quæ in discrimen exa-  
minis reuocari solent, & liber, &  
debet.

( ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ )

## DISPUTATIO II.

*De termino cathegorematico, & sin-  
cathegorematico.*

*Dubium Primum. An diffinitio ter-  
mini sincathegorematici sit rectè  
tradita?*

**C**onuenit apud omnes, quos  
legerim, diffinitionem ter-  
mini cathegorematici rectè tradi;  
ac perinde tantum sincathegorematici  
diffinitionem omnia argumeta qua-  
tiant, & expugnant Sed quia in dia-  
lectica parua satis egimus de his  
diffinitionibus, sufficiet mo-  
do argumentis satis  
facere.

*Soluantur argumenta.*

2 Arg. Si aliquod esset sincathe-  
gorema, maximè *ly omnis*, cui de-  
beret conuenire diffinitio; sed isti  
non conuenit: ergo mala est diffi-  
nitio termini sincathegorematici.  
Prob. *ly omnis* non significat aliqua-  
liter; sed significat aliquid: ergo.  
Prob. antec. mouet intellectum vt  
formet conceptum, at conceptus  
aliquid aliud a se repræsetat: ergo  
significat aliquid.

¶ Resp. M. Soto, quod *ly om-  
nis*, non mouet ad formandum cõ-  
ceptum repræsentatiuum, seu cog-  
noscitiuum alicuius, quod sine ipso  
non cognosceretur; sed vt nouo  
modo cognoscatur, id est vt vniuer-  
saliter cognoscatur; vnde Arist. 1.  
perhierm. cap. de enuntiat. docet,  
quod *ly omnis*, non significat aliquid  
vniuersale, sed significat vniuersali-  
ter. Vide ibi D. Thom. lect. 10. ex  
quo sane constat, quod hoc sincathe-  
gorema *omnis*, non significat ali-  
quid, sed aliquid; ac perinde  
quod apta est sincathegorematis  
diffinitio tradita.

3 Sed contra est, quod etsi non  
ponatur illa particula *omnis*, cum  
dico homo, intellectus ex se ipso cõ-  
cipit rē in vniuersali, cum eius obie-  
ctum sit vniuersale: non ergo est pro-  
priū huius sincathegorematis, quod  
nouum modum concipiendi signi-  
ficet: at addito illo sincathegorema-  
te, aliquid cõcipit intellectus, quod  
ante non concipiebat: ergo signifi-  
cat aliquid, & nõ tantum aliquid.

○

Præ-

Præterea, audita hac voce *omnis*, autem, aliquem conceptum format intellectus: at tunc non modificat aliquod sine thegorema: ergo se solo significat: ergo significat aliquid. Prob. conseq. ideo enim cathegorema aliquid significat per se, quia habet se solo conceptum in mente, qui eo ipso significat, & repræsentat aliquid: nam etsi in re sit modus, ille tamen significatur per modum rei. Explicatur, nam de essentia modi est, quod consistat in exercitio modificandi, ita quod nec de potentia absoluta possit esse sine re modificata cum sui essentia sit exercitium modificationis: ergo quod solum concipitur, & significat per modum modi exercit., & aliquo modo, se solo nequit concipi: sed temper significare debet ut exercens modificationem in rem cuius est modus cum actu dependentia ab ea: ergo si sine thegorema actu repræsentat in conceptu sine re modificata, actu significat ut quid, & non aliquo modo. Prob. conseq. Nam modus in significando concipitur proportionaliter ad modum physicum: at quod potest esse physice abique re modificata non est modus, sed res: ergo quod potest concipi, & significari se solo, sine re modificata significat, & concipitur per modum rei: ergo si *omnis*, se solo potest concipi, & significari, non significat aliquo modo, sed aliquid: ergo sine thegoremata, vel non iuat, vel male definiuntur.

4. Resp. quod cum concipitur homo absolute, vniuersaliter quidem concipitur quasi negative, quia solum concipitur natura secundum se: at addita particula illa, distributive concipitur, copulando omnia singularia nedum in ordine ad inferiora, in quibus est natura in vniuersali conceptu: sed in ordine ad prædicata, quæ possunt attribui singulis indiuiduis intra aliquam propositionem, & hunc modum addit illa nota vniuersalis sine thegorematica.

¶ Ad 1. conf. quod cum illa vox se sola auditur, licet non exerceat officium sine thegorematis, quia hoc solum exercet actu intra propositionem, tamen significat aptitudinem huius modificationis exercendi, & hoc sufficit ut verificetur definitio, quod significat aliquo modo, quia, ut multoties dixi, verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem: tunc ergo non significat aliquid.

¶ Nec vltima replica vrget, quia intellectus cum sit præcisus, non tantum requirit sicut esse physicum, & ideo licet nequeat dari modus in essendo, qui se solo existat, aut subsistat sine officio actualis modificationis, tamen potest dari modus in significando, sine actuali modificatione significatiua, solum per aptitudinalem.

5. Si instes, hinc sequi, quod cum sine thegorema se solo prolatum auditur, habeat proprium conceptum in mente; sed iste con-

cep-

ceptus significat suum obiectum: ergo significat aliquid.

¶ Resp. negata consequentia, quia suum obiectum est aptitudo ad actum modificandum vniuersaliter categorema cui potest adiungi. Vnde perperam aliqui negant, non correspondere proprium conceptum, quia hoc est contra manifestam experientiam, ait M. Soto, nam audita hoc voce *omnis*, nedum formamus conceptum non vltimum de voce, sed non nihil obiectiue concipimus cum sciamus significare notam vniuersalitatis.

6 Inquires, an obiectum, quod representat illud sine categorema, sit aliquid reale, vel rationis? Resp. cum Huert. hic cap. 5. quæst. 9. art. 2. significare aliquid rationis reducitur, quatenus significat modum distributionis, qui a parte rei non est formaliter, sed solum fundamentaliter. Nec inde sequi, quod sit terminus secundæ intentionis, quia hoc non significat vt quid, & per modum rei, sed aliquammodo, & sub exercitio modi, quod certum debet esse, quia in terminum primæ, & secundæ intentionis solum diuiditur terminus categorematicus.

7 Arg. 2. Nam audita hac voce *doctus*, formo conceptum rei vt quid: sed idem significat magis doctus: ergo tunc illi conceptui, qui correspondet illis vocibus magis doctus, debet correspondere significatum vt quid, & non aliquammodo. Idem argumentum fit respec-

tu idiomatum, qui habent articulos, & eorum, qui illis carent: nam Hispanus qui dicit *el hombre* idem concipit ac barbari qui nominant hominem sine articulo illo, cum modus concipiendi idem sit apud omnes, vt ait D. Thom. 1. perhierm. lect. 1. Sed Barbari formant conceptum vt quid: ergo etiam Hispanus, etiam addito illo sine categoremate *el*: ergo terminus sine categorematicus significat aliquid, nec conuenit ei diffinitio tradita.

¶ Conf 2. *Ly* est tertium adiacens, est terminus categorematicus, & tamen, neque predicatiuus est per se, neque significatiuus per se; sed dependenter ab extremis, quæ copulat: ergo ratio termini categorematici, & eius diffinitio conuenit alijs a diffinito, & mala est. Tandem *velociter* est terminus sine categorematicus, & tamen per se potest reddere suppositum verbo, vt patet in hac propositione: *Velociter est modus rei*, quod fieri nequit, nisi per se significet aliquid: ergo.

8 Resp. quod tunc eadem res concipitur, sed diuerso modo; & hoc præliat *ly magis*, qui in casu exercetur cum dico *doctior*; quod patet in diuerso modo concipiendi per *ly velocitas*, & *ly vetus*, vbi quia idem diuerso modo concipitur, modo categorematico, modo sine categorematico concipitur.

¶ Idemque dico ad primam

confirmacionem: nam etsi significata eadem concipiuntur diuersis idiomatibus, & sic verificetur eosdem esse conceptus apud omnes; non tamen est idem modus concipiendi, quod egregie notat, & explicat M. Bañ. lib. 1. dialect. cap. 2. *¶ circa secundum fundamentum.*

¶ Ad 2. Conf. Resp. quod ly est in eo casu, significat totalem formam propositionis; ac perinde excellentiori modo gaudet ratione predicati, & si dependet ab extremis est in genere causæ materialis, non formalis. Recole dicta supra tract. 3. disp. 1. dub. 7.

¶ Ad ultimam conf. resp. illā non esse propositionem, quia caret subiecto, nam hoc ipso, quod significet per modum modi, non est capax vt de illo aliquid affirmetur; debebat enim dici velocitas est modus rei, vide Huert. loco iam designato ad 3.

9. Tandem arg. casus obliquus conuenit definitio termini syncategorematici, & tamen non est syncategorema: ergo definitio syncategorematum bona non est. Coas. est bona, min. certa, quia rectum, & obliquum, licet varient in ratione nominis, non tamen variant in ratione termini. Mai. autem prob. quia casus obliquus non potest esse per se subiectum, & predicatum in propositione; sed solum ex adiunctione ad rectum: ergo non significat per se aliquid, sed solum aliquantulum: patet conseq.

nam quod per se significat, per se potest componere propositionem, quæ est signum quoddam totale.

¶ Resp. cū M. Soto, & Huert. contra M. Mercad. quod obliquus est terminus categorematicus; nec conuenit illi definitio syncategorematici, quia licet non componat propositionem ratione sui, componit tamen ratione sui recti, & significat rem, & non modum exercitam: & nec videri debet explicari sic. Accidens completum est res, & non modus, & tamen non existit ratione sui, sed ex inhaerentia ad substantiam (quod non habet essentialiter, sed connaturaliter) at modus essentialiter habet non posse subsistere separatim etiam de potentia absoluta, quod suo loco dixi in logica; sic dicendū, quod obliquus componit ratione recti, sed non essentialiter; sed connaturaliter. Sed melius dices cum D. Thom. 1. perhierm. lect. 4. de ratione termini categorematici, nō esse componere per se propositionem de verbo actiuo; sed satis superque esse eam componere, etsi sit de verbo neutro, quod facit obliquus, vt patet in hac propositione, *pænitent me*: quod nullo modo præstat syncategorema; & ideo casus obliquus non competit definitio syncategorematis. Per quod vitantur plures replicæ quæ contra primam solutionem fieri possunt, nempe, quod sufficeret ad hoc, quod obliquus sit

ly.

syncategorema, quod componere ratione recti, etiam sufficeret ad hoc, quod diceretur rectus, & diceretur nomen, siquidem ratione recti est rectus, & est nomen.

Præterquam quod sicut syncategorema, & categoricema habent diversos coconceptus; ita etiam rectus, & obliquus, ut ait D. Tho. quodlib. 4 art. 17. sed per se ut obliquus sit terminus categoricematicus, sufficit, quod ratione recti componat propositionem, & ex adiunctione ad illam: ergo ut syncategorema sit categoricema, etiam sufficit, quod ratione categoricematicis componat.

10 Nec placet alia solutio dicentium, sufficere ad hoc, quod obliquus sit terminus categoricematicus, quod sit subiectum distributionis, ut contingit in hac propositione, *cuiuslibet hominis equus currit*: nec requiri esse subiectum enuntiationis: nam ultima differentia termini non est ordo subiecti distributionis, sed ordo partis enuntiationis, seu compositiæ; ut supra est ostensum cum ageremus de ultima differentia termini; sed obliquus ratione sui in hac hypothese, nequit esse pars per se componens, seu per se significans intra propositionem: sed ad hoc requiritur, quod adiungatur a recto: ergo etiam possit esse subiectum distributionis, hoc non oberit, quin non sit categoricematicus.

Præterquam quod etiam syncategorema omnis resoluitur, & di-

tribuitur, per hic & hic dicendo, *omnis homo currit*: ergo hic, & hic homo currit. Cur ergo non erit etiam subiectum distributionis?

11 Tandem arg. non minus significat modum rei ipsa velocitas quam adverbium velociter; & tamen velocitas significat modum ut quid, & non aliquo modo: ergo idem est dicendum de *ly velociter*, & tamen est syncategorema: ergo distributio tradita non convenit syncategoricematicis.

Resp. quod velocitas significat modum signatè, & per modum rei, & ut aliquid: at velociter significat illum modum exercitè; unde si cū motu attingas presentiam rei signate est abstractiva, & non intuitiva, quia hæc repræsentat eam presentiam non obiecti signate, sed exercitè, sic *ly velocitas* est categoricema, quia repræsentat signatè, quod velociter ut syncategorema repræsentat exercitè.

*Dubium secundum. An divisio terminum, in categoricematicum, & syncategoricematicum sit bona, & qualis sit*

*Prima conclusio.*

1 Hæc divisio est bona, & adæquata. Prob. quia supposito, quod divisum non est terminus æquivocus, vel terminus prout ab-

strahit, sed præcisè terminus uniuocus, dari non potest terminus, qui sit uniuocus, & non sit, aut categorematicus, aut syncategorematicus: ita vt bene arguatur a termino uniuoco, cum negatione unius ex his extremis, ad positionem alterius, quæ est una ex conditionibus, bonæ, & adæquatæ diuisionis, aliàs seruantur omnes aliæ regulæ bonæ diuisionis: ergo.

*Soluntur argumenta.*

2. Sed contra instant aliqui, quod hæc diuio non datur per extrema formaliter opposita in ratione signi, aut in ratione termini: ergo non est bona, & adæquata. Prob. mis. ex parte rei significatæ, idem significatur per *ly* *velocitas*, & per *ly* *velociter*: ergo in ratione signi non est illa oppositio formalis; quod nec in ratione termini sit variatio, aut oppositio formalis, constabit ex his, quæ obijciemus contra 2. conclusio- nem: ergo.

Resp. tamen, quod sicut motus rectus, & obliquus, licet sint ad eundem terminum materialiter, tamē habent formaliter diuersum terminum, oppositū aliquo modo propter diuersum modum tendendi in illum: sic *ly* *velocitas*, & *velociter*, licet significant idem materiale obiectum, formaliter tamen variantur in ratione signi, & habent formalem oppositionem aliqualem, quia modus significandi diuersus est, vt explicui dub.

ant.

*Secunda Conclusio.*

3. Hæc diuio termini est essentialis. Sic communiter Thomistæ M. Ioann. a S. Thom. hic q. 1. de termin. Huerr. q. 9. art. 1. Ortiz tract. 4. confer. 3. num. 94. Ratio est clara, quia extrema, quæ diuidunt terminum sub ratione partis compositiue propositionis, diuidunt terminum sub ratione vltima, & essentialissima; at sic fit nostra diuio: ergo est essentialis. Min. patet, quia categorema sicut significat aliquid per se, ita etiam componit vt pars per se propositionem: at sine categorema sicut non significant aliquid per se, sed solum aliquo modo, ita neque componunt per se propositionem, sed solum modificando: ergo diuio termini in categorematicum, & sine categorematicum est sub formalissima ratione partis compositiue propositionis.

*Soluntur argumenta.*

4. Sed contra arg. Quod hæc diuio vt patet ex definitionibus, datur penes significare aliquid, vel aliquo modo: ergo non traditur penes componere per modum partis per se, aut per modum modi: ergo non traditur per essentialissimam rationem ordinis compositiui propositionis, sed per rationem signi, quæ generica est, & alterius rationis ad secundam intentionem termini.

Resp. tamen, quod etsi definitiones solum exprimunt diuersum mo-

dum

dum significandi; at intentio inhibita est explicare rationem signi partialis per se, aut signi partialis per modum modi, in quo intrat ratio partis per se, aut partis modificatiuæ, quod est exprimere rationē essentialissimam termini sub ratione partis. Ratio est, quia nomen cathegorematici, aut sine cathegorematici significat, & imponitur ab eo quod est per se esse partem propositionis, vel modificatiuæ, & ideo definitiones iuxta impositionem intelligendæ sunt, quia id a quo nomen imponitur habet quasi rationem differentialem in nomine; ut ait D. Thom. in 1. distinct. 4. quæst. 1. art. 1. ac perinde ibi significare aliquid, vel aliquo modo significare, aut consignificare, sumitur in ordine ad propositionem componendam.

5 Sed contra est, quod diuersus modus significandi, non variat terminum sub ratione termini, & in ordine ad componendam propositionem, sed cathegorema, & sine cathegorema solum discrepant penes modum significandi, aut consignificandi: ergo. Prob. mai. Adiectiuum, & substantiuum solum differunt penes significare, & consignificare, & idem est de recto, & obliquo, & tamen hoc non variat terminum in ratione termini essentialiter: ergo. Mai. prob. Nam sicut si albus consignificat modum substantiuum, & obliquum modum recti, ita sine cathegorema. Min. prob. Diximus enim supra etiam obliquum

esse cathegorema, & D. Thom. 1. part. quæst. 3. artic. 3. docet, quod adiectiuum est cathegorema, & per se componit; & certum est per rectum, & obliquum, per substantiuum, & adiectiuum non variari essentialiter terminum: ergo neque per esse cathegorema, aut sine cathegorema.

Conf. illud significare, aut consignificare repertum in adiectiuo, & substantiuo, in recto, & obliquo, non sufficit ad hoc, quod formaliter, aut virtualiter variantur essentialiter isti termini, in ratione partis compositiuæ: ergo neque sufficit ut cathegorema, & sine cathegorema variantur in ratione partis compositiuæ propositionis.

6 Resp. in primis statuendo contra P. Hurt. hic disput. 1. sect. 10. & contra R.R. Echall. disput. 1. summ. cap. 4. num. 25. quod terminus adiectiuus est cathegorema, quia sic docet D. Thom. loco iam citato, & quia potest per se esse prædicatum in propositione, ut patet in hac propositione, *Petrus est albus*; unde et si quandoque consignificet ut cum dico, *homo albus currit*, hoc est quasi per accidens. Idem dico de obliquo, potest enim per se componere propositionem de verbo neutro, ut cum dico, *pœnitet me*. Ad rem ergo dico, quod illi termini adiectiuum, & substantiuum, rectus, & obliquus, solum differunt in modo significandi grammaticaliter, & ideo non differunt formaliter in ratione partis compositiuæ; neque in ratione

tionem termini: at cathegorema, & sine cathegorema differunt logicè in ratione significandi, & consignificandi, ac perinde ibi inuenitur diuersa ratio partis compositiue propositionis, & diuersa ratio essentialis ratione termini.

7. Si adhuc iustes, quod diuersitas significationis in cathegoremate, & sine cathegoremate solum facit diuersitatem, penes hoc, quod est significare, ut quid, & aliquo modo: sed hoc idem præstat substantiuum, & adiectiuum, vnum enim significat ut quid per se stans, aliud ut adiacens, idemque contingit in recto, & obliquo; rectus enim significat ut quid, obliquus ut cuius. Sed quid per se stans, & modus adiacens, quid & cuius non fundant variationem essentialem in ratione termini: ergo nec quid, & aliquo modo in cathegoremate, & sine cathegoremate debent inferre logicam variationem essentialem in ratione termini. Et inquiri, cur illa prima variatio in significando est solum grammaticalis, & non logica in primis exemplis (cum variet dictiones in ratione termini connotatiui, & absoluti, in ratione etiam nominis recti, & obliqui, licet ea variatio sit logica accidentalis), & non erit in nostro casu variatio solum grammaticalis, aut si est logica variatio, cur non est tantum accidentalis, ea qua inuenitur inter cathegorema, & sine cathegorema?

8. Resp. tamen illum diuersum modum significandi in substanti-

uo, & adiectiuo, in recto & obliquo dici grammaticalera, non quia non pertineat fundamentaliter ad Logicam: sed quia non fundat diuersum ordinem essentialem in ratione partis compositiue, sed præcipuè versatur in ordine ad significandam rem in se, quod spectat ad grammaticam, & sic spectat ad logicam, est accidentale, ita ut significare per modum modi in adiectiuo, & obliquo sit semper, & aliquid adiacens, vel ut aliquid cadens à nominando: & nusquam aliquo modo: at sine cathegorema diuerso modo per se inspecto a logica significat, quia hoc ipso, quod significat aliquo modo, nec potest esse subiectum, nec prædicatum in propositione, nec pars per se, ac perinde variat essentialiter dictionem sub consideratione logica spectatam.

### Tertia Conclusio.

9. Dicendum istam diuisionem esse vniuocam, quod dixerim contra Ioann. Maiorem tract. 1. Dialecticæ, diuis. 3. & contra nostrum Mercad. (citatum a Huert. hic q. 9. artic. 1.) qui dixit hanc esse diuisionem analogam analogia attributionis; quia sine cathegorema nihil significat: & solum extrinsecè habere rationem termini denominatione sumpta a termino cathegorematico cum quo coniungitur, sicut quidam dicunt, quod diuisio in facm, & media in ratione ap-

peribills est hoc modo analoga, quia media habent bonitatem totam extrinsecam desumptam a fine. Sed nostra conclusio communis est inter nostrates.

10. Prob. Quia ratio termini est ratio partis componentis propositionem: ergo quod diuersimode componit, diuersam speciem termini constituit siquidem diuersitas addita generi, diuersam speciem constituit; at diuisio rationis genericæ in specificas est uniuoca: ergo.

¶ Dices, quod sine cathegorema componit propositionem cum dependentia a cathegoremate; ac perinde diuisioem esse analogam, quia ratio superior non participatur æqualiter in membris diuisentibus, quod exigebatur ut esset diuisio uniuoca generis in species.

¶ Sed contra est, quod illa dependentia non prouenit a ratione formali superioris diuisi, sed a rationibus inferioribus, quæ per accidens se habet: ergo hæc diuisio est uniuoca. Prob. antec. de ratione partis ut sic, non est, quod dependenter, vel independenter fiat compositio totius; sed solum intret compositioem, siue dependenter, siue non; at ratio communis termini, est ratio partis propositionis: ergo. Prob. antec. Nam etsi materia prima nec possit exillere, nec componere compositum physicum, nisi dependenter a forma; diuisio tamen partis naturalis sub-

stantialis uniuoce diuiditur in materiam, & formam; & similiter est verbum nequeat componere sine nomine, nec nomen sine verbo propositionem, tamen diuisio termini in nomen, & verbum, ut communiter admittitur, est essentialis uniuoca: ergo similiter in nostro casu. Cuius ratio est, quia de ratione partis, est, quod ab ea crescat quantitas, aut totalitas compositi, at penes sine cathegoremata attenditur quantitas propositionis, & sine cathegoremata non minus auget totalitatem, quam si adiectiuum, vel obliquus ponantur a parte unius extremi simul cum substantiuo, aut cum recto; quia sicut ibi augetur significatio totalis, & mutatur dicendo hominis, & quis currit, homo albus currit, ita augetur dicendo, homo velociter currit: est ergo sine cathegorema vere terminus uniuoce, sicut cathegorema: ergo utrumque diuidit uniuoce terminum.

*Soluntur Argumenta.*

11. Arg. 1. Ratio communis termini est ordo ad componendam propositionem, sed sine cathegorema dicit hunc ordinem dependenter a cathegoremate: ergo in ratione communi, & superiori dicit dependentiam: ergo tam participat inæqualiter, & secundum quid: ergo diuisio est analogica.

Patet hæc cōsequētia: quia hæc ratione diuisio entis in substantiam, & accidens est analoga, quia ratio entis est ordo ad esse, & accidēs habet ordinem ad esse dependentem à substantia. Prob. min. quia vt cōstat ex ipso nomine, syncategorema est compredicatum, & consignificatum, & significat aliquam, & per modum modi exerciti; at de essentiali ratione modi exerciti in significando, est dependentia à re modificata: ergo syncategorema in ratione signi partialis predicatiui, seu compositiui essentialiter pendet à categorematè: ergo in ratione compositiui, & superiori partis compositiue: ergo in ratione termini: ergo participat communem rationem diuisi dependentem: ergo diuisio ista est analoga, non minus, quàm diuisio entis in substantiam, & accidens.

Resp. instando arg. nam etiã materia, quæ componit in quantum pura potentia, dependet à forma in ordine componendi, & tamē in ratione partis naturalis vniuocè conuenit: ergo & syncategorema in illo ordine pendeat erit vniuocè pars. Vnde 2. resp. quod illa dependentia est tanquam à comparte secundum quod distinguitur pars à toto; ut enim omnis pars cum non sit totum essentialiter dicit non posse componere sine dependentia ab altera comparte: at hoc non tollit, quod vere sit pars; quia ordo partis non tollit eam dependentiam, sed solum dicit, quod secundum illum

crescat totalitas quantumuis hæc pendeat ab alia. Dico ergo, syncategorema in ordine ad componendam pendeat à categorematè, tanquam à comparte, cōcedo; tanquàm à forma nego: nã se ipso habet syncategorema posse componere ratione sui significati, licet pendeat materialiter ab alia comparte. Quod non est contra rationem partis vt sic, simpliciter talem, quam verè participat syncategorema.

13 Sed contra est, quod semper manet integrum dubium, cur diuisio entis sit analoga in substantiam, & accidens, & non sit analoga diuisio termini, in categorematicum, & syncategorematicum, cum syncategorematicus pendeat à categorematico in ordine ad componendam propositionem, sicut pēdet accidens à substantia in ordine ad esse.

Sed resp. quod ordo ad esse non dicit ex se dependentiam; ac perinde, quod habet illum ordinem cum dependentia, qualiter illud habet accidens secundum quod ens; at ordo partis, quæ est ratio termini vt sic, semper pendet in componendo ab altera comparte, ac perinde, quod in aliquo reperiatur cum huiusmodi dependentia, non tollit rationem termini simpliciter, quantumuis diuersus modus huiusmodi dependentiæ in componendo multiplicet species terminorum, qualiter contingit in nostra diuisione.

14 Si istes, quod dependentia syncategorematicis, non est tanquàm à comparte (alioqui omne catego-

maticū esset sine cathegorematicū, cū habeat eā dependentiā) sed esse dependentiā, quantum ad ipsam rationem partis, quæ est ratio termini, quæ hic dividitur; at quoties ratio superior dependenter participatur a membro inferiori dividente, toties est analoga divisio: ergo. **Mal. prob.** est dependentia quoad ipsam significationem, ut partialē; est enim terminus syncathegorematicas consignificatiuus: ergo est in ipso communi, & superiori ratione partis, ut pars est non in ordine ad partem; sed etiam in ordine ad totum. ¶ **Resp.** Dependentiam non esse in ordine ad significandum suam significatum aliquam liter; hoc enim habet à se syncathegorema; ac perinde in ratione signi partialis significando aliquam liter, seu consignificando aliquid, quod potest quantificare propositionē, non est dependentia; & perinde nec est dependētia, ut pars est in ordine ad totum; sed tota dependētia est quatenus peculiari modo, & ut species imperfecta dependet à cathegorematico, tanquam à parte in significando aliquam liter, quod cum diversa, & minori dependentia habet unum cathegorema ab alio: quia hoc significat ut quid.

**15** **Arg. 2.** & est replica; quod secundum quid est animal, secundum quid est homo: ergo quod secundum quid significat; secundum quid est terminus; est enim significatio ratio generica ad terminum, sicut animal est ratio generica ad ho-

minem. Sed ut patet ex definitione, sine cathegorema secundum quid est signum; non enim absolute significat, sed consignificat: ergo secundum quid est terminus.

**Resp. negando;** quod syncathegorema, secundum quid significet; habet enim propriam cōceptionem, ut dixi dub. antec. sed eatenus dicitur consignificare, quia significat modum exercitum, & exercitē; ac perinde ut pars minus principalis, & cum maiori dependentia, sicut aliqua partes, quæ sunt imperfectiores in domo magis pendunt in componendo, quam alia, unde non intrant nisi cum dependentia, sicut lectum pendet à cemento, at omnes sunt per se partes.

**16** Tandem solet obijci. **Terminus syncathegorematicus secundum rationem particularem pēdet a cathegorematico in componendo;** sed hoc sufficit ad hoc, quod hæc divisio sit analoga: ergo. **Prob. min.** nam si hæc dependentia esset secundum rationem communem, & ratione eius, quo perfectius saluaretur ratio communis eo esset maior dependentia, ac perinde cum cathegorematicus perfectiue participet rationem termini; amplius etiam haberet dependētia: at hoc est falsum: ergo. ¶ **Resp.** illud esse verum si ratio illa esset uniuoca, ac si est analoga non ita, quia cum non habeat illam rationem per unū cōceptum simpliciter unum, sed proportionem tantum importatū ibi dependentia ratione extrinseci mi-

nus principalis; nō vero ratione extremi principalioris: nunc ergo ad rē dicimus, quod dependentia, quā importat syncategorema oritur à ratione particulari, nō à ratione cōmuni termini; & per consequens ratio cōmuni termini vniocē diuiditur in categorema, & syncategorema. Sed pro ampliori intelligentia eorum omnium, quæ dixi in hac cōtrouersia. Vide Huert. hic q. 9. art. 1.

( ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ )

### DISPUTATIO III.

*Determino cōmuni, & singulari, collectiuo, & diuisiuo.*

*Dub. 1. An definitiones termini cōmuni, & singularis traditæ à M. Soto sint bonæ.*

**D**iffinitiones, quas hic defendere intendimus vt bonas secundum M. Soto, & Petrum Hispanicum, sic habent: terminus cōmuni est, *plura diuisim significans*, vt homo. Terminus singularis est, *vnū tantum significans*, vt Petrus. Harū expositionem definitionum tradidit in Dialectica parua; viderique potest attente hic M. Soto, & Banez. Qua propter mei muneris tantum erit, occurrere obiectionibus, quæ passim contra prædictas definitiones ventilantur.

*Soluuntur Argumenta.*

2. Arg. 1. si aliquis esset termi-

nus cōmuni, maximè ly *homo*: sed isti non conuenit definitio termini cōmuni: ergo. Prob. min. Iste terminus *homo* non significat Petrum, & Paulum: ergo non significat plura diuisim. Conseq. est certa: nam si significaret plura diuisim, significaret omnia, & singula indiuidua naturæ humanæ: sed Petrus, & Paul' ly & diuisiue sūpta significāt hęc indiuidua diuisiue: ergo. Mai. prob. tum, quia isti termini ly *homo*, & ly *Petrus*, & *Paulus*, sunt diuersa signa, & diuersi termini; alter enim est complexus, alter incomplexus; ac perinde correspondēt illis diuersi conceptus Tum, quia iste terminus *homo* significat naturam humanam specificam secundum se: hęc enim est prædicatio speciei, *Petrus est homo*; & tamen ly *Petrus*, & *Paulus*, neque significat naturam specificam humanam secundum se, neque potest prædicari prædicatione specifica: ergo.

3. Resp. quod ad hoc, quod de isto termino *homo*, qui est cōmuni, verificetur definitio tradita pro termino cōmuni, nempe, quod significet plura diuisim; satis superque est si secundo, seu mediate possit significare naturā indiuiduatam, & pro illa supponere; ac perinde non requiritur, quod significet primo, & per se idem, quod Petrus, & Paulus; sed sufficit si significet naturam cōmuni pluribus, ita vt de illis possit prædicari, & pro natura singularizata in illis reperta verificari, cum tamen ly *Petrus*, & *Paulus*

his primo, & per se significet ipsa in diuidua diuisione, ita vt de vno, vel altero verificetur.

4. Nec valet cōtra instare; quod terminus habet denominationem, & speciem in ordine ad primarium significatum: at natura secundum se, quæ significatur primario per hunc terminum *homo*, non significat plura diuisim, in quibus natura humana diuisa reperitur, sed potius naturam, vt abstractam: ergo nō verificatur de illo diffinitio secundum primariam rationem. ¶ Præterea, aliud est significare vnū, quod est in pluribus per accidens se habendo, quod sit in pluribus: aliud significare ipsa plura diuisim; at iste terminus *homo* quatenus est terminus communis, non significat ipsa indiuidua; neque naturā vt plures; sed potius naturam vnā, quæ per accidens habet quod sit diuisim in pluribus, quod patet: nam iste terminus *deus*, & essentia diuina sunt cōmunes, & tamen ibi natura non est diuisa in pluribus; ergo significare plura diuisim se habet per accidens ad rationem termini communis.

5. Resp. enim, quod iste terminus *homo* significat ipsam naturam, quæ est à parte rei; vt fundat rationem speciei, ita taliter, quod esse abstractam sit sola conditio exercita; at res significata est ipsa natura, quæ cum sit a parte rei diuisa, eam significat diuisim primo, & per se, & sic primaria denominatio illius termini est plura diuisim, quia sicut natura sit vnā fundamentaliter, & sic communis, tamen reuera est

diuisim in pluribus.

Ad cōf. resp. quod significare diuisim non consistit in eo, quod natura illa sit diuisa, sed in eo quod sit communis pluribus in significando, supponendo, & prædicando de pluribus, & de singulis eorum, ac si rō esset in alijs; ita quod reuera illa natura significata sit communis pluribus, siue posituè, siue per nō repugnantiam; ac perinde, siue sit diuisa, siue non sit in re diuisa; saluatur cōmunitas termini talem naturā significantis: sed hoc verificatur de significato huius vocis *homo*; de illo ergo verificatur diffinitio termini cōmunis. ¶ Vel dic ad totum argumentum, quod iste terminus *homo*, licet significet naturam vnā, significat tamen eam vt communicabilem pluribus, quæ duo ingrediuntur in significato primario, ac perinde ex ea ratione desumit rationem termini communis. Vnde quamuis non significet idem, quod *Petrus*, & *Paulus*, quia iste secundus terminus significat talem naturam, vt de facto communicatā, cū indifferentia tamē ad hec, quod de vno, vel altero indiuiduo verificetur; tamen *ly homo* est terminus cōmunis, quia diffinitio satis verificatur per aptitudinē ad plura; in quibus talis natura potest esse diuisim.

6. Arg. 2. *ly uterque* est terminus cōmunis, & tamen nequit se illa supponere pro pluribus; sed solum supponit pro vtroque collectiuè: ergo diffinitio termini communis non est bona. Idem est de isto termino *nostrum*. Conf.

Confiste terminus *homines* est communis, & tamen nequit diuisim verificari de hoc, vel illo; quia iste, vel ille non est homines: ergo.

Resp. quod si vterque, supponit pro binarijs, in quibus est vnus, & alter. Est terminus communis, sicut & *populus*, quatenus dicitur de hoc, & illo populo: si autem sumatur pro quolibet ex duobus, sic est terminus singularis collectiuis, sicut *populus*; quatenus dicitur de quolibet ciue. Primo modo supponit sigillatim pro pluribus, & de illo verificatur definitio. Secundo modo non, quia est terminus singularis. Si autem vterq; opponitur contrarie ad *ly neuter*, sic potest de illo dici eodem modo. Nil forte ratione negationis, quæ dislinguit supponat diuisim, & per modum termini communis. *Ly autem homines* est terminus communis, quia nomina pluralia, vt hic docent M. Soto, & Bañez sequuntur quoad hoc leges suorum singularium. Et supponit ille terminus sigillatim, tum pro pluribus hominibus, & congregationibus hominum; tum pro pluribus singularibus coniuactis diuisim, vt si dicas homines disputant: ergo iste, & iste.

7 Arg. 3. Iste terminus essentia diuina est terminus singularis. & tamen significat plura diuisim, siquidem dicitur de tribus personis: ergo definitio termini communis conuenit alijs a definito. Idem argumentum fortius formatur in hoc termino; hæc essentia diuina, quæ suppo-

nit diuisim pro qualibet ex tribus diuinis personis, & tamen est terminus singularis.

Resp. quod cum essentia diuina ex parte rei significata sit essentialiter singularis, idem iudicium faciendum est de isto termino essentia diuina, & de hoc, hæc essentia diuina ex parte rei significata: quamuis ex parte modi significandi, diuerso modo significent, sicut etiam dicendum est de isto termino *Deus*, & hic *Deus*: nam hic *Deus*, & hæc essentia diuina sunt termini singulares, tam ex parte rei, quam ex parte modi; at *ly essentia diuina*, & *ly Deus*, vt docet hic M. Soto cap. 6. notab. 1. licet re ipsa, & ex parte rei significata sint termini singulares, tamen ratione, & ex parte nostri modi significandi, & concipiendi sunt termini communes, quia ex vi talis modi non repugnat illis significare alios Deos & essentias diuinas si essent, & sic conuenit illis definitio termini communis.

Si inquiras: quare si essentia diuina est terminus communis, non est bona consequentia. Pater est essentia diuina, Filius est essentia diuina: ergo Filius est Pater.

Resp. ideo hoc esse, quia essentia diuina respectu personarum est quasi medium æquiuocum, eo quod non est Pater sub eodem modo quo est Filius, & sic medium non est idem re, & ratione cum extremis; & ideo non valet ea consequentia. Sed de his latius apud Theologos.

8. Arg. 4. Iste terminus *quidam homo* (& idem est de quolibet alio singulari vago) est terminus communis, secundum D. Tho. 1. p. q. 30. ar. 4. & q. 2. de pot. ar. 2. ad 2. & tamen non significat plura diuisim, nec supponit sigillatim pro pluribus: ergo definitio termini communis non est bona. Prob. min. quia ex modo significandi significat modum particularitatis; & ideo non se extendit tantum, sicut homo, neque sic quantificat propositionem sicut homo, ut docet Soto lib. 2. Summul. cap. 7. ergo.

Resp. concessa mai. & neg. min. supponit enim pro pluribus non similit, sed diuisim, eo quod etiam significet rem singularem, non tamen determinate, sed vage, & in communi. Et proinde non se extendit in quantificando tantum, quantum *ly homo* in consideratione Dialectica; quia *ly homo* significat ipsam naturam communem tunc modo particularitatis, ac aliquis homo licet significet eam, ut particularizata, significat tamen illum modum, vage, & in communi. De quo vide D. G. locis citatis, & Caiet. super Porph. cap. de specie.

9. Sed contra est, quod si singulare vagum significat modum illum particularitatis in communi, predicabitur de singularibus, tanquam superius de inferiori; & tamen non predicatur de illis prædicatione speciei: ergo alia prædicatione alterius predicabilis, sed ad nullum aliud pertinet secundum doctrinam Por-

phirij: ergo vel fuit diminutus, vel est falsum, quod sit terminus communis potens dici de pluribus; sed primum non debet dici: ergo tenendum est secundum.

Resp. reduci ad speciem, quia non significat naturam communem, sed modum tantum: cum tamen sit certum, quod modi reductiue pertinent ad speciem naturæ.

10. Arg. 5. Iste terminus *Petrus, & Paulus, ly, &*, diuisiue sumpto, est communis secundum M. Sotum hic, & tamen non significat plura diuisim: ergo. Prob. min. nam totum complexum quocumque modo sanatur, non verificatur de pluribus, nec supponit pro illis, sed pro vno tantum; licet diuiso illo complexo in duas partes, quibus collat, possit supponere pro pluribus; sed tamen definitio de toto termino debet verificari, non de partibus, quæ non sunt ille terminus complexus, sed duo termini distincti. Prob. min. quia nunquam verificatur, quod hoc est Petrus, & Paulus, & hoc est Petrus; & Paulus: ergo.

Si dicas, quod debet mutari vniuersalitas in particularitatem, ad hunc sensum, quod sit idem, ac Petrus, vel Paulus. Contra est, quod etiam sic est falsum ostenso Petro, quod hoc est Petrus, & Paulus, etiam sumpto, &, pro, vel, quia hic homo, qui est Petrus, determinate est Petrus. Tum etiam, quia sic non est capax distributionis: ergo.

11. Resp. illum terminum esse:

communem, quia ratione complexionis significat vnum, ratione vero partium diuisiue copulatarum significat plura singularia: significat ergo vnum, quod est in multis, seu dicitur diuisim de multis; saltem ratione partium, que per illam copulam, & si accipiant vnitatem, non tamen amittunt suas significationes, quia plura significant. Ad hoc autem, quod terminus sit communis, non requiritur, quod terminus verificetur de quolibet secundam totalem significationem; sed sufficit verificari, secundam partialem: cum dico; Petrus est homo: *ly homo* non applicat Petro totalem suam significationem, quia Petrus non est totus, sed partiale significatum de *ly homo*, & subiectum, ac predicatum supponere debent pro eodem in vera propositione affirmatiua: verificatur ergo *ly homo* de pluribus, non secundam totalem, sed solum secundam partialem significationem: quid ergo miri, quod *ly Petrus, & Paulus* sit terminus communis; & si verificetur de pluribus, non secundam totalem, sed secundam partialem significationem? Sufficit enim ad hoc, quod diffinitio verificetur de toto termino, quod ratione illius significet vnum commune pluribus, & ratione partium de singulis verificetur diuisim. Et sic licet non sit capax distributionis formalis, est tamen capax distributionis virtualis, & hoc sufficit.

Potestque tota doctrina explicari ab exemplo istorum termino-

rum; omnis homo, & quidam homo, qui significant plura, non ratione totalis significationis, sed ratione partialis, & mutando vniuersalitatem in particularitatem verificatur, cum dico, omnis homo currit: ergo hic, & hic; quidam homo currit: ergo vel hic, vel hic. Sic ergo poterit *ly Petrus, & Paulus* ratione significati partialis verificari, & mutato *in vel*.

12 Nec obstat dicere, quod *ly omnis*, vel *ly quidam*, non sunt partes illius termini *homo*; ac perinde etiam mutantur, manet idem terminus; at *ly &* est pars istius complexi; ac perinde illo mutato non manet idem terminus.

Respondetur enim, quod hic homo est terminus singularis; cum tamen omnis homo sit distributus, & omnis homo diuerso modo supponit, ac hic homo, cum ibi sit suppositio distributiva, hic vero determinata. Idem dico de isto termino, *vel iste*, & de isto *quidam homo*, qui diuerso modo supponunt mutata suppositione confusa in determinata, & termino communi in singularem: non ergo est contra rationem termini communis, quod in eius verificatione sigillata fiat mutatio de vno termino in alium, mutatis signis, & articulis, dum maneat idem terminus, seu vox cathegorematica si sit terminus incomplexus; vel aliqua si sit terminus complexus ( hoc enim est in illis peculiare ) Nec obstat, quod *ly omnis* non est pars in illo termino *omnis homo*. Tu, quia

eo non est pars, quia terminus complexus non resultat ex syncategoremate; sed necessario constat terminus est syncategorematicus. Et sic nec illa copula disiunctiva  $\&$ , in nostro termino erit pars illius complexi cum sit etiam syncategorema, ac perinde poterit mutari in *vel*, sicut *omnis*, mutatur in *hic*, ad verificationem illius termini *omnis homo*. Tum, quia licet non sit pars copulativa, est tamen modus sufficientis mutare significationem, & suppositionem, ut patet ex principio huius resolutionis: si ergo illa communitas huius termini *omnis homo*, supponit sigillatim, & verificatur in sua distributione, per *hic*, & *hic homo*, mutata significatione, & suppositione, cur hoc complexum *Petrus, & Paulus*, & eius communitas non verificabitur, ratione copulae disiunctivae *vel*, & ratione cuius partis, nempe Petri, aut Pauli, qui sunt termini singulares contenti in illo complexo; sicut *hic*, & *hic homo* continentur in illo termino *omnis homo*, & *hic*, vel *hic* in illo termino quidam homo?

13 Si adhuc istes, quod significatio totius debet resultare ex significatione partium; sed partes huius complexi *Petrus, & Paulus* significant singulariter: ergo totum resultat est singulare. Tum etiam, terminus communis debet significare aliquam rationem communem, & superiorem suis singularibus: at qui istud complexum, nullam rationem communem,

& superiorem *Petro, & Paulo* significat, sumpto etiam  $\&$  diuisive: ergo non est terminus communis. Prob. min. quia solum addit supra singularitatem *Petri, & Pauli* illam coniunctionem disiunctivam: at haec non est superior, neque communis: ergo. Tum etiam, ratio communis sumulisticè debet esse uniuoca, at illud complexum non addit supra sua extrema singularia aliquem conceptum unum, immo essentialiter ille terminus dicit duos conceptus: ergo.

14 Resp. quod significatio totius non resultat ex significatione partium seorsim, sed ex illis ut unitis, & sic resultat significatio communis ex partibus singularibus unitis per  $\&$  diuisive sumptum, quod est nota communitatis. ¶ Ad 2. resp. neg. min. Ad 1. probationem, dico, illud complexum esse superiorem, & communem cuiuslibet parti, & hoc sufficere. ¶ Ad 2. quod ad uniuocationem, non requiritur, quod ratio illa sit unius conceptus in complexi, sed sufficere, quod sit unius conceptus complexi, in quo duo illi conceptus cum ordine, & unione sumpti pellunt omnem æquiuationem, & inducant uniuocationem.

15 Arg. 6. iste terminus *Petrus, & Paulus* ly  $\&$  complexiue sumpto iuxta M. est terminus singularis, & tamen significat plura diuisim: ergo definitio termini communis, conuenit alijs à definito. Min. prob. quia cum dico, quod *Petrus, & Paulus* disputat, de quolibet, debet verificari disputatio. ¶ Dices, verificari de

quolibet coniunctim, non diuisim, & ideo non esse terminū cōmunē, sed singularem: quia significat illud singulare coniunctum ex pluribus, sicut cā dico, hic exercitus. ¶ Sed contra est, quod iste terminus *omnis homo*, significat plura vt coniu-cta; requirit enim ad sui verificatio- nem istum, & illum, ita vt vno defi- ciente falsificetur: & tamē quia ve- rificatur de quolibet est terminus cōmunis: ergo similiter. ¶ Resp. cum M. Mart. de Prado lib. 1. sum. cap. 5. q. 1. quod ly *omnis homo*, signi- ficat illa diuisim, quā est signū dis- tributionis; at ly *hic* in nostro casu significat plura copulatiue, & colle- ctive; & ideo est terminus collecti- uis singularis.

16 Sed semper instat, quod iste terminus *omnis homo*, resoluitur per hanc copulatiuā, iste, & iste; quæ est singularis, sicut ly *Petrus, & Paulus*: sed resolutio est signū modi signifi- cādi; qui est in termino: ergo si eo- dem modo resoluitur iste terminus *omnis homo*, & iste *Petrus, & Paulus*, ly *&* complexiue sumpto, sequitur vtrumque terminum eodē modo significare: ergo vel vterque termi- nus est communis, vel vterque est singularis: ergo si resolutio copula- ta de ly *omnis homo*, non obest quo- minus sit terminus cōmunis, & sig- nificet plura diuisim, neque obest quo minus iste terminus *Petrus, & Paulus*, ly *&* complexiue sumpto, sit cōmunis. ¶ Resp. tamen, quod cū resoluitur ly *omnis homo*, per ly *hic, & hic*, ly *&* sumitur disiunctiue, at

cum nostrū cōplexum resoluitur, ly *&* debet sumi complexiue, & ideo primus terminus est communis, & secundus est singularis. Sed de his la- tius infra.

Dub. 2. An sit bona, & qualis diuisio termini in communem, & singu- larem?

1 S Vppono, quod diuisum huius diuisiōnis est vniuocas cathe- gorematicus, quia æquiuoci relin- quuntur ab arte, vt ait M. Soto, & sic cathegoremata; & si possint esse sig- na vniuersalitatis, & particularita- tis, seu, vt melius dicam, horū notæ, in se tamen non sunt singulares ter- mini; aut cōmunes, quia non signifi- cant aliquid, seu rem cui compe- tit cōmunitas, vel singularitas, sed significant aliquāter, id est modū rei, cui non competat tales deno- minationes.

2 Si contra instes. Terminū singu- larē, non esse vniuocū, sed æquiuo- cū: ergo diuisum nō est terminus v- niuocus. Prob. cōs. nam diuisum est, quod participatur à mēbris diuidē- tibus. Ant. prob. nā secundū Arist. in cap. de vniuocis adiūcta explica- tione, Caier. ibi vniuocū est, quod significat plura vt cōueniūt in vni- ca ratione, ideoque nō diffrāuit v- niuocū in singulari, sed in plurali, di- cens, quod vniuoca sunt quorū no- men est cōmune, ratio verò signifi- cata est omnino eadē; at nomē sin- gulare de pluribus nō dicitur vniuocē, sed æquiuocē: ergo. ¶ Resp. quod vniuocū Sumulisticē, & Logi-

est non est idē; Logicus enim dicit conceptum uniuocum, quod predicatur de pluribus sub vna ratione, quia ibi attendit ad coordinanda predicamenta: at summulista tantū attendit ad modum concipiendi uniuoco, vel pluribus conceptibus, ut patet ex definitionibus, & sic singulari, quod non est uniuocum logicē, est uniuocum summulisticē.

*Prima conclusio.*

3 Hęc diuisio bona est; quod patet, quia de ea verificatur omnes conditiones bonę diuisiois, ut colligatur a priori parebit, supposito, quod diuisum sit terminus uniuocus cathegorematicas; ut iam statutum est.

*Secunda Conclusio.*

4 Hęc diuisio est accidentalis. Prob. quia distinctio essentialis termini non sumitur penes diuersa significata, alioqui, terminus significans accidēs, esset diuersus ab eo, qui significat substantiam, & terminus significans vnā speciem animalis specificē differret a termino significante diuersam speciem animalis; sed sumitur a diuerso modo significandi in ordine ad componendam simplicem propositionem; at terminus communis tantum differt a termino singulari, penes significare rē communē, aut singularē, & nullo modo in ordine ad componendam propositionē in ratione totius Logici, seu Dialectici; non enim variatur specie oratio per hoc, quod consistit subiecto, vel predicato singulari, vel communi: ergo hęc diuisio nō est essentialis, sed solummodo accidentalis. ¶ Conf. Dial.

si partis ut talis sumitur in ordine ad totum; at quod propositio consistet ex subiecto communi, vel singulari solū cōducit ad variationē in quantitate, quę est ratio accidentalis propositionis, non vero ad essentialē diuersitatē, ut dicemus in tract. de quantitate: ergo hęc diuisio termini ut terminus est, in communem, & singularem, nō essentialis est, sed tantum accidentalis.

*Soluuntur Argumenta.*

5 Arg. 1. Authoritate M. Soti (qui in rebus summulisticis apud nos integrā authoritatē nanciscitur merito) in hoc capite docet, quod *genus harum diuisiois* (quod est diuisum in hac diuisione) est terminus uniuocus: at diuisum, quod habet rationem generis in definitionibus membrorum diuisiōis, diuiditur essentialiter in sua membra diuisiōis, tanquam in species: ergo hęc diuisio est essentialis.

Resp. ibi assumptiūc somes generis iargo modo, prout sonat idē ac diuisum.

6 Arg. 2. quę habēt passiones, seu proprietates specie diuersas, habēt etiā diuersas essentias; sed termini communis, & singularis habent suppositiones diuersas specie; cum tamen suppositio sit passio termini ut terminus est compositiūc propositionis; ergo in ratione termini specie essentiali distinguuntur hi termini. Prob. min. quia suppositio communis, & singularis differret specie: ergo. Prob. nam M. Sotus agens de oppositionibus, ait, nō

posse mutari genus suppositionis, innuens, quod cum vnum cōtradictorium est de termino communi, potest tamē mutari in singularem; & cum dico, omnis homo disputat; hic homo non disputat, quæ sunt cōtradictoria de lege: ergo iste suppositiones conueniunt genericè, & differunt specificè.

¶ Resp. vel ibi sumi genus laxè, non strictè, vel huiusmodi suppositiones nō esse proprietates termini; vt terminus est sub ratione communi, sed sub ratione peculiari talium terminorum; sicut esse album in agno, & nigrum in coruo sunt proprietates accidentales respectu animalis, & veræ passiones in ratione talium animalium.

*Dub. 3. Verum iste terminus Deus sit communis, an singularis, etiam Dialecticè.*

¶ Suppono, quod iste terminus Deus non est communis Logicè, nec Physicè; non Physicè, quia repugnat esse plures Deos, pro quibus diuisum accipiatur; non Logicè, quia communitas Logica est vniuersalis; requirens, quod natura communis significata, saltem non repugnanter, possit esse diuisa in pluribus, de quibus prædicatur tanquā genus, aut species; vt dixi in secundo prædicabili ex D. Thom. agens de vniuersalitate naturæ Angelicæ. Solum ergo restat, an illo non possit natura diuina a nobis concipi, vt species prædicabilis, saltem possit significari, vt ter-

minus comunis communitate Dialectica. Et pro maiori luce huius notabilis cōsuli potest R. R. M. Ioā. a S. Thom. q. 5. log. ar. 3. & D. Tho. in 1. ad Anibald. dist. 19. q. 4. ar. 2. ad 2. & 1. p. q. 30. art. 4. ad 3.

2 Sed pro maiori luce huius dubij aduerto. Secundo, quod minus requiritur ad communitatem dialecticam, quam ad logicam: nam cum dialectica solum attendat modū concipiendi, hoc ipso, quod nos cognoscimus Deum ad modum rerum materialium, & non vt est in se concipitur inadæquatè diuidendo in ipsa natura Dei conceptum naturæ a conceptu singularitatis, ac perinde sub primo conceptu concipitur Deus, vt non singularis, & potens dici de multis si essent, abstrahendo ab eo quod possit esse in illis multiplicata, & diuisa natura, & faciendo compositionem cum differentijs individualibus, quia hoc nō attendit dialectica cum non tractet de specie, nec de differentia, sed solum attendat ad modum nominandi consequutum ad modum concipiendi, & sic cum eodem modo concipiamus Deum pro hoc statu, quo illum concipimus, non adæquatè, & vt est in se, sed ad modum naturæ compositæ, eodem modo etiam nominamus Deum, termino communi, qui significat vnum conceptum, quē habemus de natura diuina, cui non repugnat significare plura diuisa: at Logicus cum tractet de prædicabilibus, & de prædicatis su-

perioribus, & inferioribus, secundum quandam compositionem ex genere, & differentia, ex specie, & ratione individuali, non denominat rem vniuersalem, nisi eam, in qua inuenit fundamentum ad huiusmodi compositionem fundatam in ratione potentiae, & actus, ac perinde nec Deum concipit vt vniuersale logicum, quia non inuenit in illo fundamentum ad huiusmodi compositionem. Dialecticus ergo potest denominare commune, quod logicus non denominat vniuersale, quia ad primam sufficit pro fundamento modus concipiendi, cum tamen secundum requirat fundamentum ex parte rei conceptae.

*Vnica Conclusio.*

3 Ille terminus *Deus* sumulisticè est terminus communis, quatenus apud hos significat Deum, non prout est in se, sed prout à nobis concipitur inadæquatè pro hoc statu, præciudendo conceptum naturæ à singularitate, quæ est illi essentialissima, & relucet in significato istius termini, si significaret Deum vt conceptum adæquatè. Sic communiter Thomistæ. Mag. Soto hic capite 6. not. 1. Caiet. 1. p. q. 19. ar. 9. & 5. cap. de ente, & essentia, Zum. ibi, & Bañ. Nauarrete, Huert. lib. 1. Sum. c. 6. q. 10. RR. Ioan. à S. Tho. lib. 1. Dialect. cap. 4. & q. 5. Log. ar. 3. Ont. tract. 4. Dialect. conf. 6. Mag. Mart. de Prado lib. 1. Dialect. c. 5. q. 2. & innumeri alij, in manuscriptis. Estque expressa D. Tho. 1. p. q. 13.

art. 9. quatenus ait esse terminum communem secundum rationem.

4 Quod autem iste terminus *Deus* ex parte rei signata non sit terminus communis, constat, quia cū essentia diuina sit communis communitate rei tribus suppositis, tamen ea communitas est rei singularis, & subsistentis, & per modum indiuidui substantialis, eodem modo, ac significatur nomine *hic Deus*: ergo ex parte rei significata non est communis, sed singularis singularitate communi communitate rei ad plures personas, quæ sunt eadē essentia singularis.

5 Quod vero iste terminus *Deus* Sumulisticè consideratus sit communis absolutè. Prob. nam denominatio termini non attenditur penes rem significatam, sed penes modum concipiendi, quia voces sunt signa conceptuum, & connotat in termino connotatiuo, qui aliquando significat rem absolutam, & in absoluto, qui aliquando significat rem adiacentem, vt *albedo*, & in termino cathegorematico, & syncathegorematico, vt patet in *ly veloxitas*, & *velocitas*, qui idem significat, & tamen sunt diuersi termini ex diuerso modo concipiendi, quo representant, & patet in termino æquiuoco, & vniuoco, cum non dantur hæ denominationes à parte rei. Sed Deum cū sit essentialiter singularissimus concipimus modo vniuersali, quatenus illum concipimus inadæquatè, & æmo-

dum rerum compositarū : ergo ille  
 remissus *Deus* significans *Deum* me-  
 dio tali conceptu, & tali modo con-  
 cipiendi, est terminus communis.  
 Min. prob. sic, concipiendo *Deum*,  
 concipimus modo finito, et si in se  
 sit infinitus, concipimus, vel possu-  
 mus concipere sine singularitate: et  
 ergo concipimus modo vniuersali; hac  
 enim ratione concipimus res mate-  
 riales modo vniuersali, quia concipimus  
 rationem naturæ abstrahendo a  
 singularitate. ¶ Ex quibus fa-  
 cile euaneſcit P. Vazq. ad citatum  
 locum D. Thom. dicentis, nomina  
 non ſequi modum concipiendi, ſed  
 modum rei conceptæ.

*Soluumur Argumenta.*

6 Oppositum tuentur Suar. lib.  
 2. de attribut. negat. cap. 32. Vazq.  
 loco citato. Huert. cap. 1. de term.  
 ſec. 6. §. 31. R.R. Echall. diſp. 1. ſum.  
 cap. 3. n. 16. P. Aloſi. ibi lib. 2. ca. 3.  
 n. 2 & alij. Et prob. expugnando ra-  
 tionē traditā: ſignificatio nominis  
 non commensuratur cum concep-  
 tu loquentis, & imponētis vocem,  
 nec cum modo concipiendi eius: ſed  
 potius cum conceptu audientis, at  
 audiens hanc vocem *Deum*, v. gr. ſi  
 ſit Angelus, aut beatus format con-  
 ceptum ſingularē de Deo, & non  
 cōmūnem: ergo iſte terminus *Deus*  
 non eſt terminus communis; ſed ſin-  
 gularis. Min. prob. tum, quia ſignifi-  
 care eſt facere cognoſcere; at vox,  
 ſeu nomen imponitur, & proferitur  
 ad faciendū, quod audiens cognoſ-  
 cat: ergo non commensuratur, cum  
 imponeate, aut proferente, ſed cū

audiēte. Tum, quia ſtat, quod vnus  
 loquens perfectius intelligat quam  
 alter, & tamen audiens æquè perci-  
 pit ſignificationem vocis, ſiue a me-  
 lius, ſiue a minus intelligente pro-  
 feratur, aut imponatur: ergo. Deni-  
 que demus aliquem loqui, quæ ſunt  
 Romæ, vel imponere ad ſignifican-  
 dum ea quæ ibi non videt; tunc ea  
 vox clariſſe ſignificat illi, qui vidit  
 Romam, quam ipſi loquenti; aut  
 imponenti nomen ad ea, quæ ſunt  
 Romæ, & ipſe non vidit: ergo ſig-  
 nificatio vocis nō commensuratur  
 cum conceptu, aut modo concipiē-  
 di, quem habet loquens, aut impo-  
 nens vocem ad ſignificandum; ſed  
 præciſe commensuratur cum con-  
 ceptu audientis.

7 Reſp. neg. mai. ad probat. di-  
 co, quod ſignificare vocaliter eſt fa-  
 cere cognoſcere rem, non vtrū-  
 que, ſed manifeſtatiue manifeſtatio-  
 ne conceptus, & modi concipiendi,  
 & non aliter, ac perinde non com-  
 mensuratur ſignificatio cum audiē-  
 te, ſed cum loquente. ¶ Ad 2. pro-  
 bat. dico, quod loquens quo melius  
 intelligit, melius facit audientē cog-  
 noſcere rem explicatā per nomen,  
 niſi doctior loquens noſcit eo ſubli-  
 mi modo, quo concipit explicare.

Ad 3. dico, quod in eo caſu au-  
 diēs non eo melius cognoſcit, quia  
 vox melius illi ſignificet; ſed ex eo  
 quod audita voce recordatur ſe vi-  
 diſſe, id quod nomine ſignificatur,  
 ac perinde non ex vi vocis, ſed ex  
 ſua notitia ad quam excitatur me-  
 lius iatelligit: falſum ergo aſſumit

P. Vazq. cuius est illud fundamentum.

8 Arg. 2. iste terminus *Deus* nō significat plura diuīsim, sed significat vnum tantum (maximè Catholico, qui spreto Genilium errore vnum Deum adorat, & colit:) ergo nō est terminus cōmunis, sed singularis. Consequentia vrget à diffinitione ad difinitū arguendo. Ant. autē prob. Res significata per hunc terminum *Deus* (maximè Catholico) est essentia quædam suprema essentialiter singularis, & vnica, im multiplicabilis, & natura cui repugnat esse in multis dijs ( hæc enim omnia concipimus cum Deum concipimus adhuc inadæquatè: ) ergo iste terminus *Deus* nō significat plura diuīsim; sed vnum tantum. Prob. conseq. nam vt significaret plura diuīsim, debebat significare naturam, quæ posset esse cōmunis pluribus dijs, ac perinde debēbat illos mediātè, vel immediātè significare ( sicut *ly homo* significat naturam communem pluribus hominibus, quos mediātè significat: ) hos autem nullo modo significat Catholico, quia etsi inadæquatè, & imperfectè concipit Deum esse immultiplicabilem, concipit etiam essentialiter esse vnum Deum singularem, & quod idē est esse plures Deos, ac non esse Deos: significat ergo vnum magis, quam qui vis alius terminus singularis; ergo iste terminus *Deus* non significat plura diuīsim; sed significat vnum tantum.

9 Ad hoc argum. ( quod reue-

ra est difficilimum ) diuersimodè occurrunt nostri Thomistæ. Sed quia ab initio meorum scriptorū obseruauī, non terere inaniter tempus referendo responsiones, quæ non placent, & eos refellendo.

Resp. quod iste terminus *Deus* non significat Catholico plures diuīsim secundum rem significatam; sic enim significat vnum tantum, sed significat plura secundum rationem concipientē, vel aliter, ex parte rei significatæ, non significat plura diuīsim, concedo; ex parte modi significandi, nego; cum autem denominationes termini communis, aut singularis non cōueniant rebus secundum id, quod habent in se; sed secundum modum quem habent in intellectu nostro; sicut enim concipimus, sic nominamus, fit consequens, quod iste terminus *Deus* absolutè sit singularis.

10 Sed contra est, quod vt ille terminus sit communis, debet per illum representari natura diuina vt communis pluribus, vel vniuoce, vel analogicè, & pluribus numero, vel specie distinctis: at sic esse communem cōuenit naturæ vt conceptæ, saltem inadæquatè, & non solū ex parte modi: ergo si repugnat naturæ diuinæ vt conceptæ inadæquatè, etiam à Catholico, eiusmodi communitas, adhuc secundum quod significatur *Deus* vt sic conceptus est terminus singularis, & non communis. ¶ Conf. ille modus significandi, vel se tenet solum ex parte concipientis, vt cum

materialia immaterialiter cognoscuntur à nobis, & infinita finito modo, vel se tenet ex parte rei conceptæ, non secundum se, sed inadæquatè; ita vt res ipsa concepta inadæquatè concepta appareat communis, & præcindat à singularitate, sed neutro modo potest iste terminus Deus esse communis: ergo. Prob. min. nam si primo modo est impossibile; tum, quia sic denominatio illa proueniret ex modo essendi, quem habet conceptus, & cognoscens, vt quia cognoscens est immaterialis, & finitus in essendo denominatur res cognita finito, & immateriali modo cognita: at cognoscens non est communis in essendo, sed singularis: ergo non potest ex hoc solo capite denominari Deus communis in esse cogito ex modo nostro concipiendi.

Præterea sequeretur in tali hypothesi, quod sicut res immateriali, vel finito modo cognita inadæquatè, vel adæquatè, ex parte obiecti, que cognoscitur est materialis, & infinita, sic Deus vt cognitus esset singularis, & cognosceretur, vt singularis, & non communis; at res sic cogita necessario debet denominari singularis: sicut si Petrus cognoscitur quocumque modo, cognosceretur esset terminus singularis.

¶ Si autem vellis ex secundo capite reddi Deum in conceptu nostro communem, quia in illo conceptu nostro inadæquato reuera cognoscitur natura Dei præcindendo

ab essentiali singularitate, quæ in se habet. Hoc est impossibile (si Deus concipiatur seculo errore Gentili, prælucente veritate Catholica) quia natura Dei, vt sic inadæquatè concepta cognoscitur à nobis, vt natura essentialiter singularis, seu saltem essentialiter exigens singularitatè, quia concipitur verus Deus: ergo vnus: ergo exigens singularitatem, aliàs non cognoscitur natura, quæ est diuina: sed quæ non est diuina: ergo ex vi modi concipiendi Deum inadæquatè non sequitur concipi vt communem, neque quod nomen significans conceptum, quæ habemus de Deo sit commune: quia cõmunitas rei conceptæ repugnat cum illa singularitate concepta.

II Præterea modus ille concipiendi solum consistit in eo quod cognoscamus Deum ad modum rerum materialium, & compositarum, in quibus distinguitur conceptus naturæ a singularitate, & sic ex vi conceptus naturæ, non repugnat cõmunitas, in quo consistit, quod Deus concipiatur vt communis: sed hæc ratio est nulla: ergo. Prob. min. tum, quia ex quo hoc modo concipiatur Deus, non sequitur, quod in illo conceptu inadæquato concipiatur, vt materialis, vel vt contrahibilis per differentias indiuiduales, vel cum potentia, vel cum compositione; quia hoc repugnat rei conceptæ, in qua, quocumque modo concepta, relucet summa actualitas, simplicitas, spiritualitas explicita, vel implici-

ta. Sed etiam relucet infinitas, & immaterialitas, cum qua repugnat multiplicitas, vel pluralitas: ergo in nullo conceptu potest denominari ea natura communis pluribus, in quibus sit diuisim: ergo non potest denominari communis secundum rationem, vel ex modo concipiendi inadæquatè. Tum etiam, conceptus, & vox *Deus* in nobis supponit propriè pro Deo, & non supponit impropriè: ergo non concipitur vt communis. Prob. conseq. Concipi aliquid propriè, & supponere propriè secundum quod distinguitur a significatione, & suppositione impropria, consistit in eo, quod non attribuitur rei conceptæ, quod est proprium alterius naturæ. At si *Deus* ex quo concipitur ad modum rerum materialium denominaretur communis proprietatis rerum materialium, attribueretur Deo in illo conceptu: ergo ille conceptus, seu vox supponeret impropriè pro Deo, & impropriè significaret Deum. Tandem *Deus* vt conceptus a nobis inadæquatè concipitur, vt subsistens, & operans: ergo vt singularis, magis quam cum concipitur Petrus; sed quia Petrus concipitur sub gradu individuali nequit esse terminus communis: ergo. Prob. ant. Supposita opinione, quod *Deus* constituitur per actualiter intelligere, tunc primus conceptus, quem formamus de natura diuina, est natura actu intelligens: at operatio est actus

consequens ad esse existens, & subsistens: existentia autem, & subsistentia sunt actus naturæ singularis: ergo relucet ibi in conceptu nostro, quo concipimus naturam diuinam pro hoc statu singularitatis. Tum etiam, tunc concipitur, vt actus purus: ergo sub vltima actualitate: ergo vt natura essentialiter existens: ergo vt singularis, siquidem existentia singularium est.

12 Respondetur; Deum esse terminum communem ex modo concipiendi, non quidem ex primo capite; hoc enim satis bene meo videri conuincitur argumento factò: sed ex secundo capite, quia concipiendo Deum inadæquatè, præscindit natura Dei vt sic concepta a sua singularitate, ac per inde ex vi talis conceptus non repugnat illi communitas, quamuis alias repugnet ex parte rei conceptæ, vt est in se, seu ex conceptu adæquato.

¶ Vnde ad primam replicam dico, in illo conceptu representari naturam, quæ est essentialiter singularis, vel exigit singularitatem specificatiue, & ex parte rei conceptæ, vt est in se, concedo; reduplicatiue, & ex vi modi concipiendi inadæquatè, nego: cū autem denominatio termini communis ne denominet Deum vt est in se, sed vt in conceptu, quia cū sit cōsecuta ad actum animi interiorè, denominat appellatiue, & sub proprio conceptu: fit esse quæ, quod terminus significat Deum  
proue

propt̄ sic conceptus sit communis, quia videt̄ intellect̄, quod & si Deo repugnet ex se communitas, nō tamen, ex vi talis modi concipiendi illum inadæquatè, ac perinde huiusmodi denominatio non pugnat cū catholica fide, & cum exclusione erroris gentilici, quia fides non docet Deo sic concepto repugnare de nominationem communis, sed quod illi repugnat, concepto adæquatè, & vt est in se.

Ad 2. respondeo, quod denominatio rei materialis, finita, composita, materialis, non afficit rem præcisè, vt conceptam, sed vt est in se; ac perinde ex quo concipiatur Deus ad modum talium, non sequitur de nominari à catholico Deum cōpositum, materialem, &c. quia hoc repugnat cum fide docente hæc non competere Deo. At denominatio termini communis potest afficere rem vt conceptam reduplicatiuè, & cum concipere Deum cum præcisione à singularitate, quam in se habet, proueniat, ex eo, quod concipiunt illum ad modum rerum materialium, fit inde, quod ex tali fundamento sine vlla chimera denominetur Deus communis, & quod termino communi nominetur à nobis pro hoc statu. Nam infinitas ibi relict̄, et si impediatur, quod ex parte rei conceptæ adæquatè sit communitas, tamen non impedit vt conceptu inadæquate, possit ea natura infinita denominari communis.

Ad 3. dico, illum conceptum, & vocem supponere propriè, quia nō

attribuitur illi communitas creata, & finita; & ex parte rei conceptæ; sed communitas infinita naturæ, vt conceptæ inadæquatè. Ad hoc autem, quod ille conceptus, & vox supponerent pro Deo impropriè, requirebatur, quod natura illa denominaretur absolutè communis communitate creata, vt cum Christus denominatur Leo de Tribu Iuda.

Ad vltimum resp. quod actualis intellectio, & existentia est de constitutiuo naturæ Dei, concepti à nobis adæquatè, & secundum omnia, quæ ad integrant lineam naturæ Dei secundum considerationem metaphysicam; non vero si consideretur Deus secundum conceptum inadæquatè naturæ; sic enim, nec singularitas, neque existentia intrat in illo conceptu; sed sit præcisio quædam negatiua, quæ non sufficit ad hoc, quod Deus eo ipso concipiatur in potentia ad tales actus; ac perinde, nec obstat, quia Deus concipiatur vt actus purus; ia adæquatè tamen. Nec est idem de cōceptu quē firmamus de Petro; quia ibi neque ex parte modi concipiendi, neque ex parte rei conceptæ, præscinditur à singularitate, & gradu individuali, ac perinde nullo modo potest ille terminus denominari communis.

13 Arg. 3. ad idem, & potest esse replica contradiçta. Deus ex parte rei conceptæ, vt est in se, concipitur vt singularis; sed hæc singularitas tenens se ex parte rei conceptæ, obstat

obstat ne possit denominari cōmunis (nisi hoc fiat chimericè.) ergo. Prob. min. Diuersitas reperta in ente, & inclusio modorum, & si se teneat ex parte rei significate, tollit vniuocationem logicā; ergo similiter singularitas essentialis ibi reperta tollit cōmunitatem logicā, seu sumulisticam: omnes enim iste denominationes, siue logicæ, siue sumulisticæ sequuntur ad modum concipiendi. Tum etiam, si denominatio speciei consequatur nostrum modum concipiendi (si hæc vniuersalitas specifica sit secundū rationem tantum) tamen Deo repugnat denominatio speciei vniuersalis ex eo, quod ex parte rei conceptæ esse deualiter singularis: ergo hoc idem obstat ne Deus concipiatur vt communis cōmunitate sumulistica consequente ad modum concipiendi inadæquatè.

Præterea, denominatio speciei prædicabilis secundum rationem tantum consistit in eo, quod ex parte modi concipiatur natura, vt vnicam aptitudine non repugnantem ad hoc, quod dicatur de pluribus; sed denominatio termini communis significantis plura diuinitatem, cui eadē aptitudo non repugnans nature ad hoc, quod dicatur de pluribus diuinitatibus, & sit in illis; ergo si Deo non repugnat talis cōmunitas ex vi nostri modi concipiendi, nec repugnat vniuersalitas; at hoc secundum non conceditur: ergo nec primum debet concedi: recursus autem ad cōmunitatem logicam, vel sumu-

listicam, inuolus est, cum vtraque fundetur in modo concipiendi naturam præscindendo à singularitate.

14. Resp. quod illa diuersitas inclusa in ente obstat vniuocationi logicè, non autem sumulisticæ; sic enim ens est vniuocum. Ratio autem est, quia sumulisticæ tantum attendunt ad modum concipiendi, & hoc habent pro fundamento, at logicus attendit etiam ad rem conceptam; ac proinde *ly ess*, est analogum secundum rem; id est logicè; at est vniuocum secundum rationem tantum, id est, sumulisticè. Sed quia Mag. Soto etiam in sumulis distinguit terminum analogum duorum conceptuum a termino vniuoco; dicit, quod *ly ess* sumulisticè, & logicè est non vniuocus terminus, quia in conceptu entis, etiam secundum modum concipiendi reuertit diuersitas; ille enim conceptus non perfectè præscindit a diuersitate; sed solum confundit diuersitatē ratione proportionis; at conceptus inadæquat<sup>9</sup> Dei ex parte modi concipiendi præscindit a singularitate, licet non ex parte rei conceptæ vt est in se.

Ad 2. ideo Deum non esse vniuersalem, quia deum fundamētum: fundatur enim vniuersalitas speciei in eo, quod natura sic concepta sit species subijcibilis; & hæc constat ex eo, quod sit compositio ex genere, & differentia, & hæc in eo, quod sit compositio physica ex actu, & potentia, quæ est denominatio conueniens rebus ex parte rei vt est in se.

ac perinde vniuersalitas specifica, nedum exigit fundamentum cōmunitatis competens, vel potens competere ex parte modi concipiendi; sed etiam compositionem, quæ cōpetat ex parte rei in se, quod cum deficiat in Deo, & reperiat in Angelo, ideo Angelus est species prædicabilis, & Deus solum est cōmunis, quia vniuersalitas solum in adæquate fundari potest in modo concipiendi, adæquate verò requirit etiam compositionem ex actu, & potentia ex parte rei conceptæ.

Ad 3. nego, quod ad vniuersalitatem specificam secundum rationem tantum sufficiat concipere sic naturam, nisi sit compositio ex parte rei cōceptæ; & ideo, ex quo Deo competat communitas secundum rationem tantum, non sequitur cōpetere vniuersalitatem. Quibus addo, quod relatio speciei prædicabilis dicit connexionem cum relatione generis, nihil enim est species, quod non sit sub genere, sed Deo repugnat denominatio generis secundum rationem tantum: repugnat ergo denominatio speciei vniuersalis, adhuc secundum rationem tantum. At denominatio communis solum requirit præcisionem à singularitate, & ideo cum primò non possit Deo competere, nisi chimericè, tamen non repugnat secundum.

15 Alia argumenta, quæ communia sunt isti difficultati, & alteri, in qua disquiritur, an natura Angelica possit denominari prædica-

bilis: vide in nostra logica tract. 2. de prædicabilibus disp. 3. dub. 3.

Dub. 4. An diuisio termini in collectiuum, & diuisiuum sit bona, & qualis?

*Prima Conclusio.*

1 HÆc diuisio est bona, & adæquata. Contiat, quia hoc ipso, quod terminus significet in singulari numero, aut significat plura copulatiuè, vt Salmantica, & sic est terminus collectiuus, vel vnum tantum, vel plura diuisiuè, vt Petrus, & homo; sed nec sunt plures; nec pauciores modi significandi si terminus sit vniuocus categorematicus: ergo hæc diuisio bona est, & adæquata. Sed tamen aduerto, quod diuisio termini vniuoci categorematici in communem, & singularem, est penes ordinem ad rem significatam: at diuisio eiusdem termini, in collectiuum, & diuisiuum, est penes ordinem ad modum significandi copulatiuè, vel diuisiuè.

2 Si obijcias, hanc diuisionem esse malam, quia membra diuidentia coincidunt cum membris diuidentibus terminum in communem, & singularem; & quod debet fieri diuisio sic, terminus alius collectiuus alius communis, alius singularis. Nam terminus diuisiuus singularis nihil addit supra terminum singularem, cum vterque diffiniatur per significare vnum tantum, & alias in diffinitione termini cōmunis

nis ponitur, significare plura diuisim: nihil ergo addit terminus diuisiuus supra communem, aut singularem: sufficiebat ergo distinguere terminum in collectiuum, communem, & singularem. ¶ Resp. tamen, quod de ratione termini singularis est significare vnum tantum prout abstrahit ab vnitae singularitatis simplicis, & aggregationis; ac perinde non coincidit terminus singularis cum termino singulari diuisiuo, quia hic diuidit etiam ab vnitae collectionis, à qua non diuidit terminus vt singularis. Terminus autem communis, diffinitur per significare plura diuisim, sumendo ly *diuisim* fundamentealiter; vel quatenus illa plura fundant intentionem termini diuisiuu, quae est distincta ab intentione termini communis, quae primario, & in recto dicit vnam naturam communem pluribus fundantibus intentionem termini diuisiuu, quod fundamentum dicit in obliquo terminus communis; & sic non coincidunt istae diuisiones, sed vna fundatur in alia.

### Secunda Conclusio.

3. Haec diuisio est subiecti in accidentia. Prob. quia haec sumitur penes diuersum modum significandi termini vniuoci cathorematici, sed modus est quasi accidens rei: ergo diuisio termini, in eos modos est subiecti, in suos modos accidentales. Tū etiā, quia in ordine ad componendam propositionem simplicem ac-

cidit collectio, vel diuisio, & tantū variat eam accidentaliter in ratione partis, & totius: ergo.

4. Si istes, quod isti termini habent proprietates logicales specie diuersas, quia terminus collectiuus, habet distinctam specie suppositionem, & ascensum, ac descensum: sed passionem specie diuersae indicant essentias specie diuersas: ergo.

Resp. quod istae sunt proprietates specie accidentali diuersae, non essentiali, sicut cum calor naturalis in homine gignit semen prolificum, in femina vero lac: unde non infertur ex hoc, quod in ratione termini essentialiter differant.

( ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ )

## DISPUTATIO IV.

### De termino absoluto, & connotatiuo.

Dub. 1. An definitiones vtriusque termini recte sint traditae?

1. Terminus absolutus est, qui significat aliquid per modum per se stantis, vt homo, abedo. Connotatiuus autē qui significat accidens per modum alteri adiacentis, vel non adiacentis, vt album ex cū. De his definitionibus inquirō, an sint recte traditae, sed quia in Dialecticā parua tatis earū congruitatem explicui, nunc satis est, eas obiectionibus vindicare.

*Soluantur argumenta.*

2. Contra definitionem termini absoluti, arg. 1. iste terminus albedo est terminus absolutus, & tamen non significat aliquid per modum per se stantis: ergo definitio est mala. Min. prob. per illum terminum significatur quidditas, & essentia albedinis; at hæc ut potè essentialiter accidens, non habet per se stare, sed potius adiacere, seu esse entis ens dependens à substantia, tanquã ab eo, quod per se stat, & per se subsistit, & à qua accidens in stando, & subsistendo pendet: ergo non potest significari per modum per se stantis.

Dices, quod *ly albedo* significat aliquid, non per se stans ex parte rei significatæ, concedo; ex parte modi significandi, nego: & hoc sufficit ut conveniat illi definitio, quia hæc definitio non a traditur penes rem significatam, sed penes modum significandi, unde sicut Deus vere est terminus communis, quia significat aliquid comune ex modo significandi, etsi ex parte rei significatæ, sit aliquid essentialiter singulare: sic *ly albedo* est terminus absolutus, quia licet albedo sit essentialiter accidens adiacens, tamen modo absolute significatur per illum terminum. Vide Capreol. in 1. distinctione 4. q. 1. artic. 1. ad 2.

3. Sed contra est, non esse eandem rationem de Deo, & de albedine, quia Deus non cognoscitur à nobis quidditative, & ut in se est, & adæquatè; hæc autem sic concipere-

tur, non posset concipi ut communis, adhuc ex vi modi, & secundum rationem: quia in se est essentialiter singularis; ideoque se haberet, sicut Petrus: at albedo significatur per illum terminum, ut est in se cognita quidditative per propriam speciem, & adæquatè: ergo si in se est quidditas essentialiter adiacens, non potest reddi per se stans; ex vi modi significandi.

Conf. si albedo significaret, ut per se stans, hæc propositio esset falsa, *albedo adiacet, & inhaeret*: at cuiusmodi propositio est vera in sensu formali: ergo albedo formaliter, & ex vi modi significatur, ut non per se stans, sed ut adiacens alteri. Prob. mai. sensus formalis propositionis (quatenus a materiali distinguitur) in eo stat, quod prædicatum attribuitur subiecto secundum id quod formaliter significat ex modo significandi; nec sufficit attribui secundum quod importat subiectum idènticè, & materialiter: ergo si albedo non significaretur ut adiacens, verificari non poterit illa propositio in sensu formali. Prob. ideo hæc est falsa in sensu formali, *essentia generat*, quia etsi materialiter sit idem cum patre, qui generat, tamen formaliter, & ex vi formalis modi significandi, non significat paternitatem, sed essentiam divinam, quæ non est principium notionale quod generationis in divinis, ac perinde prædicatum generandi, nequit illi subiecto attribui formaliter: ergo similiter.

4 Resp. Ad hoc argumentū solutionem traditam esse bonam, ut potè desumptam ex doctrina Arist. & D. Th. 7. metaph. lect. 1. ubi docet, quod accidēs in abstracto potest significari per terminum vocalem, ut per se stans, quia modus significandi nominū, sequitur modum essēdi rerum in intellectu; non autem modum essēdi in re; ut patet in termino comuni, & vniuersali, quod & insinuat 1. Peri. lect. 1. dū dicitur quod voces sunt signa conceptuum; hoc autem ipso, quod intellectu potest concipere accidēs, nō in concreto, sed in abstracto, potest etiam prescindere a subiecto, & adiacentia in eo.

Ad primam replicam dico, quod deus nō est accidentis, & cuiuslibet generis accidentis, non est actualis in modo, & adiacentia, sed solum aptitudinalis, alioquin nec miraculose posset accidentia per se stare in Eucharistia; & perinde potest albedo concipi, ut per se stans prescindendo ab actuali adiacentia (et si eo modo quo nunc a nobis concipitur adæquate, & quidditatiuè nequeat prescindere ab aptitudinali inhaerentia, cum qua optimè componitur in intellectu, quod concipiatur, ut per se stans;) at de essentia Dei nō est aptitudinalis singularitas, sed etiam actualis; ideoque si adæquate conciperetur, non posset nō concipi, ut singularis. Imò ab exemplo confirmatur hæc solutio; plures enim dicunt, quod in illo inadæquato conceptu, quo Deus concipi-

pitur, & exprimitur per hoc nomē *Deus*, non abstrahitur a radice singularitatis, & tamen sumuliticè est terminus communis: ergo etiam in conceptu albedinis abstractè considerata non prescindatur ab aptitudinali inhaerentia poterit concipi absolute, & per se stans.

5 Ad conf. resp. quod ad propositionem formalem, & eius veritatem sufficit, quod predicatum attribuitur subiecto secundū id quod habet formaliter specificatiuè, et si non attribuitur illi secundū quod habet reduplicatiuè, nisi sit predicatum appellatiuum, & ideo verificatur, quod Petrus est homo, et si homo sit terminus communis, & quod hic homo designato Christo est Deus. Et tamen non verificatur, quod Petrus est species, et si natura humana sit species. Ad rem ergo dico, quod ut verificetur, quod albedo adiacet, sufficit, quod in re adiacet, quia illud predicatum cū non sit appellatiuum, non reduplicat modum absolutum quo albedo concipitur; sed solum id quod habet specificatiuè, ut est accidens: at cum generare sit nomē actionis, & actio appellet maximè in diuinis, ubi generatio est actus intellectus, nequit verificari, quod essentia generat: & tamen verificatur, quod albedo adiacet.

Ad 2. dico, quod generare est predicatum consequutum ad principium quod per se subsistens; & ideo verificari non potest de essentia in abstracto: at inhaerere est predicatum

conueniens formæ ipsi, vt quo significatur, & ideo non est mirum, quod verificetur, quod albedo adiacet, quia id quod sic concipitur, reuera adiacet.

6 Vt vero amplius eluceant hucusque dicta, potest instari, quod limitas est terminus absolutus, & tamen significatur vt adiacens alteri: ergo definitio termini absoluti bona non est. Prob. definitur enim id, quod per talem terminum significatur; ac definitur limitas, per hoc, quod sit curuitas nasi, & curuitas nasi, adiacentiam significat curuitatis in naso: ergo non significatur vt per se stans, & idem est de quolibet alio accidenti, in abstracto considerato, quod vt suo loco diximus, definitur per subiectum loco differentie positiuum: ergo non præscindit ille conceptus abstractus ab adiacentia: nam ratio generica essentialiter inest rationi differentiali. Tum etiã *ly Deus*, & *ly Angelus*, cognoscuntur connotatiue ad creatura, & ad corpora, & tamen sunt termini absoluti: ergo terminus absolutus, reuera potest adiacere ex parte modi concipiendi, eo enim terminus connotatiuus adiacet, quia forma significatur, & cognoscitur per connotationem ad subiectum.

¶ Resp. tamen, quod limitas, & quolibet aliud accidens in abstracto consideratum, respicit subiectum, & definitur per illud loco differentie, sed in obliquo, & ideo significatur forma in recto; rectum autem per se stat; vt ait D. Tho. 1. perihier. cap.

de nom. ad illam particulam *recte*, ac perinde hoc non tollit, quod terminus ille sit absolutus, nec concludit, quod significetur forma; vt adiacens, ex modo significandi, & definiendi illam metaphysicè, & in abstracto: quia hoc ipso, quod subiectum importatur in obliquo, significatur forma vt per se stans, et si in obliquo dicat ordinem ad subiectum, ordinem inquam non actualis inherentiæ, sed aptitudinalis; quod patet, quia accidentia, quæ sunt sine subiecto, & adiacentia in Eucharistia, possunt significari, & defini per subiectum in obliquo.

Ad illud de Deo, & Angelo dico, cognosci connotatiue, connotatione termini, non connotatione subiecti; cognoscuntur enim ad modum rerum corporearum, non autem vt quid adiacens rebus corporeis; & ideo illa connotatio non est de qua loquimur in præfati, quæ importat adiacentiam, nec est ad rem illa impugnatione nostræ doctrinæ.

7 Arg. 2. contra definitionem termini connotatiui: nam *ly omnis* significat aliquid per modum alteri adiacentis; significat enim modum vniuersalitatis, qui adiacet nature communi pluribus, & tamen non est terminus connotatiuus, vt omnes admittunt: ergo definitio termini connotatiui conuenit alijs à definito. Tum etiã, obliquus, v. g. hominis, significat per modum alteri adiacentis, siquidem est genitiuus possessionis, & tamen cum sit terminus

terminus substantivum, & substantivè significans, non est terminus connotativus: ergo. ¶ Resp. facile, quod omnis non significat aliquid, sed aliqualiter, & ideo non convenit illi definitio termini connotativi, quæ dicit significare accidens, sed aliquid quasi accidentale adiacens alteri. Similiter nec convenit obliquo substantivè, quia licet ille connotet ordinè ad rectum, non tamen connotat per modum formæ quasi accidentalis, quod requiritur in definitione termini connotativi, dum dicitur in illa, quod significat accidens, per modum alteri adiacentis.

8 Arg. 3. Omnia relativa, v. g. *qui, ille, iste*, admittuntur à Dialecticis inter terminos connotativos, & tamen de illis non verificatur definitio: ergo. Prob. tum, quia non potest ibi distingui significatum formale, & materiale; tum quia ibi nihil adiacet: quia huiusmodi relativa, neque significant determinatè formam rationis, neque formam realem, cum sint indifferentia ad utraq; re relativa, alias non datur forma abstrahens ab aliquo reali, vel ab aliquo rationis: ergo.

Respond. quod in sententia asserente huiusmodi relativa esse syncategoremata, facilis est solutio ex dictis numero ant. Sed dato, quod essent categoremata, dico significare de formali relationem, vel identitatis, & de materiali fundamentum. Et quod determinatè significant aliquid reale, vel rationis, quatenus præcessit antecedens, aut rea-

le, aut rationis, à quo habent rationem suæ referibilitatis; cum autè, non potuerit præcedere aliquid abstrahens à reali, & rationis, non possunt huiusmodi relativa dialectico importare formam abstrahentè ab aliquo reali, vel rationis.

9 Arg. 4. *Ly rationale* est terminus connotativus, & tamen non significat accidens per modum alteri adiacentis: ergo. Min. prob. significat formam substantialem; sed hæc cum sit substantia per se fiat: ergo.

Respond. vel quod significat accidens ex modo significandi, licet non ex parte rei significatæ, per oppositum, ac dixi de *ly albeo*. Vel quod significat accidens, non philosophicum, sed logicum, quatenus significat formam respiciens subiectum denominationis, etsi non inhesionis denominat namque hominem rationalem, adiectivè, & hoc sufficit ad hoc, quod sit terminus connotativus summissicè, cum hic maxime attendatur ad modum significandi, & denominandi.

10 Arg. 5. contra illam particulam *non adiacentis*, ostendo superflue & inutiliter additam definitioni termini connotativi. Nam vel ponitur pro terminis privativis, vel negativis, seu infinitis; sed neutro modo est bene posita: ergo. Prob. min. Nam cecum significat privationem ad modum formæ adiacentis ex vi modi significandi: sufficienter ergo hoc intelligebatur per particulam *adiacentis*; reuera enim significat formam rationis, quæ ex modo concipiendi

piendi ( qui maximè attenditur in his terminis ) adiacet. Quod verò malè ponatur pro terminis negatiuis. Prob. quia non album v. g. est terminus complexus ; at complexa non sunt connotatiua : ergo. Tum, quia non album significat ipsam negationem per modum adiacentis ; idem enim est dicere, coruus est nō albus, ac si dicere, quod illi inest non albedo. Tum, quia alias non homo esset terminus connotatiuus ; siquidem etiam adiacet lapidi negatio humanitatis ex modo significandi, non minus, quam coruo adiaceat non albedo : vnde sicut *ly rationale*, etsi ex parte rei significatæ, non significet accidens, quia tamen significat adiacentiam ex modo significandi, est terminus connotatiuus, sic nō homo.

Denique illa particula *non adiacentis*, destruit essentiam termini connotatiui, & adstruit rationem termini absoluti malè : ergo ponitur in diffinitione connotatiui. Prob. antec. quod significatur vt non adiacens, hoc ipso significatur, vt absolutum ab adiacentia ; sed hoc sufficit ad hoc, quod significetur, vt per se stans : ergo. Prob. min. nam eo ipso, quod albedo significatur, vt non adiacens, est terminus absolutus, significans, vt per se stans : ergo.

11 Respond. pro vtrisque additam comparticulam diffinitioni, nō quia necessario exigeretur, sed maioris claritatis gratia ; nam etsi priuatio concipiatur vt adiacens, & si

militet negatio, reuera tamen est non adiacens, & priuatio, aut negatio formæ adiacentis, & vt ostenderetur, hæc etiam esse connotatiua addita est illa particula *non adiacentis*, in diffinitione connotatiui.

Ad illud de termino complexo dico, quod non homo est materialiter terminus complexus : at formaliter est connotatiuum, quatenus dicit adiacentiam negationis allicuius formæ significatæ in concreto.

Ad illud de non homine dico, neque ex modo significandi esse connotatiuum, quia non importat terminum significantem formam adiectiue, sicut rationale, sed concretum merè substantiuum, & ideò sicut homo nō est connotatiuus terminus, ita nec non homo, at sicut rationale est connotatiuum, ita & non rationale, quia negatio regulatur per affirmationem, vnde si negatio termino alias connotatiuo etiam dempta negatione, ipsa nō facit connotatiuum.

Vel dic, quod *ly nō homo* significat negationem hominis, vt adiacentem ex modo significandi omnibus illis, de quibus potest dici, & ideò esse connotatiuum, quia significat aliquid accidentale, nempe negationem ipsam vt adiacentē : de quo vide RR. Mag. Ioann. à Sancto Thoma quæst. 2. de nom. art. 2. ¶ Ad ult. resp. quod si sensus illius particule *non adiacentis* denotaret præcise negationem adiacentiæ adifica-

ret terminum absolutū, & destruet essentiam termini connotatiui, vt argumentum probat; at non denotat hoc; sed dicit negationem adiacentiam in re, cum adiacentia ex modo significandi; negando enim formam realiter adiacentem, significat formam, quæ per rationem adiacet; & sic optime explicat vltimum ad quod extenditur essentia termini connotatiui, & rectè ponitur in definitione, maioris explanationis causa.

12. Sed quia semper est difficile intelligere quomodo termini infiniti possint esse cōnotatiui, insitāt, quod talis terminus debet habere significatum formale, & materiale, at hoc non habent illæ negationes: ergo non sunt termini cōnotatiui. Prob. min. nam *ly non homo*, *ly non album*, ita dicitur de eo quod est, sicut de eo quod non est; sicut enim lapis est nō homo; ita etiam nihil est nō homo: at nihil non est subiectum, neque potest esse significatum materiale, neque illi potest aliquid adiacere etiā secundum modum significandi: ergo.

Resp. tamē, quod hi termini infiniti aliquid materiale ponunt, vt ait Arist. 1. lib. prior. cap. vlt. & aliquid formale, nempe ipsam negationem conceptam vt formam, quod & docet Arist. 2. perhierme. lectione prima, vt ibi notat D. Tho. ac perinde est terminus connotatiuus. Nec obstat illud, quod non habet subiectum cui adiaceat si dicitur tam de eo quod est, quam de eo

quod non est, & de ipso nihil: nam licet re ipsa non sint subiecta materialia cui possit adiacere negatio, secundum rationem sunt subiecta, hoc ipso, quod nihil, & alia non entia possunt esse subiectum propositionis, in qua prædicetur nomen infinitum, vt docet D. Tho. 1. perhierme. lect. 4. & potest videri M. Soto 2. lib. sumul. c. 1. not. 7. in fine.

13. Si iustes, in hoc distinguū negationem à priuatione; quod priuatio determinat subiectum, in quo sit, vel de quo dicatur: at negatio omnino tollit subiectum: ergo implicat, quod nomina negatiua, siue infinita quatenus distinguuntur à negatiuis, significent de materiali aliquid, ac perinde, quod ipsa negatio significetur connotatiue vt adiacens.

Resp. quod licet negatio philosophice, & in re, neget etiam subiectum, & omne materiale, at secundum apprehensionem illud importat, vt ait D. Thom. primo perhierme. lect. 4. distinguitur autem a termino priuatiuo, in eo quod ille tam ex parte rei, quam secundum esse apprehensum importat subiectum materiale, cui adiaceat forma quam dicit de formali. Sufficit autem ad rationem termini cōnotatiui, quod ex modo significandi, & secundum esse apprehensum importet terminus negatiuus, seu infinitus dico significata, alterum de formali, alterum vero de materiali.

14. Arg. 6. *ly non intelligibile*, cum non significet per modum per se factis, est terminus connotatiuus, & ta

men non verificatur de illo defini-  
tio, quod scilicet significet adiaceas  
aliquid, adhuc ex parte modi: ergo.  
Prob. min. *ly non intelligibile* nihil sig-  
nificat: ergo non verificatur de illo  
definitio. Prob. ant. si significat ali-  
quid: ergo vel omne illud, quod est  
intelligibile, vel quod non est intel-  
ligibile, neutrum horum: ergo. Prob.  
min. quodcumque ex illo duplici  
membro significet, sequitur verifica-  
ritas contradictorias; sed hoc im-  
plicat: ergo neutrum significat. Prob.  
min. quoad primam, nam si *ly non in-  
telligibile* significat omne intelligibi-  
le: ergo supponit pro omni intelli-  
gibile: & sic verum erit etiam, quod  
aliquid intelligibile est non intelli-  
gibile, & arguendo ab affirmativa  
ad negativam, de contradictorio præ-  
dicato, erit verum, quod aliquid in-  
telligibile, non est intelligibile. A-  
lias verum etiam est, quod omne in-  
telligibile est intelligibile: ergo si  
*ly non intelligibile* significat omne in-  
telligibile, sequitur verificari has  
duas contradictorias, nempe, omne  
intelligibile est intelligibile, aliquid  
intelligibile non est intelligibile.  
Quoad secundam vero partem prob.  
min. idem sequitur, nam si *ly non in-  
telligibile*, significat, quod non est in-  
telligibile, bene sequitur, quod res  
non intelligibilis est significabilis  
per hanc terminum, at quod est sig-  
nificabile est intelligibile: quia signi-  
ficatus per vocem, quod intelli-  
gitur: ergo erit verum, quod id quod  
non est intelligibile, est intelligibile.  
Hoc argumentum vocat M. Soto  
gracem Dialecticorum.

15 Ad hoc arg. resp. M. Soto, quod  
non sequitur vlla contradictio: quia  
*ly non intelligibile*, neque significat  
omne intelligibile, neque non intel-  
ligibile, neque pro his supponit; sed  
solum significat negationem intelli-  
gibilis, & hæc reuera est intelligibi-  
lis. Vnde ad arg. neg. min. ad prob.  
neg. ant. vel distinguitur; nihil sig-  
nificat reale, concedo; rationis ne-  
go: quia ipsa negatio vt aliquid con-  
cipitur. Ad prob. dicitur, neque sig-  
nificare omne intelligibile formaliter,  
neque non intelligibile; sed sig-  
nificare ipsam negationem intelligibili-  
tatis, quæ est in re non intelligibili.

16 Sed contra est: bene valet *ly nō  
homo* significat negationem homi-  
nis: ergo significat non hominem:  
ergo etiam valet *ly non intelligibile*,  
significat negationem intelligibilis:  
ergo significat non intelligibile: re-  
deunt ergo contradictoria facta. Tū  
etiam, *ly non intelligibile* est terminus  
connotatiuus: ergo debet significa-  
re aliquid de formali, & aliud de ma-  
teriali; & debet supponere pro ma-  
teriali: ergo sicut vere dicitur, quod  
nō homo non est homo, per regulam  
positam in argumento; ita etiam de-  
bet concedi, quod non intelligibile  
non est intelligibile; & tunc reddunt  
etiam contradictoria facta. ¶ Ad  
primam replicam resp. M. Soto, nō  
esse idem propter reflexionem, &  
amplitudinem illius negationis: ip-  
sa enim negatio intelligibilitatis in  
aliquo non intelligibili, est intelli-  
bilis: at negatio hominis non dicit  
reflexionem, neque illam amplitu-  
dinem.

finem, & ideo non est idem. ¶ Ad  
2. dici potest, quod *ly nō intelligibile*,  
neque supponit, neque significat  
nō intelligibile prout est in se, quia  
sic est nihil, & nihil vt tale, neque  
est significabile, neque verificabile  
ad sensum, & re ipsa: at significat nō  
intelligibile prout est intelligibile  
in apprehensione ei sic quasi suppo-  
nit pro illo lato modo sumpta sup-  
positione, & in statu reflexionis; nō  
autem directe, & hoc sufficere vly  
*non intelligibile*, sit terminus conno-  
tatiuus quasi reflexiue. Vide pro  
hac solut. M. Soto. cap. de appellat.  
lect. 2. ad 5. not. 2. & pro maiori ex-  
plicatione debet recurri ad solutio-  
nem præcedentis argumenti, vbi  
dictum est, quod negationes signifi-  
caræ in concreto secundum quod  
distinguntur à priuatione, non ha-  
bent materiale pro quo supponunt  
in re: sed solum in esse apprehensio.  
alias solutiones vide apud Huer.  
quia non vaccat singula ad vnguem  
discutere, ne in imensum produ-  
catur oratio absque villo limite. Sed  
tamen nota ex Caiet. 1. p. q. 2. ar. 1.  
*§. in resp. ad 2.* quod nomen signifi-  
cat res vt conceptus, at verbum sig-  
nificat eas prout exercitas; & ideo  
licet sit falsum, quod id quod existit  
non existit, non tamen est falsum,  
quod existentia non existit, quia id  
quod signare exprimitur per *ly exis-*  
*rentia* potest non existeret exercite;  
sic similiter, falsū est, quod id, quod  
non intelligitur intelligatur, aut  
quod non est intelligibile sit intelli-  
gibile, aut quod non potest intelli-

gi, possit intelligi; hæ enim sunt cō-  
tradictoriæ; at falsum non est, quod  
non intelligibile (signate) est intel-  
ligibile (exercite) quia cum varie-  
tur sensus de signato ad exercitum,  
& de nominali ad verbalem nega-  
tionem in his, in quibus potest esse  
reflexio, non est affirmatio, & nega-  
tio eiusdem de eodem, nec verifica-  
tur illa regula assumpta in argumen-  
to, ab affirmatiuo ad negatiuum, &c.  
Maximè vbi quod non est intelli-  
gibile directe, & ab intrinseco, & signa-  
te, possit reddi ab extrinseco, &  
exercite intelligibile, propter reflexio-  
nem.

17 Tandem solet obijci, quod *ly*  
*homo*, dictus de filio Dei supposita  
vnioue hypostatica, est terminus ab-  
solutus, & tamen significatur huma-  
nitas, vt adiacens supposito diuino:  
ergo diffinitio termini absoluti bo-  
na non est, cum non conueniat om-  
nibus absolutis; & diffinitio conno-  
tatiui, mala est, siquidem conuenit  
alijs à diffinito. ¶ Sed de hoc age-  
mus infra in hac disputatione dub.  
3. & ideo modo superledeo à res-  
poncione.

*Dubium secundum. An diuisio termini  
in absolutum, & connotatiuum  
sit bona, & qualis?*

*Prima Conclusio.*

1 **E**X dictis in disputationibus  
antecedentibus, facile cōstat  
hanc diuisionem esse bonā, & adæ-  
quatam. Nam diuisum est terminus

vniuocus: cathegorematic<sup>9</sup>; sed hic adequatè diuiditur in hæc membra diuidentia; nullus enim terminus talis, aut nō est terminus absolutus, aut non connotatiuus, & ratio absoluta est opposita cum ratione connotatiui, & omnes aliæ cōditiones bonæ diuisionis seruantur, vt consideranti constabit: est ergo hæc diuisiō bona, & adæquata.

*Soluentur argumenta.*

2 Arg. 1. *Lysanum* est termin<sup>9</sup> connotatiuus cum significet, vnam numero formam sanitatis communem pluribus, & eis adiacentem, & ea denominantem; & tamen cū sit analogum duorum conceptuū, etiā summulticè, est terminus æquiuocus: ergo diuisiō termini vniuoci, in hæc membra non est bona, sicut nō esset bona diuisiō animalis, in rationale, & irrationale, si daretur, rationale, vel irrationale, quod non esset animal. ¶ Præterea huiusmodi termini connotatiui, sunt termini denominatiui; at denominatiua condistinguantur ab vniuocis, secundū Arist. in antepredicamentis: ergo male diuiditur terminus vniuocus in terminum absolutum, & connotatiuum. ¶ Resp. tamen, quod *lysanum*, non est terminus connotatiuus, quia licet significet vnam formam adiacentem, tamen eam significat vt diuersimode adiacentē, nēpè intrinsecè principali significato; extrinsecè verò minus principalibus analogatis; cum tamen ad con-

notatiuum requiratur, quod vnam formam significet, & quoad rem, & quoad modum vnam. Vnde cum hoc analogum per se sumptū, stat pro famosiōni significato, tunc erit terminus connotatiuus; non tamen secundum quod absolute sumitur: vt abstrahit ab omnibus suis analogatis. ¶ Ad conf. Resp. quod denominatiua Dialecticè sunt vniuoca, etiā si logicè condistinguantur ab vniuocis, sicut etiam contingit in analogis vnius conceptus. Ratio est, quia logicus in coordinatione predicamentorum, & in antepredicamentis attendit ad rem significatam. At dialecticus in tractatu de terminis, solum attendit ad modum significandi, quod ex dictis in hoc tractatu satis constat.

*Secunda conclusio.*

3 Hæc diuisiō est subiecti in accidentia. Ratio est, quia cum ratio essentialis termini, sit ratio termini ordinabilis ad propositionem, quod non variat essentialiter in ratione partis, non variat essentialiter in ratione termini; sed tantum accidentaliter: at esse connotatiuum, vel absolutum non variat rationem partis formalis propositionis in ordine ad compositionem propositionis: ergo hæc diuisiō est accidentalis, seu accidentis in subiecta.



*Soluntur argumenta.*

4 Sed contra arg. quod Mag. Soto hic notab. 4. & in resp. ad 1. docet, quod hic terminus *homo* dictus de filio Dei, dicitur, & est terminus absolutus; alioquin (inquit) non diceretur uniuoce de Christo, & de alijs hominibus. Sentit ergo, quod huiusmodi specificè variat rationem terminorum: est ergo hæc diuisio essentialis, & generis in species.

Resp. tamen, non ideo negare Mag. Sot. quod *ly homo* diceretur uniuoce, diceretur de Christo connotatiue, & de alijs absolute, quia huiusmodi rationes sunt essentialis termino, in quantum termini sunt; sed quia necessario supponeretur, quod res significata Christo accideret, & alijs esset essentialis, quod euidenter argueret non uniuocam convenientiam inter Christum, & alios homines in ratione humanitatis. Sed eum hæc diuersitas se teneat ex parte rei significatæ, quæ non sufficit variare terminum essentialiter, nihil potest efficaciter, nec colligi contra nostram conclusionem, ubi agimus de hac diuisione, non in ordine ad rem significatam, sed in ordine ad terminum, & est pars composita propositionis.

5 Arg. 2. Conceptus absolutus & connotatiuus specie differunt in ratione conceptus, cum sint similitudines, & in agnes diuersi obiecti, at qui terminus vocalis dicitur talis in ordine ad conceptum mentis: ergo isti termini differunt essentialiter.

Resp. quod illi conceptus diffe-

runt quidem in ordine ad rem significatam, non uero in ordine ad componendam propositionem; ac perinde, voces non differunt essentialiter in ratione termini.

*Dub. 3. An regule, quæ ad hos terminos connotatiuos dignoscendos assignantur, sint recte traditæ?*

1 **D**Væ regule assignantur. Prima est, quando modus significandi termini exprimitur per *ly habens*; aut quodammodo habens, ut rationale, & album est terminus connotatiuus. ¶ Secunda, quando terminus supponit pro aliqua re, & eadem manente, potest non supponere, est terminus connotatiuus, ut illuminatum, quod in die supponit pro aere, & eodem manente, in nocte non supponit pro illo.

*Unica conclusio.*

2 Dicendum tamen, quod prima quidē regula verificatur de omnibus connotatiuis, sed non totis illis conuenit; secunda uero conuenit solis connotatiuis, non tamen omnibus, sed solum significantibus accidentibus inmutabile. Et quidem primam regulam acceptant omnes illi, qui cum nostro lauello dicunt, omne concretum, uel substantiale, siue accidentale esse terminum connotatiuum; sic ille tract. 2. cap. quem plures Neotherici ex societate sequuntur; sed oppositum est dicendum. Ratioque est, nam omne concretum etiam substantiale explicatur per *ly habens*, v. g. *homo*, qui significane

ut quod, & significant ens completum; de quo videndus est D. Thom. Opus. 69. lect. 2. & 1. par. quest. 32. art. 2. & 7. Metaphis. lect. 5. in fine; & tamen certum est, quod huiusmodi concreta significant per modum per se stantis absolute: non ergo conuenit solis connotatiuis, explicati per *ly habens*, etiam omnibus illis competat, quia significant formam accidentalem in concreto, vel si non significant formam accidentalem in re, eam tamen significant ut accidentalem ex modo concipiendi.

3 Quod verò posse supponere, & non supponere pro 2<sup>a</sup> qua re, ipsa manente, non omnibus connotatiuis competat, et si solum de illis verificetur. Prob. quia risibile est connotatiuum, & tamen nequit supponere, & non supponere pro homine ipso manente, & tamen verificatur de connotatiuis significantibus accidentibus transmutabile: alias autem, quod non est terminus connotatiuus non significat formam in subiecto: ergo non potest ratione formæ supponere quandoque pro subiecto, & quandoque non supponere, eo ipso supposito manente: ergo hæc regula solis conuenit connotatiuis, licet non congruat omnibus.

*Soluantur argumenta.*

4 Contra primam regulam arguunt aliqui, quod *ly sapientia*, *ly prudentia*, & alia huiusmodi, sunt termini abstracti, & significant ut quo; & tamen sunt termini connotatiui,

quia connotant sua obiecta, & tamen non possunt explicari per *ly habens*, quia hoc solum competit his, quæ habent significari, ut habentia esse ut quod: ergo illa prima regula non competit omnibus connotatiuis.

Sed tamen facile responderetur, quod non sunt connotatiua, quia non dicunt ordinem ad subiectum, neque illud concernunt tanquam significatum materiale, quod requiritur ad connotationem, de qua hic fit sermo, ut dicebamus dubio primo; sed dicunt illum ordinem ad obiectum tanquam ad terminum suæ specificationis, quod proprie non est connotare in sensu summulistico.

Quod si contumaciter quis teneat, quod illi termini sunt connotatiui, concedere cogeretur, quod sapientia habet ordinem ad obiectum, & sic quodammodo habet esse ut quod; sed hic improprie loqueretur. Vide Ioan. à S. Tho. hic lib. 1. cap. 4.

5 Arg. 2. contra secundam regulam. Iste terminus *homo* cum dicitur de filio Dei est terminus absolutus, & tamen potest supponere, & non supponere pro supposito eiusdem verbi diuini, manente eodem supposito, in casu quod dimitteret humanitatem assumptam: ergo illa regula non conuenit solis connotatiuis.

¶ Dimissis alijs solutionibus resp. negando, quod maneret idem pro quo ille terminus per se supponebat formaliter, nã supponebat pro suppo-

supposito humano ut quod, & hoc constat ex humanitate, & verbo illi unito; dimissa autem humanitate, nullo modo manet suppositum humanum, ac perinde, nec manet illud pro quo supponebat: sicut ly Petr<sup>9</sup> separata anima a corpore nō supponit pro Petro, quia iam non manet illud individuum, quod integrabatur ex materia, & anima. At ly *album* non supponit pro coniuncto ex corpore, & albedine, sed precise pro corpore, & albedo te habebat solum pro conditione, ac perinde sublata albedine non supponit albam pro corpore, & tamen manet id pro quo supponebat, & sic supponit, & non supponit pro aliquo manente illo, & est vere terminus connotatiuus (quo obuiamus cuiusdam tacite objectioni.) Vel dic, quod regula intelligitur quando terminus significat formā, quæ adiacet aliam, tanquā subiecto, vel ad modum adiacentis intelligitur; cum autem humanitas non adiacet Filio Dei, & terminus *homo* possit supponere, & non supponere pro illo, tamen non est connotatiuus, nec de illo intelligitur regula. Vide alias solutiones apud Huer. hic q. 11. art. 1. ad 2. & apud Ferrar. 4. Contrag. cap. 55. & vide pro secunda solutione D. Tho. 3. p. questione secunda artic. 6. ad 2.

& Thomitas ibidem.

Dub. 4. *An terminus connotatiuus habeat duplex significatum, aliud materiale, aliud formale, vel quodnam ex illis principaliter importetur?*

1 **C**irca materiam huius dubij triplex versatur sententia. Prima asserit huiusmodi terminos, & maximè concreta accidentalia, nedum supponere pro solo materiali, seu subiecto formæ adiacētis, sed illud solum significare. Ita ut forma solum sit conditio quædam exercitè, seu in exercicio significata. Sic Auicena 6. natural. p. 1. cap. 2. nec longè abest ab hac sententia Aureol. in 1. dist. 4. q. 1. art. 4. Secunda sententia tuetur, quod terminus connotatiuus solum significat formā, non quidem in abstracto, sed in concreto, & sic idem significat concretum, & abstractum accidentale, cū sola forma sit adæquatum significatum, sed tamen differunt in modo significandi illam: in neutro tamen casu significatur materiale. Sic Cai. 1. p. q. 18. art. 1. ad 1. & cap. vlt. de ente, & essētia; & c. de gen. in princ. Saar. dist. p. 39. met. sec. 1. nu. 12. Sanchez. Sedenio q. 3. de antepred. lib. 4. & lib. 5. q. 2. Rub. in antepredic. c. 4. q. 2. & c. de subst. q. 3. dub. appēd. Tertia, & cōmuniter sēt. asserit, cōnotatiuum utrāq; significare, sed magis principaliter, & indirecto, & determinate formā, at indirecte determinate nō principaliter, in obliquo, seu cōsignificatiuè subiectū, seu materiā, in qua adiacet talis forma.

Sic Averroes 5. metaph. tex. 14.  
 Alen. ibi. Magnus Albert. 5. meta.  
 tract. 1. cap. 11. Capreol. in 1. dist.  
 4. q. 1. art. 1. Durand. in 1. dist. 34. q.  
 2. Greg. ibi dist. 8. q. 2. art. 4. Ferrar.  
 1. Cōtrag. cap. 30. M. Soto, & Bañ.  
 hic Huett. lib. 1. sent. q. 11. artic. 2.  
 RR. Ioan. à S. Tho. lib. 1. Sum. cap.  
 4. & M. Mart. de Prado ibidē cap.  
 6. Nouissimē autē P. Lincaus li-  
 bro 3. Dialecticæ tract. 3. cap. 3. nu.  
 26. & 27. sequitur Fonseca, 5. meth.  
 cap. 7. q. 5. lect. 4. asserit, quod et si  
 concreta accidentalialia naturalia, pri-  
 mario significant formam, & secun-  
 dario subiectum, tamen concreta  
 accidentalialia, artificialia utrumque  
 ex æquo significare, & importare  
 ex parte rei significatæ.

*Prima conclusio.*

2. Termini connotatiui nō sig-  
 nificant solum materiale, nec for-  
 ma se habet per modum conditio-  
 nis exercitæ. Sic D. Tho. locis citan-  
 dis, in quibus asserit, quod huiusmo-  
 di concreta, principaliter, & prima-  
 rio significant formam accidentaliter,  
 & subiectum solum ex conse-  
 quenti. Prob. album v. g. solā sub-  
 stantiam significat vt substat albedi-  
 ni, non significando albedinem: er-  
 go adæquatè significat substantiam,  
 quæ per se stat, & per se substat: er-  
 go album esset terminus absolutus,  
 & non esset terminus connotatiuus.  
 Conseq. patet ex definitionibus, &  
 quia, quod substat, ideo substat a-  
 lijs, quia per se stat, alioquin non es-  
 set per quod accidentia subsistant.

Si dicas: non esse terminum ab-  
 solutum, quia absolutus absolute sig-  
 nificat rem, quæ per se stat in se; at  
 album non curat formaliter de per  
 se stantia in se, sed significat, quod  
 substat accidenti adiacenti. Con-  
 tra est, tum, quia hæc responsio iam  
 admittit importari ibi adiacentiā  
 accidentis, saltem secundario: nam  
 per quod adæquatè distinguitur ter-  
 minus connotatiuus ab absoluto de-  
 bet significari ab ipso termino; at  
 distinguitur per hoc, quod sit id cui  
 adiacet accidens: ergo illud impor-  
 tat ex parte rei significatæ. Prete-  
 rea, album mouet ad formandū cō-  
 ceptum ex præsupp. de albedine: er-  
 go significat albedinem. Prob. ant.  
 album distinctum conceptum ha-  
 bet, ac quantum; at potest non ha-  
 bere diuersam substantiam ex par-  
 te materialis subsistentem; ergo si  
 in his concretis adæquatè solum sig-  
 nificaretur subiectum, & nō forma,  
 idem conceptus formaretur per ly  
 album, & per ly quantum, quando quā-  
 titas, & albedo insunt eidem subie-  
 cto.

*Soluntur argumenta.*

3. Sed contra hanc conclusionē  
 arg. album, v. g. & idem est æquoli-  
 bet alio termino connotatiuo solū  
 supponit pro subiecto, & non pro  
 forma, vt infra dicitur: ergo solum  
 significat subiectum, & non formā.  
 Prob. conseq. supponit propriè pro  
 subiecto: ergo solum significat pro-  
 priè subiectum (at formam non sig-  
 nificat improprie, vt a nobis admi-  
 titur: ergo nullo modo significat il-  
 lam.)

lam.) Prob. conseq. suppositio propria est acceptio termini, pro eo, quod proprie significat, vt constat ex eius definitione: ergo si solum supponit proprie pro subiecto, & nullo modo pro forma, signam est, quod solum subiectum significat; si autem formam proprie significaret, non esset eius pro illo non supponeret.

4. Reso. hinc solum probati, quod connotatiuus terminus nedi formam significat, sed etiam significat substractam formam; non vero quod solum significet materiale: nam etiam ad suppositionem propriam, requiritur significatio propria: non tamen supponit terminus pro omni illo, quod significat proprie; plura enim requiruntur ad suppositionem, quam ad significationem. Quod ex dicendis clarius constabit.

#### Secunda Conclusio.

5. Terminus connotatiuus non significat solum formam, vt actu adiacentem subiecto, & illi unitam, neque sola forma est totale, & adaequatum significatum, sed etiam subiectum, inquit, & est significatum partiale. Prob. quia secundum D. Tho. ratio quam significat nomen est definitio, seu hoc idem significat nomen, quod explicat definitio; at definitio albedinis in concreto explicat eius essentiam per substractam positam loco generis: ergo hoc idem significat concretum accidentale. Prob. conseq. nam definitio explicat complexam eandem naturam dif-

finiti, quam explicat nomen incomplexum, & sic nomen incomplexum dicitur definitum: ergo idem significatur per nomen incomplexum res definita, ac per ipsam definitionem: at definitio albi significat corpus habens albedinem: ergo etiam album significat corpus.

Sed dicat, quod definitio accidentis in concreto definit naturam accidentis per additamentum, nempe per aliquid, quod est extra essentiam generis, & accidentis definiti, & per consequens, ex quo definitio significet corpus, non sequitur, quod illud etiam significet album, quia album, vt pote nomen incomplexum, solum habet vnum conceptum in mente representantem rem incomplexam, seu naturam incomplexam; ac perinde tale nomen solum significat ipsam formam unitam subiecto, non vero ipsum subiectum: alioquin in mente tam esset conceptus complexus, qui correspondet illi termino *album*, ac qui correspondet illi termino *conceptus album*. Alias autem secundum M. Sotum, complexio, vel incomplexio termini vocalis, non tam additur penes sonum vocum, quam penes conceptum, & ideo si haec littera A, imponeretur ad significandum hominem album, eadem littera esset terminus complexus; ergo vel est dicendum, quod omnis terminus connotatiuus est terminus complexus, quod falsum est, vel est negandum, quod terminus connotatiuus significet materiale.

6 Sed contra est, quod terminus connotatiuus significat naturam accidentis in concreto, & non in abstracto, ita vt illi correspondeat tanquam diffinito, diffinitio accidentis in concreto: ergo sicut talis diffinitio explicat naturam diffiniti per additamentum abstracti; ita etiam ly *album*, verbi gratia, significat naturam illam accidentis significando additamentum. Prob. conseq. nā diffinitio illud idē explicat per genus, & differentiam, quod significatur per terminum in complexū explicantem naturam diffiniti.

Conf. & explicatur. Diffinitio accidentis in concreto non explicat naturam diffiniti, quatenus tale accidens diffinitum significatur in abstracto, sed quatenus significatur in concreto, ideoque ponit subiectum longo generis, quia alias non explicaretur, quod latet in termino incomplexo significante naturam diffiniti: nam quod implicite continetur in termino incomplexo ex parte rei significatur hoc exprimit diffinitio quid rei, per partes reidiffinitę, siue intrinsecas, siue extrinsecas; ergo si diffinitio albi explicite significat subiectum, etiā ly *album* idem significabit. ¶ Cōf. s. diffinitio, quid nominis, explicat significationem nominis; at diffinitio quid nominis albi est corpus habens albedinem: ergo ly *album* significat corpus habens albedinem.

Nec illud de complexione vrger. Quia ly *album* habet vnum conceptum in mente, & est terminus in

complexus: nam etsi significet idē, quod corpus album, tamen diuerso modo significat illud album, nāque significat illud concretum substantiue, vt constat in corpore, & albedine, & sic correspondet illi vnus conceptus tantum in mēte: at corpus album significat idem adiectiue, ac perinde non tam significat vt vnum, quam vt duo cum aliqua habitudine substantiui, & adiectiui, & ideo ob diuersum modum significandi est terminus complexus, & correspondet duplex in mente conceptus: non ergo sequitur illud dilemma, scilicet, quod vel ly *album* est terminus complexus, vel non significat materiale; sed solum sequitur, quod incomplexè significat vtramque.

7 Si istes efficaciter, etiā si abstractum, v.g. albedo non significet materiale, tamen in diffinitione albedinis intrat corpus in obliquo; dicimus enim, quod albedo est color corporis disgregatiu<sup>s</sup> visus, & quod simitas est curuitas: ergo etiam si ly *album* non significet corpus, poterit intrare in diffinitione accidentis in concreto. Nec obstat dicere, quod in hoc secūdo casu intrat corpus in recto; in primo autem in obliquo; vt de denotetur, quod in primo casu nō significatur corpus per abstractum, & in secundo significatur. Nam contra est, quod ly *album* non significat in recto corpus, adhuc in nostra sententia, & tamē ponitur in recto in diffinitione albedinis in concreto: & tamen ibi ponitur

tut forma in obliquo, & tamen nō significatur in obliquo per album: non ergo potest colligi ex diffinitione, an significetur, vel non significetur subiectū in termino incomplexo. Siquidem si ex modo quo ponitur in diffinitione, non colligitur eodē modo significari, neque ex quo significetur in obliquo, colligitur significari, cur quia ponitur in recto debet colligi, quod corpus significetur per *ly album*?

8 Resp. tamen, quod per poni aliquid in obliquo in diffinitione, non bene colligitur; quod significetur per terminum incomplexū significantem naturam rei diffinitæ, quia potest poni sic in diffinitione, vel ad denotandum, quod se habet vt terminus à quo, vt in diffinitione accidentis in abstracto, & sic non arguit, quod corpus significetur per albedinem, v.g. vel potest poni, modum quæ habet forma diffinita, & sic ponitur forma in obliquo in diffinitione accidentis in concreto, quia forma adiacet subiecto, & ab illo subsistit, & in eo casu cū res diffinita sit forma, debet poni in obliquo, vt ostendatur naturam accidentis consistere in esse. At ex quo ibi ponatur subiecto in recto, ex vna parte inferitur, quod significetur per *ly album*, & ex alia colligitur, quod non significetur in recto. Ratio est; quia ibi ponitur subiecta vt genus per additamentum existens extra predicamentum formæ diffinitæ, tanquā sustentans eadem formam; ac perinde, & debet in recto poni

in diffinitione explicante modum essendi, quem habet forma, & debet tale subiectum non in recto significari in termino incomplexe significante naturam talis formæ. Unde quia in abstracto respicit accidens subiectum tanquam quid extrinsecum, ponitur subiectum in obliquo in diffinitione, & non significatur in nomine abstracto; at cum significatur in concreto respicitur vt dans esse intrinsecum, & ideo significatur.

9 Secundo prob. rat. D. Tho. 5. metaph. lect. 9. & 1. physic. text. 35. per concretum terminum connotatiuum significatur esse, quod habet accidens in subiecto; sed hoc intelligi nō potest non intellecto subiecto: ergo nec significari potest nō intellecto subiecto. Probatur minor: subiectum dat esse accidenti ab intrinseco. at effectus causæ intrinsecè intelligi nō potest nō intellecta causa intrinseca: ergo si per terminum concretum significatur esse, quod habet accidens in subiecto, quod est in esse, nō potest nō significari per illud, subiectum accidentis.

10 Tandē prob. *ly album* supponit pro subiecto suppositione propria: ergo significat illud. Cōseq. est bona; quia licet non valcat, significat: ergo supponit; tamen bene valet è cōuerto supponit: ergo significat: quia suppositio est acceptio termini pro eo, quod proprie significat.

*Soluantur argumenta.*

11 Sed cōtra arg. ex Arist. cap. de subst. text. 7. vbi ait, quod *albū* solum qualitatem significat: ergo nō significat subiectum, aliās ea exclusiua esset falsa. Et hanc autoritatem adducit D. Tho. & approbat in 1. dist. 18. q. 1. art. 2. ad 5. & 5. metaph. lect. 9. & 7. metaph. lect. 1. & in disp. q. de vnione verbi art. 3. ¶ Resp. quod secundum Sotum, & Bañ. locis citatis, in Græco non habetur sic; sed quod album solum quale significat, vbi in illo concreto significatur, quod non significat subiectū determinatē, sed solum ratione albedinis; ac perinde solam qualitatem de formali, & per se, subiectum vero materialiter, & ratione albedinis, & in hoc sensu verificatur illa exclusiua, quod album solam qualitatem significat de per se, & primario, determinatē, in recto formaliter, hoc tamen non excludit, quin de materiali, etiā significet, seu con significet subiectū, in quo sensu admittitur ea autoritas à D. Tho. & à Capreolo locis iam citatis, & nō aliās, vt intuenti cōstabit; ibi enim clarē dicit D. Tho. quod ex consequenti significat materiale, & hanc esse Arist. mentem: ait enim ideò dictum, quod album solam qualitatem significat: quia subiectum non significat cathegorematicē, sed cō significat quasi syncathegorematicē. Vide D. Tho. 5. metaph. lect. 9. & quæst. illa de vnione verb. art. 3. ad 5. & 1. phys. tex. 35.

12 Arg. 2. *ly album* v. g. non potest expresse, & explicitē significare corpus: ergo non significat illud. Prob. conseq. nam quia homo solū implicitē, & inconfusio significat rationale, non dicitur, quod illud significat absolutē. Antecedens vero prob. nam si *ly album* significat explicitē corpus, & albedinem, idem terminus significaret aliquid per modum per se stantis, nēpē corpus, & simul significaret albedinē, quæ adiacet per modum alteri adiacentis: esset ergo simul sub eadem significatione terminus absolutus, & terminus connotatiuus, quod esse non potest; quia sunt diuersæ rationes, sicut nequit idem esse albū, & dubio sub eadem ratione. Sed nunc solum agimus de significatione termini connotatiui, vt tale: ergo *ly album* inquantū terminus connotatiuus, non significat materiale, sed solum formam vt actū adiacentem. ¶ Præterea, materiale termini connotatiui, in hoc termino genus, vel species, vel potest esse quādoque eas reale, vel potest esse ens rationis (supervtrumque enim potest fundari huiusmodi forma secundæ intentionis, vt cuique peruium est) at nequit idem terminus eadem significatione vniuoca representare ens reale, & rationis, cum ex se non habeant conuenientiam vniuocam: ergo hæc connotatiua, genus, species, & alia huiusmodi non significant materiale.

13 Resp. in primis, quod nō est  
idem

idem significare aliquid cōfusse, ac non significare: iam *ly ens*, licet confusè; actu tamen significat, & repræsentat modus, alioqui cōceptus entis non esset analogus, sed vniuocus logice, quod contendit Scotus, & negant vnanimiter Thomistæ; & conceptus hominis actu repræsentat quidditatem, ac perinde actu repræsentat rationalitatem; & sic *ly album* potest actu significare materiale. Sed tamen ad rem dico, quod *ly album* actu explicitè repræsentat subiectum, non quidem sub ratione explicita corporis, sed sub ratione sustentantis albedinem, vt est formale subtractum illius accidentis, quod bene, & congrue explicat in præsentia Huertos. Vnde ad arg. nego antec. vel dist. non repræsentat expresse materiale vt subtractū est, nego; sub alijs rationibus; concedo.

Ad prob. resp. quod *ly album*, non significat materiale per modū per se stantis in recto, sed vt substat, & in obliquo, & ideo non est simul terminus absolutus, & connotatiuus, sed solum terminus est connotatiuus quia de ratione termini absoluti est in recto primo, per se, & principaliter significare adæquatè aliquid per modum per se stantis: at terminus connotatiuus significando primario, & in recto aliquid per modum adiacentis, significat in recto id cui adiacet, non vt per se stat præcisè, sed vt substat, & hoc in obliquo; & sic sufficiēter saluatur differentia, quam habet à termino pu-

rè absoluto. ¶ Ad 2. prob. resp. quod cum terminus connotatiuus, v. gr. *ly genus*, *ly species*, non significant materiale, vt est in linea entis, sed, vt substant prima ratio se habet materialiter omnino, & secunda se habet formaliter, & perinde possunt ens reale, & rationis conuenire vniuoce in ratione substandi, etsi non conueniant vniuoce, nec possint vnico conceptu repræsentari, secundum quod habent in esse entis, sicut quæ non cōueniunt vniuoce in esse entis, possunt vniuoce conuenire in esse scibilis; quia aliunde sumitur vnum, & alterum genus, & in ordine ad diuersa extrema: non ergo probat argumentum aliquid contra nos. Alia vide apud Huertos.

*Tertia conclusio.*

14. Terminus connotatiuus nō significat æquè primo, & in recto materiale, & formale, adhuc in cōcretis accidentalibus artificialibus, sed primo, & per se formale, & secundario, aut ex consequenti materiale. Prob. prima pars ratione D. Tho. 5. metaph. lect. 9. nam cū materiale, & formale, etiam artificialis fiat res diuersorum predicamentorum, si æquè primo repræsentaretur, sequeretur, quod concretum accidentale, artificiale repræsentaret plura vt plura: ergo esset æquiuocus, quod nemo dixerit. Tum etiā, hoc concretum *album*, vel hoc concretum *domus*, non significant vñ ens per accidēs, sed vnum ens cum aliquo ordine, & vnitate, at eam habent

bet omnēs eius partes in ordine ad formam: ergo non significat materiam ex se, & in recto, sed ratione formæ, sicut numerus significat omnes vnitates ratione vltimæ vnitatis, quæ est forma: ergo non ex æquo, & in recto, & inordinate, sed per modum vnius: ergo significat vtrumque vt faciunt, sed ex duobus entibus in actu, prout in actu nõ sit vnum, sed requiritur, quod vnũ ratione alterius subsit vt ex illis fiat aliquomodo vnum: ergo nullũ concretum accidentale, etiam artificiale significat vtrumque in recto.

15 Imò mihi difficilius est, quod concretum artificiale significet vtrumque in recto, quam concretum aliud naturale artificiale; nam cum artifex sit agens limitatum, agit propter finem limitatũ, & omnia propter illum: ergo non assumit materiam, neque circa illam negotiatur, nisi propter determinatam formam artis: ergo illam intendit in recto: ergo illa habet esse effectus: nam finis actionis dat esse effectui actionis: ergo cum terminus significat naturam rei vt est in se, si concretum artificiale, vt tale strictũ habet esse à forma artificiosa; fiet consequens, quod hæc sit primario, & magis per se significata, & quod materiale non nisi ratione formæ significetur: ergo eiusmodi concreta artificialia non significantur in recto, & per se, sed magis in obliquo, & minus principaliter, quam in alijs concretis accidentalibus naturalibus, vbi materiale ha-

bet posse ordinari, ad minus limitatum finem, & formam.

16 Secunda vero pars conclusionis, quod scilicet termini connotatiui, principaliter, & per se, primario significant formam in concreto, & materiale indirectè de secundo, & connotatiuius, est sententia expressa D. Tho. 5. metaph. lect. 9. Et in 1. dist. 18. q. 1. art. 2 ad 3 & 7 metaph. lect. 1. & q. de vnione verbi art. 3. ad 5. Et prob. tum, quia hic terminus *album* secundum Arist. & idem est de alijs connotatiuis, significat prædicamentũ accidentale; sed huiusmodi concreta secundum Arist. & D. Tho. tum 5. metaph. lect. 9. tum de ente, & essentia cap. vlt. ponuntur in prædicamento ratione formæ, quia ratione illius habent totam essentiam concreti accidentalis, & subiectum est extra genus, & prædicamentum formæ: ergo primo, & per se significat illud concretum formam accidentalem, nõ vero substratum. ¶ Conf. illud concretum album non significat materiale ratione sui, sed ratione formæ accidentalis; quod patet, tum ex dictis, quia nõ significat substratum secundum se, sed vt subsistat formæ: tum, quia denominatio est à forma: at denominatio fit à forma, & propter quod vnumquodq; est tale, & illud magis: ergo si substratum non significatur, nisi vt denominabile, & informabile à forma; fit consequens, quod magis significetur forma, & principalius Alias rationes apud alios vide, & no

ta tenetur hanc esse mentem Caiet. & aliorum, qui citantur pro secunda sententia, præter Auicem.

*Soluantur argumenta.*

17 Sed cōtra primam partē cōclusionis argu. Quia audita hac voce navis, vetis, domus, determinate intelligitur, quod illa sit lignea, hæc lanca, altera ex calce, & trabibus, lateribus, lapidibusque compacta: nā si hæc fiant ex papiro, aliave materia, erant secūdum quid, improprie, & analogice talia: ergo hæc concreta artificialia in recto, & determinate significant materiale, sicut & formale.

Respond. facile, significare illa omnia, ex consequenti & in obliquo, non in recto, quia forma illa artificialiosa non saluatur in ordine ad finem, ad quē artificiatur, nisi in illa materia determinata; ac perinde cum illa concreta significat, & determinent eam materiam, non ratione sui, sed ratione formæ, significant eam materiam, non secundum se, & ratione sui, sed ut apta est ad formam & ratione illius: ergo formam in recto, & ratione sui significat tale concretū; materiam vero cum significat, & ex consequenti minus principaliter, in obliquo, & non ex quo cum forma, quæ est mens D. Tho. locis citatis, ubi in discriminatione ponit exempla in concretis accidentalibus, & naturalibus, in albo, & musico; ut intuenti patebit.

18 Arg. 2. contra secundam partē conclusionis. Idem significat diffinitio, & diffinitum, ut significatum in complexè; sed diffinitio horum concretorum, in recto, & magis principaliter significant materiale: ergo hoc idem significat principaliter terminus connotatiuus, significans in complexè diffinitum. Respondent aliqui, quod ex quo substractum ponatur loco generis, non sequitur significari principaliter, quia genus nō est pars principalior diffiniti.

Sed contra est, quod si hæc ratio suaderet, convinceret, quod forma accidentalis in abstractio significata, non est principale significatū abstracti, quia ponitur loco generis in diffinitione accidentis in abstracto. Præterquam quod in nostro casu materiale substractum, nedum ponitur in diffinitione loco generis, sed ponitur in recto; cum tamen forma ponatur in obliquo: connotat autem principaliter significari, quod in ponatur in recto, quam quod in obliquo: ergo si standum est in paritate facta, connotatur, quod principaliter significatum est materiale.

19 Qua propter relinquitur illa evasione, quæ frivola est, loquendo de diffinitionibus concretorum accidentalium, recolenda sunt quæ dixi ante. & in solutionem facta obiectionis adaptata.

20 Arg. 3. Concreta nemine secundum quod distinguuntur ab abstractis, inventa sunt ad significandam compositionem ex subiecto,

& accidenti, sicut abstracta ad significandas formas simplices; sed compositio accidentalis principaliter oritur à subiecto, & minus principaliter à forma: ergo nomina concreta principaliter significant subiectum. Prob. min. quia subiectum dat esse formæ absolute, & simpliciter; forma autem non nisi secundum quid: ergo compositio, quæ habet esse per esse compositorum in unum cōiunctorum principaliter oritur à subiecto.

Resp. quod concreta accidentalia in primis non significant primario ipsam compositionem; sed formam in concreto, sicut definitum in definitione non est compositum, quia hoc habet esse ens per accidens, ut ait D. Thom. de ente, & essentia cap. ult. Sed forma ipsa in concreto, seu secundum quod, habet esse in subiecto, & sic intrat subiectum tantum in obliquo. Unde 2. dico, quod huiusmodi concreta, non significant compositionem illam in esse entis (sic autem principalior pars est subiectum, quod est substantia) sed compositionem accidentalem denominatiuam, & sic principalior pars componens, unde oritur omnis illa denominatio est forma, à quo totum denominatur, & sic forma est quæ principaliter denominatur.

21 Arg. 4. Album potest supponere simpliciter, in hac propositione, *album est species colorati*, vel *album est individuum*; sed supponitur pro materiali, & non pro forma

li, ut omnes admittunt: ergo primo & per se significat materiale, & non formale. Prob. consequens nam suppositio est acceptio termini, pro eo quod primo, & per se, & formaliter significat: ergo si *ly album* supponit simpliciter pro materiali, hoc est, quod primo, & per se significat, & non pro formali.

Resp. quod album habet duo significata materialia, unum remotum, aliud proximum, unum secundum quod est ens, & alterum ut stat sub forma, & hoc secundum se habet ut formale ad alterum. Et sic supponendo pro hoc secundo materiali, supponit simpliciter, quia accipitur pro eo quod formaliter significat, quatenus possibile est, quod supponit. Vel dic, intelligi regulam, quod accipitur pro eo quod primo significat, vel in ordine ad quod primo significat, & cum primum quod significat terminus ille sit forma, & in illa propositione supponat pro materiali ut substat formæ verificatur, quod supponat simpliciter pro materiali.

#### Quarta Conclusio.

22 Terminus connotatiuus tantum supponit pro materiali, non vero pro formali. Hæc conclusio est communis inter Thomistas; estque Magistri Soti cap. de genere quat. unica artic. 1. quia suppositio est acceptio termini iuxta exigentiam copulæ, ita ut attribuatür prædicatum subiecto, quatenus verificatur secundum copulam verbalem; hæc autem vel est verbum substantiuum,

vel

vel adiectiuum, significans actionem, vel passionem: at copula non verificatur de eo quod habet esse vt quod, sed solum de eo quod habet esse vt quod, quia tam esse, quam operari sunt suppositorum; non autem formarum; at solum subiectam habet esse vt quod: ergo solum potest supponere terminus connotatiuus, pro materiali subiecto; non autem pro forma accidentali.

*Soluantur argumenta.*

23 Sed contra arg. 1. In vera propositione subiectum supponere debet pro eodem ac predicatum: sed in his propositionibus, *genus formaliter est secunda intentio: album formaliter est color*, predicata supponunt pro formali: ergo & subiectum, at ille est terminus connotatiuus: ergo hoc supponit pro formali.

Conf. Nam terminus connotatiuus supponit pro materiali, non vt eumque, sed vt fiat sub forma, & ratione illius accipitur, at propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ergo magis supponit pro formali.

Resp. quod ratione illius sine thegorematis formaliter; terminus ille connotatiuus æquualet abstracto, & fit virtualiter, & æquualementer terminus abstractus, sicut si articulus *hic*, addatur termino communi, fit singularis, vt cum dico, *hic homo*.

Ad confirmationem respondetur, quod stare sub formali, licet fit

materialis ratio significandi, tamen non est ratio, sed conditio supponendi; & ideo non legitur, quod magis supponat pro formali, sicut ignis non vrit nisi vt existens, & tamen existentia non magis vrit. Præterquam quod innumeræ conditiones requisitæ ad illam maximam videntur sunt apud Caietanum, & alios 1. poster. quæ hic non verificantur, quamuis verificentur in sensu quo ego vsus sum hoc axioma ad nicæ inestum, ad ostendendum, quod terminus connotatiuus, magis significat formale, quam materiale, vt sedulo perpendenti facile illucebit.

24 Arg. 2. In hac propositione, *album fuit currens*, subiectum est terminus connotatiuus, & tamen supponit pro formali: ergo terminus connotatiuus non tantum supponit pro materiali. Prob. ant. Illud subiectum debet resolui sic. Hoc fuit currens, & hoc est, vel fuit album: ergo vt illa prima propositio sit vera, debent etiam istæ esse veræ, sed nequit verificari, *quod hoc est, vel fuit album*, nisi predicatum supponat pro formali, alioquin restaret noua resolutio circa illum terminum album: ergo.

Resp. quod cum in prima propositione predicatum supponat pro supposito, quia non est curius ratione albedinis, sed ratione habentis eam; fit quod etiam in alijs propositionibus debeat fieri tota resolutio ratione materialis, & non ratione formalis, ratione cuius non est

resolubilis; nam si ratione formalis reslueretur, potius falsificaretur, quam verificaretur propositio, & per consequens non probatur, quod aliquando terminus connotatiuus supponat pro forma.

### DISPUTATIO III.

*De terminis primæ, & secundæ intentionis.*

*Dubium primum. An diffinitiones terminorum primæ, & secundæ intentionis sint exactæ?*

**T**erminus primæ intentionis diffinitur sic. *Est, qui significat aliquid secundum id quod habet in re; ut homo, lapis.* Terminus verò secundæ intentionis diffinitur sic. *Est, qui significat aliquid per id, quod habet per ordinem ad conceptum mentis, ut ly species, ly nomen.* Inquiritur, an istæ diffinitiones, quas tradit M. Soto de sumptis ex D. Tho. opusc. 42. cap. 12. sint exactæ diffinitiones, cum sint quedam principia complexa, probari nequeunt; possunt tamen explicari, & defendi, ideoque a primo supercedeo. Pro 2. vide Caiet. cap. de genere, & D. Thom. q. 7. de pot. art. 9. Pro 3. proponam argumenta, & illis satisfaciam. De quo etiam videri potest Huert. cap. 8. q. 12. art. 1.

*Solventur argumenta.*

**1.** Nominales quorum hic meminit Mag. Soto, inter quos etiam Ioan. Mai. in introductione Dialecticæ, has diffinitiones spernunt, & alias ridiculas statuunt; & licet ipsi nihil momenti afferant contra nos-

tras diffinitiones, potest tamen contra illas argui primo. Termini significantes negationes, & priuationes pro formali, v. g. cæcum, aut non ens sunt termini primæ intentionis, ut communiter admittitur, & tamen de formali significant aliquid rationis; sunt enim termini connotatiui significantes formam rationis, quæ convenit rebus, non secundum id quod habet in re, sed per ordinem ad conceptum mentis: ergo utraque diffinitio est mala, prima, quia non verificatur de omni termino primæ intentionis, secunda, quia convenit alijs à definito. Ant. 1. probatum, quia illa forma rationis quam de formali significant illi termini, non est secunda, sed prima intentio. Tum, quia non est secundus conceptus, qui habetur de re, sed primus, si quidem quam primum auditur ea vox, cæcum, dextrum, sinistrum, non ens, non lapis, concipitur ibi pro formali aliquid rationis.

**3.** Nec sufficit respondere, ideo illos terminos non esse secundæ intentionis, quia ad hoc requiritur, quod significant de formali secundam intentionem; cuius fundamentum est esse, quod habet aliquid ex conceptu mentis, & quia hoc non habent illi termini, sunt tantum primæ intentionis. Nam contra est, quod hinc sequeretur, quod specificitas esset terminus secundæ intentionis, quod est falsum, quia significat quidditatem, quæ ex se habet sua prædicata independenter a conceptu mentis nostræ, quæquod quoad habitudinem essentialē suo

rum prædicatorum nil fictum continet. ¶ Resp. potest ex dictis in log. disp. 2. de ent. rat. dub. 3. eos omnes terminos ob rationem factam esse secundæ intentionis, & per consequens cum prædicantur appellare proprium in ordine ad formam rationis positam à parte prædicati, & ratione formalis subtrahiti illius verificare ad eum modum, quo disp. ult. ant. conc. 4. explicui.

Sed aliter potest resp. quod eiusmodi termini, & si sint secundæ intentionis logicæ ob rationem lococitato traditam. Et, quia supponit cognitum fundamentum, scilicet prioritate naturæ; tamen summulisticè esse terminos primæ intentionis, & quoad proprietates summulisticas, suppositionis, appellationis, &c. seruare leges terminorum primæ intentionis, pariformiter ac solet dici, quod ens est analogum logicè, & uniuocum summuliticè, & Deus est particularis, & singularis logicè, & summuliticè terminus communis. Et ratio est, quia cum sumula deseruiant modo nostro concipiendi, & significandi, & nos non possumus aliter habere primum conceptum de negationibus, & priuationibus, nisi fingendo illud non esse, ac si esset; fit, quod in ordine ad nos ex se habeant illa objecta sic cognosci, & nominari, ac perinde primo intentionaliter significant, & non per secundam attentionem fundatam in primo conceptu, quem possumus habere de talibus. At ly *specietas*, tã logicè, quã summuliticè est prima in-

tentio, quia sua essentia ex terminis habet esse, talis specietas, & non beneficio intellectus, & licet tota eius essentia sic habere esse ab intellectu hoc repræsentatur signare per illum terminum; cū tamē ad hoc, quod esset terminus secundæ intentionis, requireretur, quod significaret exercitè, esse habitum per ordinem ad conceptum mentis.

4 Arg. 2. Iste terminus *homo* est primæ intentionis, & tamē significat id, quod habet esse per ordinem ad eum conceptum mentis primo, & per se; ergo diffinitio prima est diminuta, & secunda conuenit alijs à diffinito. Prob. antec. significat primo, & per se hominem in communi: at homini neque à parte rei, neque per intellectum considerato conuenit esse in communi, sed solum per ordinem ad conceptum mentis, ut dixi in tract. de uniuersal. & docet Soto ibidem q. 2. ergo. Prob. mai. in hac propositione *nemo species*, ly *homo* supponit simpliciter pro homine in communi; at suppositio simplex termini est acceptio pro eo, quod primo, & per se, & principaliter significat: ergo.

Resp. quod ly *homo* non significat hominem in communi posituè, sed negatiuè, id est, non ut singularè, neque sub secundâ intentione uniuersalis, sed secundum se. Nec in illa propositione supponit pro illa communitate, quæ est ab intellectu; sed pro subtrahito, id est pro homine, ut fundat talem intentionem uniuersalitatibus, quatenus significat naturam hu-

manam secundum se, ut vana negatiue: nam concreta supponunt pro materiali, ut dixi dub. vlt. disp. ant. Quod autem homo nō dum nō supponat pro illa communitate positiua, quæ prouenit a forma rationis; sed quod nec significet illam, constans debet esse apud omnes; alioquin *ly homo* non esset concretum substantiale, sed accidentale; siquidem pro formali significaret secundam intentionem, quæ est forma accidentalis.

5 Arg. 3. *ly cognitum*, *ly abstractum*, sunt termini primæ intentionis, & tamen non significant aliquid, quod conuenit rebus secundum esse, aut secundum esse, quod habeat in re; sed solum per ordinem ad conceptum mentis, cum esse cognitum sit denominatio proueniens a conceptu mentis: ergo definitio termini primæ intentionis est diminuta.

Resp. quod illæ denominationes cogniti, & abstracti sunt primæ intentiones, quia licet proueniāt ab intellectu, ut operante, & denominante realiter, non tamē proueniūt ab illo, ut fingente, vel dante rebus aliquod esse intrinsecum factū, quod requirebatur ad verificandum, quod *ly cognitum* significat esse, quod non habetur a parte rei; sed solum per ordinem ad conceptum mentis. Idem dic de istis terminis, *verum*, *obiectū*, & alijs; sunt enim summulisticè termini primæ intentionis, quamuis M. Soto q. 3. vniuers. art. 2. ant. vlt. argumēt. dicat omnes istos terminos significare secundam intentionem loquē.

6 Arg. 4. contra definitionem termini secundæ intentionis. Ille terminus *accidens*, est terminus secundæ intentionis; nā positus a parte prædicati, hac ratione facit, quod subiectum supponat simpliciter, ut patet in hac propositione, *color est accidens*; cuius sensus est, quod color pertinet ad prædicamentū accidentis, & tamen significat aliquid, quod in re inuenitur independentē a conceptu mentis: ergo.

Conf. Si terminus secundæ intentionis repræsentaret secundum conceptum, qui habetur de re, lequeretur, quod omnis terminus significans aliquam proprietatem, v.g. *ly visibile*, *ly bonum*, esset terminus secundæ intentionis, siquidem, primus conceptus, qui habetur de re, est de eius quidditate, & secundus est de proprietate: ergo nec definitio, nec eius explicatio exacte traditur a M. Soto circa terminum secundæ intentionis. ¶ Respōd. quod *ly accidens* est quasi æquiuocum; sumi enim potest, aut primo intentionaliter, secundum quod significat entis ens, aut secundo intentionaliter, quatenus significat nouem prædicamēta. Et in secūda acceptione sumitur in illa propositione, & ideo non mirū, quod ibi sit terminus secundæ intentionis, nec mirum, quod in eodem materiali inueniatur sub diuersa ratione ratio. vtriusque termini, sicut in eodem materiali sub diuersa ratione inueniri potest ratio boni, honesti, & delectabilis; quia non est necesse, quod membra diuidentia sint oppo-

opposita realiter; sed sufficit esse opposita suis rationibus formalibus.

Ad conf. resp. quod secunda intētio, non est quicumque secundus cōceptus, qui habetur de re, sed debet esse secundus, per dare esse secūdū, id est esse quod non sit in re, sed proueniat ab ipso conceptu mentis fundato in esse reali, & perinde non est secundus in ordine, & subiectiue, sed obiectiue.

7 Arg. 5. ad idem, ly *suppositum*, est terminus secundæ intētionis, ex D. Th. in 3. dist. 6. q. 1. ar. 7. & in 1. dist. 23. a. 3. ad 4. Idem est de ly *singulare*, ex D. Th. ibidem, & q. 9. de pot. a. 2. Idem de ly *prima substantia*, ex M. Soto q. 3. de vniuersi. circa fin. ante sol. arg. & tamen illi omnes termini significāt aliquid, quod reperitur a parte rei; ergo definitio termini secundæ intensionis bona non est. Præterea, ly *persona*, & *hypostasis* sunt termini primæ intensionis, ex D. Th. ibidem, & tamē significant aliquid per ordinem ad conceptum mētis, quia significant naturam indiuiduā, quæ denominatur indiuidua a conceptu mentis: ergo definitiones istæ rectæ non sunt.

Resp. quod duo prima nomina significant intētionem, vt ait D. Th. locis citatis, & 1. p. q. 29. ar. 2. in corp. quia *suppositum* significat, quod subsistit sub aliquo genere, & *singulare* sub aliqua specie. At prima substantia est terminus primæ intensionis, quia significat rē naturæ, quæ subijci potest naturæ communi. Vel si dicas, esse secundam inten-

tionem, hoc saluatur, quatenus videtur habere rationem subiecti respectu naturæ communis, quæ de illa prædicatur, & sic tria illa nomina significant aliquid per ordinem ad conceptum mētis. At ly *hypostasis*, & ly *persona* sunt termini primæ intensionis, & quamuis ponatur indiuidua substantia in definitione; non ideo est quia hæc sit differentia personæ, sed quia persona constat natura singulari, quæ est substractū intensionis indiuidui, & sæpè nomen accidentis solet explicare naturā rei; quæ solutio desumitur ex D. Th. 1. p. q. 29. art. 1. ad 3. & q. 9. de pot. ar. 2. ad 5.

Dub. 2. An hæc diuisio sit bona, & adæquata, & qualis sit?

Prima conclusio.

**I**Hæc diuisio bona est, & adæquata. Agiturque de illa, tanquā exacta, D. Th. opul. 42. c. 12. & in 3. dist. 6. q. 1. ar. 1. & in 1. dist. 23. a. 3. Caiet. c. de genere, Iauellus in Log. tract. 2. c. 2. Soto hic, & q. 3. vniuersi. Huert. lib. 1. sum. c. 8. q. 12. ar. 1. & cōmuniter nostri Thomistæ in Dialēctica, & ego in Logica parua. Ratio est, quia nihil est significabile per terminum vaiuocum cathegorematicum, nisi aut secundum id quod illi conuenit ex se, & a parte rei, aut secundum id quod habet ex consideratione intellectus, nec datur medium in hoc: bona ergo est, & adæquata diuisio termini in eum, qui est primæ, vel secundæ intensionis.

*Soluantur argumenta.*

2 Sed contra istam conclu. arg. 1. Iste terminus *signum* est terminus categorematicus, & tamē neque est terminus primæ, neque secundæ intentionis determinatæ: ergo diuisio ista bona non est. Prob. consequ. quia in bona diuisione quid quod continetur determinate sub diuiso, debet etiā contineri determinate sub mēbris diuidētibus. Min prob. quia signum vniuoce dicitur de signis naturalibus, & ad placitum, & tamen prima sicut primæ intentiones, secunda vero secundæ: ergo.

Conf. iste terminus *signum*, neque habet pro significato adæquato aliquid secundo intentionale, siquidem significat aliquid, quod est primæ intentionis, neque habet pro significato adæquato aliquid primæ intentionis, siquidem significat aliquid, quod est secundæ intentionis, nempe signa ad placitum: ergo neque est terminus primæ, neque secundæ intentionis; nam denominatio termini debet, & sumi a significato formali, & adæquato: ergo si significatum adæquatum huius vocis *signum*. Neque est aliquid determinate primo intentionale, neque secundo intentionale, sequitur quod abstrahit ab vtraque.

Conf. 2. Iste terminus *signum*, neque est primæ, neque secundæ intentionis: ergo datur terminus, qui neutrum sit: ergo diuisio termini in hæc duo membra adæquata nō est. Probant. quia terminus primæ intentionis dicit negationem secunde,

& terminus secundæ dicit negationem primæ, sicut esse a parte rei dicit negationem essendi per intellectum, & è contra: ergo cum ex parte rei significatæ vtrumque includat *ly signum*, vt ostensum est, nec erit terminus primæ, neque secundæ intentionis.

3 Mirum est quantum negotij facessat hoc argumentum; ego autem ex dictis dub. ant. facile dicam, *ly signum* esse terminum primæ intentionis simpliciter, quia cum dicitur vestigium, aut fumus est signum, aut vox homo est signum, non fit appellatio simplex, esto logice abstracta a prima, vel secunda intentione admittit sententia, quod signum ad placitum constituitur forma rationis, & quod omnis forma rationis sit secunda intentio logice. Sed d. to. quod non omnis forma rationis sit secunda intentio, etiam logice, sed solum ea, quæ est relatio, secundum clarius apparet, quod *ly signum*, etiā dictum de signis ad placitum (de quibus etiā dicitur vniuoce, vt suo loco ostendi) sit terminus primæ intentionis, quia non constituit per se formam rationis, quæ sit relatio secundum esse, sed secundum dici tantum, vt suo loco ostendi, agendo de constitutio signi ad placitum. Nec in hac solutione, quæ facilis est, & minus operosa admittendæ sunt suppositiones impossibiles, sed fixenda est in sententijs suppositis in responsione.

4 Arg. 2. Iste terminus *homo*, species, esse cognitum, neque sunt

termini primæ neque secundæ intentionis: ergo diuisio vitiosa est. Antec. prob. quia homo significat humanitatem, quæ est à parte rei, & ideo non est secundæ intentionis, & significat in communi, quod est per ordinem ad conceptum mentis, & sic non est primæ intentionis. Similiter specieitas significat essentiam, quæ non est ficta, sed vera essentia, & sic non est secundæ intentionis, & tamen essentia specieitatis est habere esse per intellectum tanquam per causam, & sic non est primæ intentionis. Similiter esse cognitum est prædicatum reale, & est à conceptu mentis: ergo idem. Sed ad hæc respondi dub. ant. probauique hos terminos esse primæ intentionis determinate.

5. Arg. 3. Hoc complexum *natura generica*, (& idem est de alijs, quorum una pars est terminus secundæ intentionis, alia vero primæ) cuius sit terminus categorematicus, uniuocus, continetur sub diuiso, & tamen non continetur determinate sub membris diuisentibus, quia non est maior ratio cur sit primæ, quam secundæ intentionis; cum una pars sit primæ, altera secundæ: ergo.

Resp. aliqui non esse absurdum, quod sit mixtus, sicut non est absurdum, quod aliquod coloratum, neque sit determinate album, neque nigrum, sed coloris mixti. Sed hi damnant diuisionem datam, quæ bimembrius est, cum tamen hæc locutio sua deat, quod debuerat esse trimembrius, sicut coloratum mixtum arguit malam fore diuisionem colorati, si da-

retur, per album, & nigrum tantum, illa namque non esset adæquata, nisi adderetur mixtum, unde neque nostra esset diuisio adæquata, nisi adderetur terminus mixtus. Dicunt alij, hic solum diuidi terminum incomplexum, sed falluatur, tum quia iam terminus uniuocus categorematicus non adæquatè diuideretur in terminum primæ, & secundæ intentionis. Tum quia M. Soto q. 3. uniuersalium docet, quod *ly homo albus* est terminus primæ intentionis, & D. Th. opusc. 42. cap. 12. quod *ly res natura* etiam est terminus primæ intentionis, quod & repetit 1. p. q. 29. art. 2. ficta ergo est huiusmodi solutio. Quare his relictis facile dico, totum illud complexum esse secundæ intentionis terminum, quia ibi natura sumitur, ut subest secundæ intentioni generis, & cum denominatio totius sumatur à forma, & illud prædicatum significat formam secundæ intentionis, ut denominantem illam naturam, fit consequens, quod totus ille terminus debeat absolute, & formaliter denominari secundæ intentionis.

5. Arg. 4. Terminus uniuocus categorematicus est diuisum, & tamen neque est primæ, neque secundæ intentionis determinate, alioqui diuisum conuerteretur cum uno ex membris diuisentibus: ergo aliquid continetur sub diuiso, quod non continetur sub membris diuisentibus.

Conf terminus primæ intentionis est terminus secundæ intentionis.

nis, cum hanc denominationem habeat ab intellectu secundo concipiente: ergo vnum membrum diuidens per hoc ipsum, quod diuidit, confunditur cum alio membro, ac perinde diuisio est mala.

6 Resp. quod non esse vnum, vel alterum conuenit termino vni hoc cathogorematico in abstracto, & vt diuisio, & hoc requiritur vt sit diuisum, sed non conuenit illi in singulari, & hoc debebat probare argumentum, vt consequeretur intentum.

Ad cōf. resp. cum M. Soto, quod terminus primæ intentionis acceptum personaliter, & vt quo, est terminus primæ intentionis, quia significat omnes terminos primæ intentionis, v.g. animal, lapidem, leonem; at si sumatur materialiter, & vt quod, est terminus secundæ intentionis, quia hoc habet per ordinem ad conceptum mentis, sicut genus est vt quo genus, & vt quod, seu denominatiuè est species vniuersalitatatis. Sed sicut ibi variata suppositione non valet cōsequentia, quod genus sit formaliter species, sic neque valet hic, quod terminus primæ intentionis sit formaliter secundæ intentionis, aut quod coincidunt membra diuidentia, sicut neque ibi coincidunt membra diuidentia vniuersale, per genus, speciem, & differentiam, etiam si quod est genus

formaliter, & vt quo, sic species vniuersalitatatis denominatiuè, & vt quod.

*Secunda Conclusio*

7 Hæc diuisio termini, in terminum primæ, & secundæ intentionis est subiecti in accidentia, nõ quidem subiecti in hæssionis, sed subiecti denominationis. Prob. quia hæc diuisio termini non sumitur in ordine ad componendam propositionem specie essentiali diuerſam; sed penes ordinem ad hoc, quod est significare per primum, aut secundum conceptum, & per tales terminos intelligibile: sed hoc accidit termino in ratione termini, siquidem æquè bene componitur propositio sub vna, ac altera denominatione, aut respectu vocis: ergo erit diuisio subiecti in diuersa accidentia. Quæ cōtra hæc conclusionem obijci possent, ex alijs similibus diuisioibus terminorum peti poterūt, & ex doctrina data dissolui.

*Dub. 3. Vtrum omnis terminus secundæ intentionis pro materiali debeat esse terminus connotatiuus?*

1 **C**onclusio est affirmatiua: quam tenet M. Bañ. lbi. 1. Summul. cap. 1. Et ratio est; quia terminus secundæ intentionis debet significare aliquid secundum quod in exercitio habet formam secundæ intentionis, quæ habet esse in ordine ad conceptum mentis, nõ quidem primum, qui habetur de re secundum suam essentiam, sed in ordine ad conceptum qui in exercitio ponit formam actu denominantem aliquid fundamentum, quod præ-

præsupponitur primò conceptum, ideoque vt dictum est, & probatum tota hæc disputatione, secundæ intentiones in abstracto significantur per terminos primæ intentionis, vt specietas, genericitas, & solum quatenus significantur in concreto, representantur per terminos secundæ intentionis, seu attentionis, quod & docet Bañez hic lib. 1. cap. 1. diuis. 4. §. *Sed contra* ergo solum termini connotatiui possunt denominari termini secundæ intentionis.

2 Habetque fundamentum in D. Tho. opusc. 42. cap. 12. vbi ait: *Nomina secundæ intentionis sunt illa, quæ imponuntur rebus, non secundum quod in se sunt; sed secundum quod subsunt intentioni, quam intellectus facit de eis, vt cum dicitur homo est species, animal est genus.* Sed quod significat aliquid vt subest formæ accidentali, est connotatiuum nomen: ergo. Et ipsa exempla posita à D. Th. hoc etiam ianuunt, & formalitas verborum: non enim dicit, quod nomina inposita ipsis intentionibus sunt secundæ intentiones, quod cōsulto dicit vt excludat nomina in abstracto significantia secundas intentiones, sed ait, quod nomina inposita rebus vt subsunt illis intentionibus sunt secundæ intentionalia, vt innuat, quod sola nomina concreta sic denominantur: at huiusmodi concreta sunt accidentalia; & hæc sunt termini connotatiui: ergo. Unde & subait: *Sed quia per actum intellectus super ipsam naturam designa-*

*tam per modum totius efficiuntur nomina intentionalia, vt species, & gen<sup>9</sup>; ideo super rem naturæ inveniuntur nomina intentionum.* Ecce exigit, quod nomina ista sint nomina totius, ac perinde, quod in concreto significant.

3 Si dicas cum Huert. quod cū dicit D. Tho. quod nomen secundæ intentionis imponitur rebus vt subsunt intentioni, quam intellectus facit de eis, debet intelligi de intentione formali, seu de conceptu, non vero de forma rationis quæ insit reb<sup>9</sup>.

¶ Contra est, quod D. Thom. vt probet suam doctrinam apponit pro exemplo genus, & speciem: at hæc nomina nō significant rem vt subest conceptui formali, sed vt subest intentioni rationis, quæ afficit naturam, & facit cum illa concretū: ergo. Tum, quia intentio facta non dicitur ipse conceptus, sed forma rationis denominans rem, alioquin cum probamus ex D. Tho. quod obiectum logicè est ens rationis, quia 4. metaph. docet, obiectum logicæ esse intentiones, quas intellect<sup>9</sup> adinuenit in rebus consideratis, male probaremus Thomistæ nostrum intentum contra exteras Scholas. Dicerēt enim sicut modo Huert. quod D. Tho. loquitur, ibi de intentionibus, seu conceptibus formalibus, qui reales sunt, & realiter extrinsece denominant obiecta cognita, ac perinde, quod obiectum logicæ est ens reale. Similiter ergo colligitur ex doctrina Huert. quod terminus secundæ intentionis, representat aliquid

quid reale, siquidē repræsentat naturam realem, prout subest reali cōceptui, seu intentioni formali intellectus, quæ omnia realia sunt.

Præterea, etiam terminus primæ intentionis significat objecta ut sub sunt conceptui formali, quia significat res mediante conceptu, & non in se immediate, at ut sic sub sunt conceptui, quatenus per terminum vocalem, aut scriptum repræsentantur. (nam conceptus non est vere terminus, ut dixi agēdo de termino mentali:) ergo D. Tho. vel cōfūdūt terminum secundæ intentionis, cum termino primæ, vel nō bene intelligitur, ut explicatur à nostro Huertos.

*Soluantur argumenta.*

4. Oppositum defendit Huert. hic lib. 1. cap. 8. q. 12. art. 2. citatque pro se M. Lorençana in manuscriptis, & Sanchez Sedeño lib. 2. de secund. intent. q. 2. conc. 1. arguitque primo. Tum, quia terminus ut sit primæ intentionis, non debet esse connotatiuus; ergo neque ut sit secundæ intentionis. Tum, quia ultima differentia termini secundæ intentionis esset, esse connotatiuum, siquidem non est aliud per quod *ly species* sit terminus secundæ intentionis, & *specieitas* sit primæ.

Si dicas, non stare differentiam in eo, sed supposito, quod alter sit terminus absolutus, alter vero connotatiuus. Specieitas est terminus primæ intentionis, quia significat essentiam formæ secundæ intentionis, secundum id quod habet in


se, & ex se, ac perinde primo intentionaliter absque vlla dependentia ab intellectu in genere causæ formalis (esto inuoluat in actu primo dependentiam effectiuē, sicut prædicata creaturæ inuoluunt essentialiter dependentiam à Deo, ut ab artificiali:) at *ly species* in exercitio dicit formam fictam ab intellectu affixam ab illō rebus ipsi. ¶ Sed contra insurgit, etiam verbis dicatur reuera nil addit præter connotationem, quam dicit *species* in concreto supra specieitatem, quia vtrumq; nomen dicit id quod habet esse per ordinem ad conceptum mētis. Tū, quia inter diuisum, & membra diuidentia medietur terminus connotatiuus, siquidem per hoc constitueretur terminus secundæ intentionis.

5. Resp. concesso antec. neg. cōseq. disparitas est, quia terminus primæ intentionis significat rem in se, & hæc potest esse absoluta; at terminus secundæ intentionis significat rem ut subest formæ intentionis, & idē connotatiuē. ¶ Ad conf. bene ibi, ad primam replicam resp. quod sicut essentia creaturæ, quamuis dicat non existere de facto sine dependentia à Deo; tamen signat, & quantum ad connexionem, & habitudinem prædicatorum essentialium, non dicit dependentiā à Deo; quia hoc habet ex non repugnātia sua, seu extrinseca habitudine terminorum in esse obiectiuo; sic essentia specieitatis ex se conuenit illi in esse obiectiuo, quatenus signat

ficatur per hoc nomē specieitas, neque hoc habet ordinem ad conceptum mentis in recto, sed in obliquo, quatenus dicit, quod reductio ad actum necessario debet fieri per intellectum; & ideo quamuis hoc præsupponat, quod talis forma in concreto significata sit terminus connotatiuus, non tamen in hoc differt à specieitate, sed in eo, quod est significare rem prout est in se, vel per ordinem ad conceptum mentis. ¶ Ad 2. nego, quod terminus connotatiuus sit medium: nam etiam dantur termini primæ intentionis, qui sint connotatiui; sed hoc se habet de materialibus, sicut contingit in figuris artificialibus, quorum aliquæ determinant sibi aliquam materiam, quæ solet esse indifferens ad alias figuras, à quibus distinguuntur. Sed quia multum instant persistendo in eo, quod specieitas est terminus secundæ intentionis, recolamur quæ circa hoc tota disputatione dictum est.

6 Tandem instat, quia terminus primæ, & secundæ intentionis solum differunt ex parte rei significatæ, nempe rei, quæ habet esse realiter, vel a ratione nostra: ergo siue sit terminus connotatiuus, siue absolutus erit terminus secundæ intentionis si significet rem, quæ non habet esse à parte rei. ¶ Resp. quod hi termini, differunt quidem ex parte rei significatæ, non signate, sed in exercitio: nam terminus connotatiuus significat formam accidentalem, non quamcūque, sed eam, quæ exercite in rebus ab intellectu: at hoc

inuoluit præsuppositiuè modum significandi connotatiuè, neque in hoc est aliquid absurdum: imò est maxima consonantia: nam cum secundus conceptus dicat relationem ad primum, & illum supponat, & terminus secundæ intentionis, significat aliquid secundum quod habet in ordine ad conceptum mentis: sit quod cum specieitas significet conceptum primum, qui de illo re habetur: (nā primus conceptus est, qui habetur de essentia signate cognita) terminus illam significans, non potest non esse primæ intentionis, & cum terminus secundæ intentionis nequeat non supponere primū, significat id quod rei primo conceptæ adiacet per secundum conceptum, ac perinde significat connotatiuè.



## DISPUTATIO V.

## De termino complexo, &amp; incomplexo.

Dub. 1. An diffinitiones horum terminorum sint rectè assignatæ?

1 **T**erminus incomplexus diffinitur sic, est cuius partes, non sunt per se significatiuæ, ut ly homo. Complexus est cuius partes sunt per se significatiuæ; ut equus ferus. Has diffinitiones iam explicui in dialectica parua, modo oportet eas à objectionibus labefactantibus vindicare.

*Soluntur argumenta.*

2 Vix omnia quæ militant cōtra has diffinitiones possunt ad præsens dubium coarctari; ideo nonnulla hic, alia verò sequentibus dubijs proponemus Arg. ergo primo cōtra diffinitionem termini complexi. Terminus complexus constat ex pluribus entib⁹ in actu: est ergo ens per accidens: ergo non potest diffiniri. Patet cōseq. Tum, quia solum in complexa possunt diffiniri. Tum, quia quæ sunt plura in actu non habent vnam essentiam: ergo nec vnam diffinitionem, hæc enim adæquatur cum quidditate rei diffinitæ. ¶ Resp. tamen, quod terminus complexus constat ex pluribus omnibus in actu quasi entitatiuè, ac artificialiter constat ex illis vt habent ordinem artificiosum inter se, ac perinde ex illis fit vna quidditas diffinibilis, sicut exercitus, vel domus, vel numerus denarius.

Si instes, quod diffinitum in hac diffinitione est aliquid constans partibus: ac forma artificiosa quæ ex se cūda intentio termini non constat partibus: ergo quod diffinitur non est aliquid vnum ratione formæ artificiosæ secundæ intentionis, sed plura in actu. ¶ Resp. tamē, quod diffinitum est secundæ intentionis in concreto, dicas de materiali partibus ordinatas, vel inter se, vt cū terminus complexus constat adiectiuo, & substantiuo, vt *homo albus*, vel aliqua copula nominali, aut verbali: & per consequens adhuc pro mate-

riali nō dicit hæc diffinitio plura in actu in ratione subtracti; sed plura vt vnum sunt inter se, & in ordine ad illam formam, quæ diffinitur in concreto per hoc, quod sit ordo ad propositionem habentē partes per se significatiuas. Si autem assumeretur duo termini substantiuū sine copula vt *homo equus*, tūc non esset cōplexio; sed essent duo termini in cōplexi successiuè prolati; & in hoc casu probat argumētum: sed quia nōs dicimus partes habere ordinem inter se, & in ordine ad artificiosam formam secundæ intentionis, non vrget, quia non diffinitur per plura, vt plura: sed vt vnum ex parte subtracti, & ex parte formæ. Videatur Huer. hic q. 13. ar. 1. ad 1.

3 Arg. 2. ad idem. Hoc complexum *omnis homo* (& idem est de alijs constantibus ex syncategoremate addito termino categorematico) est complexus terminus, & tamen partes eius nō sunt significatiuæ per se: ergo diffinitio non conuenit omni contento sub diffinito, ac perinde est mala. Prob. min. quia syncategoremata non significat aliquid per se. ¶ Resp. quædam negare, illum terminum *omnis homo* esse complexum propriè. Tum ob rationem tractatam in arg. tū, quia Mag. Soto docet lib. 2. cap. 6. not. 5. quod huiusmodi syncategoremata, v.g. *omnis*, & alia, non efficiuntur pars extremi; sed transeunt in copulam. ¶ Sed immerito hoc negat. Tum, quia M. Soto eodem lib. 2. c. de nomine docet, quod *nō homo* in-

finitanter sumptus, est terminus in-  
 complexus; complexus vero si su-  
 matur neganter, & cum dixit, non  
 effici partem extremi, noluit docē-  
 re, quod nō componat extremum:  
 sed quod negatio quantum ad hunc  
 effectum non sitit ibi, sed transit ad  
 copulā: nam si sitit ibi in extremo,  
 non sumitur neganter, sed infinitan-  
 ter. Ad argum. igitur resp. quod il-  
 le terminus vere complexus est: &  
 significat aliquid per se, quantum suf-  
 ficit ad complexionem: nā in diffi-  
 nitione complexorum *ly per se* non  
 opponitur cum hoc, quod est signi-  
 ficare aliquo modo, sed solum cū hoc,  
 quod est nō significare, taliter quod  
 significatio totius termini confur-  
 gat iuxta significationē cuiuslibet  
 partis, & hoc cōiungit in præsentī;  
 vbi *omnis homo* significat uniuersa-  
 liter, & distributiue ex adiunctio-  
 ne illius sine categoriematis: ita vt si  
*ly omnis* deponeretur à sua significa-  
 tione, non significaret eodem mo-  
 do, nec haberet eundem cōceptum  
 in mente.

4 Arg. 3. Iste terminus *blitiri tri-  
 sillabum* est terminus complexus, &  
 tamen vna ex partibus eius non est  
 per se significatiua: sed potius est nō  
 significatiua: ergo diffinitio est ma-  
 la. Ant. prob. secū sū M. Sotum hic.  
 Cōplexio non tam debet attendi se-  
 cundum voces, quam secundū con-  
 ceptus, at illi termino correspōdet  
 in mente duplex conceptus, quorū  
 vnus alterum determinat: ergo est  
 vere terminus cōplexus. ¶ Et conf.  
 quia M. Soto cōcedit, quod si litte-

ra A inponeretur ad significādum  
 Petrum, & paulum, esset terminus  
 complexus propter virtualem com-  
 positionem, quia conditio vocis de-  
 bet cognosci per conceptum: at ille  
 terminus *blitiri trisillabum* subordina-  
 retur conceptui complexo formaliter  
 significatiuo, in mente: ergo & si  
 illa pars *blitiri* non esset formaliter  
 significatiua, esset tamē virtualiter,  
 ac perinde ille terminus erit com-  
 plexus. Res. tamē; in primis argum.  
 se ipsum iugulare: nam si sufficit vir-  
 tualis significatio partium per equi-  
 ualentiam ad cōceptus: iam erit bo-  
 na diffinitio termini cōplexi intel-  
 lecta in nostro casu de partibus signi-  
 ficatiuis formaliter, aut virtualiter.

Sed tamen dico, illum termi-  
 num non esse vere terminum com-  
 plexum, quia nec formaliter, nec  
 virtualiter significat *blitiri* aliquid  
 aliud à se, sed potius habet rationē  
 rei representatæ per conceptū; nec  
 est idem de littera A: nam illa licet  
 non haberet partes, tamē esset vox  
 significatiua (ex vi impositionis) tū  
 conceptus complexi, tum rei con-  
 plexæ, & sic esset significatiua for-  
 maliter, & virtualiter, & æquivalen-  
 ter esset cōposita ex partibus per  
 se significatiuis, quatenus significa-  
 ret conceptum complexum, quod  
 quia non habet ille terminus *bliti-  
 ri trisillabum*, nec de illo verificatur  
 doctrina M. Soti, neque habet essen-  
 tiam termini complexi, nec de illo  
 debet verificari diffinitio.

5 Sed contra illam doctrinam,  
 & explicationem diffinitionis tradi-  
 tam

72  
 tam à M. Soto arg. Si aliqua vox cō-  
 plexa imponeretur ad significandam  
 rem incomplexam, & vnum cōcep-  
 tum incomplexum; terminus ille ef-  
 set complexus: ergo M. Soto malè  
 explicat suam diffinitionē per hoc,  
 quod voci cōrespondeāt plures cō-  
 ceptus. Prob. nam etsi significatio ef-  
 set vna, essent tamen duo signa: ergo  
 esset complexio. Prob. vnitatis cōcre-  
 torum multiplicatur multiplicato  
 subiecto (ideoque si vna numero al-  
 bado esset in duobus hominibus ef-  
 fect duo alba: ) at tunc essent due vo-  
 ces habentes vnā significationem:  
 ergo essent duo signa, at adunaretur  
 ratio vnius significationis, & vni-  
 formis: essent ergo duo signa partia-  
 lia componentia vnum signum cō-  
 plexum. Preterea *ens homo* est termi-  
 nus complexus, & tamen illi cōres-  
 pondet vnus conceptus; quia teste  
 Arist. 4. metaph. *ens homo*, & homo  
 idem significat: ergo complexio vo-  
 cis non debet ante diu penes comple-  
 xionem conceptus. ¶ Resp. ta-  
 men, quod si duplex vox imponere-  
 tur ad significandam vnā rem in-  
 complexam, iam non esset duplex  
 vox: sed vna cum multis syllabis, ne-  
 que resultaret significatio totius ex sig-  
 nificatione partium, nec si separare-  
 tur vna pars significaret, quia esset  
 imposita vna impositione, & signifi-  
 catione: ac perinde ratio tota struc-  
 tura argumenti.

Ad eonf. dico, quod *ens homo* in  
 vi vnius dictionis habet vnum con-  
 ceptum; duplicem vero in vi dupli-  
 cis, sic enim repræsentat cōceptum

confusum, & indeterminatū, & hōc  
 secundo modo, non primo esset illa  
 vox complexa.

6 Sed contra solutionē argumē-  
 est: quod istæ voces *Marcus, Tullius,*  
*Cicero,* sunt per se significatiuæ, &  
 quilibet potest deponi à sua signifi-  
 catione: ergo in eo casu optimè ve-  
 rificatur, quod sunt plura signa partia-  
 lia, siquidem ex omnibus illis con-  
 surgit completum nomen illius exi-  
 mii principis oratorum: estque in eis  
 vocibus vnica eorum significatione, &  
 cōresponder illis vnus cōceptus, vt  
 docet M. Soto cap. de orat. ergo ruit  
 solutio data, & currit argumentum  
 factum; siquidem in pluribus dictioni-  
 bus significatiuis inuenitur incom-  
 plexio. ¶ Resp. quod in eo casu  
 accipiuntur tres illæ voces: à vi v-  
 nius nominis; quia sunt synonime;  
 nec formaliter præstāt iam triplicis  
 substracti, vt si verbi gratia, essent  
 tres homines penetrati, & in illis,  
 tres quantitates penetratæ, & tres su-  
 perficies penetratæ: non dicerētur  
 tria extensa, sed vnum formaliter,  
 quia erant per modum vnius, nec ha-  
 berent nisi vnā extensionem for-  
 maliter, etsi materialiter essent plu-  
 ra quanta, & plura entia, & sic tria;  
 hæc nomina sunt synonima, & ideo  
 vnum signum incomplexum forma-  
 liter. Vel dic, quod sicut simplicitas  
 vocis (cum sunt plures conceptus)  
 non obstat complexioni virtuali, &  
 tollit in complexionem formalē: sic  
 in isto casu vnica significatio, & vni-  
 tas conceptus: redderet omnes vo-  
 ces incomplexas virtualiter, tollen-  
 do

do complexiōnem formalem in esse termini, etsi alias esset complexiō entitatiua, & quoad sonum vocis.

7 Arg. 4. Hæc propositio *B.* nō est *C.* est vera, & proprie oratio perfecta, & propositio formalis significans verum, aut falsum; quod & docet *M. Bañez* cap. 1. de oratione, & aliqui Thomistæ in manuscriptis: ergo & hoc complexum *C. vel D.* est terminus complexus; & tamen eius partes non sunt per se significatiuæ: ergo definitio termini complexi non est bona. Prob. conseq. Nam si compositio orationis, & propositionis saluatur, etsi partes non sint significatiuæ, quia copula est significatiua, cur compositio termini formalis nō saluatur per hoc, quod copula sit significatiua? Tum etiam, quod est oratio imperfecta; est terminus complexus (eilo. sit. vtriusq; diuersa constitutio) sed illud complexum *C. vel D.* est oratio imperfecta; facit enim sententiam imperfectam, & medio illo cognoscimus vnam litteram vocalem, vel alteram; quod constat, quia dicendo *D. non est C.* fit sententia perfecta; sic enim cognoscimus vnam litteram non esse aliam: ergo aliud complexum *C. vel D.* faciet verum sententiam imperfectam: ac perinde erit vera oratio imperfecta; & per consequens terminus vere complexus, absque hoc, quod partes eius sint per se significatiuæ.

8 Resp. tamen, negando quod inter illos terminos non significati-

uos, supponentesque materialiter, aut sit propositio formalis, aut oratio perfecta, vel imperfecta formalis, aut terminus vere complexus formalis; sed est propositio, oratio, & terminus materialis, quia ex his extremis componuntur, quæ sunt non significatiua. Hoc docet *Magister Soto* hic cap. 9. §. *Respons. et. ad ultim. um.* Hoc constat ex dictis in definitione termini, vbi ostendi huiusmodi voces non significatiuas non esse terminos; at terminus est, qui diuiditur in terminum complexum, & incomplexum: ergo quod nō est terminus, nec est complexus, sicut quod non est animal non est homo, postquam animal diuiditur in hominem, & equum.

Et cum propositio constet ex terminis tãquam ex partibus, quod non est terminus, non potest componere propositionem, aut orationem, nec constare sententiam formalem, sed materialem, nec constare formalem veritatem, sed materialem.

Hoc etiam constat, quia signum est ratio per se supposita ad omne instrumentum logicale, & dialecticum: ergo quod non est signum complexum, nequit esse terminus complexus. Tum quia terminus complexus nihil aliud est quàm duo termini incomplexi ordinati; sed *non sunt* duo termini incomplexi ordinati: ergo nec constant vnu terminum complexum. Denique, quia complexio, & compositio termini, non attenditur, nisi penes complexiōnem conceptuum ultimatorum, et illud complexum

plexum, seu disiunctum, solum habentia mente complexionem conceptum non viciniorum: ergo. Aliud est ut hic docet M. Soto. Si nō dicamus C. vel D. quatenus exprimunt ipsa prima elementa, seu litteras vocales; sed dicam<sup>9</sup> Ce, vel De; aut hæc vox C. vel hæc vox D. tunc enim Ce significat litteram C. & De, significat litteram D. & hæc vox C. & hæc vox D. etiam significant illa prima elementa, & sic saluatur præfatas orationes, propositiones, & complexa, formaliter esse talia; sed inde non probatur constare ex partibus non per se significatis, ac perinde nil contra nos vrget argumentum factum.

*Dubium secundum. An terminus compositæ figure sit terminus complexus?*

1 **Q**uod potissimum in hac materia vrget contra diffinitionem termini complexi (ut notat hic Mag. Soto) est, quod videtur congruere termino compositæ figure, v.g. isti termino *armiger*, isti termino *respublica*, *equifer*, & alijs huiusmodi, qui quidem cū solum subordinantur unico conceptui simplici, & incomplexo, manifestum est, quod sint termini incomplexi. Alias autem videtur, quod illis congruat diffinitio termini complexi, ac proinde etiam videtur, quod præfata diffinitio mala sit, cum competat alijs à diffinito. Quod verò illis competit diffinitio termini complexi,

videtur certum, quia duo sunt signa ad cognoscendum complexionem termini. Primum est, si exprimendo significationem totius, exprimamus significationes partium. Secundum, quod si aliqua pars deponeretur à sua significatione, mutaretur significatio totius; sed hæc signa reperiuntur in terminis compositæ figure: ergo. Prob. min. nam *ly equifer* significat eum, qui fert equum: at partes hoc ipsum significant: ergo significatio totius exprimit significationem partium.

Tum etiā, si mutaretur significatio equi, & imponeretur hæc vox ad significandum hominem, & *fero*, deponeretur à significatione, quam modò habet, & imponeretur ad significandum amorem, *ly equifer* non posset significare eum, qui fert equum: dependet ergo significatio illius termini à significatione partium, ac perinde videtur, quod illi conueniat diffinitio termini complexi.

*Vnica conclusio.*

2 Nihilominus dicendum est: terminum compositæ figure, nec esse terminum complexum, nec illi conuenire diffinitionem complexi dialectici. Prima pars optimè probatur in argumento, quia in mente correspondet tali termino compositæ figure vnicus conceptus incomplexus. Estque expressa in Arist. 1. perhierma. cap. 2. Quod verò illi non congruat diffinitio termini complexi, præterquam quod sufficiēter proba-

probaretur dissoluendo argumentum propositum; attamen ostenditur sic. Nam D. Tho. 1. perhierm. lect. 4. docet, quod significatio correspondet impositioni, & impositio dicitur vna, quatenus exprimit vnum conceptum impositoris; at terminus compositæ figuræ vnicam habet impositionem exprimentem vnum conceptum impositoris: ergo non habet nisi vnicam simplicem significationem: ergo non complexam: ergo eius partes non sunt per se significatiuæ: ergo non congruit tali termino distinctio termini complexi.

Tum etiam. Duplex illud signum assignatum à M. Soto ad cognoscendam complexionem termini, & ad callendum; an terminus habeat partes per se significatiuas, non verificatur de termino compositæ figuræ: ergo non conuenit in distinctio termini complexi, quantum ad hoc, quod est habere partes per se significatiuas.

Min. pro prima parte prob. tñ, quia primum signum est quod natiui modi nomina significant iuxta significationem partium; sed hoc non competit terminis compositæ figuræ: ergo. Constat min. ex D. Tho. nom. quod lib. 8. art. 14. ad 1. vbi ait (loquens de homicidio, quod est nomen compositæ figuræ) *et homicidium enim plus importat, quam occisio hominis, composita enim nomina, frequenter plus importat, quam componentia.* Et in 3. dist. 1. q. 1. ar. 2. quæstiunc. 3. ad 3. idem docet, quia non omnis arma gerens est armiger. Sentit ergo diuersam esse signifi-

cationem huius nominis a significatione partium. Et in 4. dist. 8. q. 1. ar. 3. ad 7. fere idem habet: vide atque ipsum 1. perhierm. lect. 4. & hinc oritur, quod non verificetur secundum signum. Nam etsi deponeretur a sua significatione, & similiter minus, nihilominus permaneret idem terminus dominus, quia ille terminus compositæ figuræ, non significat de re minus, & per accidens est, quod armiger, & equifer, modo, quantum ad apparietiam significant iuxta significationem partium: nam etsi deponerentur partes a sua significatione, nihilominus idem terminus permaneret.

3 Secundo prob. ex doctrina quam hic sedulo aduertit M. Soto, nam tota ratio fallaciæ in hac parte est, quia nomen compositæ figuræ, quantum ad id a quo nomen imponitur, habet nonnullam correspondentiam cum partibus illud componentibus, sicut lapis a latione pedis, at quantum ad rem significatam, non sic: hoc enim est proprium termino complexo, quod quantum ad rem significatam essentialiter pendeat eius significatio ab actu partium significatione: ac proinde sicut lapis idem significaret, etiam si *capo*, & *pis* deponerentur a suis significationibus, & inde colligitur, quod non significet id quod significant partes a quibus fuit nomen impositum; non enim significat lationem pedum; sed substantiam lapidis: ita dicendum de alijs nominibus compositæ figuræ. Quod e conuerso contingit in complexo

plexo termino, v.g. in hoc, homo al-  
bus vt intuēti, & perpendenti facile  
paret.

4 Ex quibus facile quibus pote-  
rit satisfacere argumento propo-  
sito, nec opus est tēpus terere in red-  
denda responsione.

*Dubium 3. Vtrum definitio termini  
complexi conueniat orationi?*

**E**Tiam militat satis effica-  
citer contra definitionē  
termini complexi, quod eius defini-  
tio videtur conuenire orationi  
(maximē imperfectæ) nam hæc defi-  
nitur ad Arist. quod sit vox significa-  
tiua ad placitum, cuius partes separatæ  
aliquid significant: sed hoc congruit  
definitioni termini complexi: defi-  
nitur enim eodem modo, quod sit  
terminus, id est, vox significatiua ad  
placitum, cuius partes sunt per se signifi-  
cativæ: ergo.

2 Ad hoc argumentum resp. M.  
Marr. de Prado lib. 1. dialecticę cap.  
7. à n. 6. cum lauello tract. 2. c. 1. di-  
uisione 10. quod hæc definitio ora-  
tionis imperfectæ competit, quia  
hæc ordinatur ad perfectam, nec ta-  
men ideo non debuit hic agi de ter-  
mino complexo (inquit) quia ad  
hoc sufficit, quod habeat distinctam  
connotationem.

*Vnica conclusio.*

3 Nihilominus dicendum est,  
quod definitio orationis nullo mo-  
do competit formaliter termino  
complexo, quia vtraque secun-

da intentio in eodem materiali par-  
tium per se significatiuarū possit in-  
uenire, sub diuersa formalitate, si-  
cut album, & dulce possunt exigere  
idem materiale. Sic communiter  
neotericus Thomistæ cum R.R. M.  
Ioan. à S. Tho. q. 4. dialect. ar. 1. &  
Huert. hic lib. 1. dialect. cap. 9. q. 13.

4 Et prob. tum, quia oratio im-  
perfecta, est sub diuerso genere ac  
terminus, constituitque diuersam se-  
riem: nā oratio essentialiter diuidi-  
tur in perfectam, & imperfectam;  
vt probat Huert. lib. 2. Sum. cap. 3.  
q. 17. art. 2. at terminus complexus  
neque habet pro genere communi  
orationem, prout abstrahit à perfec-  
ta, & imperfecta, neque ipse diuidi-  
tur in orationem perfectam, aut im-  
perfectam: sed est in linea, & gene-  
re termini vniuoci, & cathegorema-  
tisi, neque condiuiditur ab oratio-  
ne; sed à termino incompleto: er-  
go terminus complexus non ha-  
bet eandem essentiam in ratione  
definiti, cum oratione imper-  
fecta: ergo nec definitio potest  
esse eadem. Tum etiam, essentia  
instrumenti desumitur in ordine ad  
finem ad quem datur, vt ait D. Tho.  
1. perhierm. lect. 7. & essentia con-  
creti ex forma: at qui terminus  
complexus, & oratio imperfecta,  
habent diuersum finem, & diuer-  
sam formam secundæ intentionis:  
ergo habent diuersam essentiam  
distinctibilem.

Prob. min. nam oratio ex suo ge-  
nere habet pro fine generare sen-  
sum perfectū, vel imperfectū in ani-

mo audientis, cum tamen finis termini non sit hic ex suo genere, sed ordinari ad componendam propositionem: ergo finis diuersus est: Tum secunda intentio orationis, quauis stare non possit, nisi habeat pro substracto partes significatiuas, tamen est forma artificiosa generatiua sensus in animo accidentis: ergo non est eadem secunda intentio termini complexi, & orationis. Tum etiam habere partes per se significatiuas separatas est ratio generica orationis, vt abstrahit à perfecta, & imperfecta: at non est ratio generica termini complexi: ergo. Prob. min. nam alius terminus complexus genericè conueniret cum propositione, quod est falsum, cum hic sit instrumentum primæ operationis, propositio vero ad quam genus est oratio sit instrumentum secundæ: certum autem fit, quod instrumenta vtriusque operationis non conueniunt in eodẽ genere proximo. Ex quo sequitur, quod oratio habet partes per modum totius; at terminus complexus habet partes, vt pars principaliter, ac perinde secunda intentio vnus est intentio partis, altera vero est intentio totius.

5 Conf. Secundum M. Sotum hic, not. 1. propositio non est terminus complexus, & tamen propositio est oratio, cuius definitio vt sic, est quod habeat partes significatiuas separatas: ergo ratio orationis vt sic, non est eadem cum termino complexo, ac perinde habere partes separatas est materiale quoddam: nã

terminus eas habet vt ordinabiles ad propositionem: at oratio nõ sic, sed vt ordinabiles ad generandum sensum in animo audientis.

6 Neque ex hoc, quod conueniant terminus complexus, & oratio imperfecta in partibus quibus constat; sequitur esse idẽ, cum finis sit diuersus, & intentio, cui substant sit diuersa: nam etiam propositio hypothetica rationalis conuenit in suis partibus cum syllogismo, & nihilominus, quia altera habet pro fine compositionem, & attributionem perficiendo secundam operationem: alter vero habet pro fine, illationem, & perficere tertiam: & secunda intentio vtriusque est diuersa, ideo cum conuenientia in eodem materiali saluatur diuersitas formalis vtriusque; sed etiã terminus vt talis habet pro fine componere propositionem per modum partis, perficiendo apprehensionem primæ operationis, & oratio perficiendo secundam, & cum ordine ad finem generandi sensum perfectum, vel imperfectum in illa: ergo diuersa est vtriusque ratio constitutiua.

*Soluuntur argumenta.*

7 Arg. 1. Quia Arist. & D. Tho. 1. perhier. lect. 4. distinguendo nomen complexam ab incompleto composita figuræ, vocatur illud orationem cum dico equus ferus, secundum quod distinguitur ab isto termino equiferus. Et Petrus Hispanus tract. 1. de terminis, diuidens terminum, quem iam definiuerat, dicit:

*Vox significatiua, alia complexa, vt oratio, alia non complexa, vt nomen.* Sentit ergo, quod terminus complexus est idem ac oratio, aliàs diminutè processisset. Insuper M. Soto lib. 2. summ. c. 3. in principio docet, quod omnis terminus complexus est oratio, & tamen nunquam dixit, quod sit diuersa ratio vnius, & alterius: ergo conformior est menti Magistri, dicere, quod ratio termini complexi, & orationis est eadem, quam dicere oppositum.

Resp. quod cum terminus complexus conueniat cum oratione in habere partes significatiuas; esto sit diuersa vtriusque constitutio, solet vocari omne complexum oratio, & poni differentia ab incompleto in eo quod aequat esse oratio, adhuc materialiter: & quia supremum infini, attingit infimum supremi, solet habere nomen commune; ideoque imperfectus actus intellectus, qui est cum fluctuatione, solet vocari cogitatio, & actus cogitativæ intellectio; non quia sit idem actus vterque, sed quia solent admisceri in eodè syllogismo, & ex vno in aliud esse transitus, & sic apparent idem, quia parum inter se distant: his ergo rationibus terminus complexus vocatur oratio, ratione scilicet propinquitatis, & quia in eodè materiali coincidunt; non autem quia sit eadem vtriusque ratio, vt probatum est supra, & satisfactum ad rationē dubitandi.

8. Arg. 2. Si ob aliquam rationem terminus complexus non esset

oratio per eandem secundam intentionem, maxime quia terminus respicit partes, non sistendo ibi, sed ordinando ad totum propositionale componendum per modum partis heterogenæ, & compositæ; oratio autem non, sed sistit in sua compositione, & solum habet generare sensum, aut iudicium imperfectū; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. Nā terminus complexus in ratione termini, etiam generat imperfectum sensum in animo audientis, & oratio in quantū imperfecta per se ordinatur tanquam pars ad orationē perfectam, quæ est propositio: ergo eadem est vtriusque instrumenti formalis ratio. Prob. antec. pro prima parte. Nam terminus complexus est signum cōplexum repræsentans obiectum complexum, & causans eius notitiam in animo audientis: ergo generat saltem imperfectum sensum in eius animo; nam sic generare sensum nihil aliud videtur, quam generare notitiam.

Pro secunda vero parte prob. nam secundum D. Thom. 1. perhi. lect. 4. lit. a. & lectione 6. oratio imperfecta ordinatur ad perfectam, sicut pars ad totum: ergo eodem modo ordinatur ac terminus cōplexus, siquidem etiam ille ordinatur generando aliquem sensum; & ista per modum partis compositæ. Tum etiam, quia imperfectum per se ordinatur ad perfectum: ergo oratio, quæ ex essentia sua est imperfecta, per se ordinabitur ad propositionē, quæ est totum perfectum. Nec valet:

let dicere, quod ordinatur tanquam ad mensuram suae perfectionis, vel tanquam pars per accidens, sicut propositio ordinatur ad sillogismum. Nam hoc ipsum quod est perfici orationem imperfectam à perfecta, fit quatenus eam componit: sic enim fit sensus perfectus: ergo ordinatur tanquam pars, nam quod perficitur ut componens perficitur, quatenus est pars. Tum etiam, propositio ex se non est imperfectus sillogismus; imo secundum aliquos perfectior est, quia propositio est principium, & sillogismus est discursus, ac perinde cum sit ex se totum, tantum per accidens assumitur ad componendum sillogismum, à quo non habet perfectionem, sed potius eam illi communicat. At oratio imperfecta ex sua specie est imperfecta; ex sua ergo specie petit perfici, sicut materia, quia ex sua specie imperfecta est petit perfici à composito, & à forma; sed oratio imperfecta perficitur, quatenus componit perfectam: ergo. Sed qua ratione essentialiter petit perfici ab oratione perfecta, eadem petit eam componere per modum partis: ergo coincidunt formaliter ratio termini complexi, & orationis imperfectae.

9 Resp. tamen negando min. Ad 1. probat. dico, quod hic nomen *sensus* non dicit notitiam primae apprehensionis, sed secundae operationis (alioqui etiam terminus incomplexis generaret imperfectum sensum in animo audientis: ) complexus ergo, quatenus terminus appre-

hensivam notitiam generat, at oratio imperfecta iudicium generat imperfectum, quod in eodem materiali, non repugnat; nam eadem propositio categorica, quatenus dicitur apprehensiva est terminus complexus, & spectat ad primam operationem, quatenus autem iudicativa, iudicium generat, & spectat ad secundam eadem propositio hypothetica, conditionalis, aut causalis, aut rationalis sub eodem materiali potest, & spectare ad secundam operationem, & sic subire secundam intentionem propositionis, & spectare ad tertiam, & subire intentionem sillogismi, aut diuersus, quatenus illae partes quibus constant, earum compositio, sub diuersa ratione consideratur, & attinguntur ab intellectu. Sic similiter oratio imperfecta, quatenus terminus spectat ad primam operationem, quatenus autem oratio ad secundam, licet ibi obtineat infimum locum ob imperfectionem iudicij quem generat: nihilominus spectat ut sic ad secundam operationem, quia perfectum, & imperfectum ad eandem speciem pertinet, sicut albedo imperfecta, & perfecta.

Vnde ad secundam partem probationis bene ibi responsam est.

Ad replicam respond. quod oratio imperfecta, quatenus imperfecta reduplicatiue ordinatur ad perfectam, tanquam existens in eodem genere totius, non verò tanquam pars essentialiter; & ideo etiam non possit perfici nisi componendo orationem perfectam; non fit inde quod

fit pars, aut terminus formaliter; sicut albedo imperfecta, etsi ex natura sua dicat ordinem ad perfectam, & inclinationem naturalem, quia sic perficitur, & conseruatur, nihilominus quia ex se habet totam essentiam albedinis, non componit totum albedinale intersum, ut pars per se, sed ut totum. Certum autem est, quod oratio imperfecta est in genere totius: quia oratio diuiditur tanquam genus in species, in orationem perfectam, & imperfectam; sed oratio perfecta est in genere totius: ergo etiam imperfecta: at terminus est extra genus totius, & intra genus partis: non ergo est eadem ordinabilitas, quam habet terminus ad propositionem; ac ea quam habet oratio imperfecta, ut oratio est. Nec illud de propositione, aliquid urget, quia probabilius mihi est, quod principia sunt imperfectiora quam discursus, ut ostendi agendo de tertia operatione, & tamen quia propositio ex se est totum componit per accidens sillogistum, ut eius pars: ergo idem est dicendum de oratione imperfecta, in ordine ad perfectam. Sed dato, quod principia sint perfectiora, adhuc nihil contrarios, quia illa est ratio sufficiens, non vero adæquata: potest enim aliquid non ordinari ad aliud, sicut pars, quam tumuis perficiatur, si ordinatur ad illud tanquam totum imperfectum, quia sic est in eadem genus totius, & ex conjunctione ad aliud totum perfectius, cuius compositionem ingreditur, per se fitur in suo esse.

*Dubium 4. An terminus complexus sit simpliciter terminus, & an diuisio sit uniuoca, & essentialis?*

**R**esp. terminum complexum esse vere, & simpliciter terminum, ac perinde hanc diuisionem esse uniuocam, & essentialem, & generis in species, non quidem in ratione termini (quia sic est accidentalis) sed in ratione signi. Prima pars, scilicet, quod terminus complexus sit vere, & proprie terminus prob. quia terminus constituitur in ratione termini simpliciter talis per secundam intentionem partis ordinabilis ad componendam propositionem: sed hanc secundam intentionem per se, & simpliciter habet terminus complexus: ergo. Prob. min. ly *homo albus* per se, & per modum subiecti componit hanc propositionem, *homo albus currit*, quæ est simplex quædam, & per se propositio, non minus quam ista, *homo currit*: ergo.

Et prob. à simili. Nā respectu humani corporis non minus est parte brachium pars, & si alias sit compositum, & ætherogenea, quam alia pars simplex, imo est pars principalior, quia perfectiori modo conducit ad compositionem totius: ergo similiter.

2. Quod vero uniuoce sit terminus, patet. Tum quia si non minus per se participat rationem diuisi, nēpè partis ordinabilis ad componendam

dam propositionem, non est cur non vnius eam habeat. Tum, quia sic se habet terminus complexus in ratione partis, & termini ad terminos incomplexos, ex quibus constat, sicut se habet propositio hypothetica ad propositiones categoricas, ex quibus resultat: at diuisio propositionis in categoricam, & hypotheticam est vnius, ut docet Magister Bañez libro primo Dialecticæ tractatu secundo capite tertio, & nos in Dialectica parua: ergo.

Et dato, quod diuisio propositionis in categoricam, & hypotheticam esset analogæ, esset tamen disparatio. Quia terminus complexus per se componit propositionem, & habet per se rationem vnius subiecti, ut patet in hac propositione, *homo albus currit*; cum tamen duplex propositio componens hypotheticam, componat illam, ut est secundum quid, & coniunctione tantum vna; vnde fit, quod sicut brachium per se est pars hominis, & constituit vnum per se cum alijs partibus, ita terminus complexus est vnum per se in ratione partis, & terminali, constituitque vnam per se propositionem; etiam si vna categorica propositio, non per se componat vnam propositionem quando fit hypothetica, ex duplici categorica.

3 Quod vero hæc diuisio in ratione termini sit accidentis in subiecta, & solum quasi specifica in ratione signi, prob. Ad rationem termi-

ni, quæ consistit in ratione partis ordinabilis ad propositionem, per accidens se habet, quod habeat partes per se significatiuas, vel non habeat; hoc enim spectat ad rationem signi, quæ est simplex, vel composita, quæ se habet materialiter, & potest diuidi essentialiter per esse signum simplex, aut compositum: ergo hæc diuisio in ratione termini est accidentis in subiecta; esto in ratione signi sit essentialis; de quo modo non est curandum.

*Soluantur argumenta.*

4 Contra primam, & secundam partem conclusionis, arguitur primo. Nam terminus complexus non est vnus per se terminus, sed multi termini incomplexi: ergo non est simpliciter terminus, quia vnum & ens conuertuntur: ergo quod non est simpliciter vnus terminus, nec erit simpliciter terminus. Ant. prob. tum quia terminus complexus non est sicut nomen compositæ figuræ, in quo aliquod tertium resultat ex compositione partium distinctæ significationis ab eo quod quælibet per se separata significaret; at terminus complexus nihil aliud significat, quam quod partes significabant nisi quod modo simul sumuntur termini incomplexi, qui ante sparsim sumebantur: ergo terminus complexus est multi termini incomplexi, & nihil amplius.

Tum etiam, quia Dicitur Thomas primo per hiermen. lectione 8.


docet unū non dici univoce, de simplici, & composito; at terminus incomplexus est simplex, & complexus est compositus: ergo terminus complexus non est simpliciter vnus terminus. ¶ Resp. neg. mai. ad primam probationem dico: quod terminus complexus idem significat, quod incomplexa; absolute sup̄ta, nego, vt vnita, & ordinata per se, concedo: quia sit totum non distinguitur à suis partibus, ac multa vt vnita per se, non faciunt multa sed vnū: quod patet in brachio constāte partibus simplicibus, & in cōposito ex materia, & forma resultante. Patet etiam: nam cum dico homo albus, homo se habet vt pars materialis, & albus vt pars formalis, & sic fit vna pars per se composita. Quando autem dico Petrus, & Paulus, ly & , se habet sicut punctus continuatus inter partes simplices lineæ ex quibus resultat vnū per se: ac perinde terminus complexus sicut est vnus per se, ita etiam est per se, & simpliciter terminus.

Ad secundam probationem dico D. Tho. intelligi, de his, quæ sunt multa simpliciter, & vnū secundum quid: non de his quæ sunt multa materialiter, & vnū per se formaliter, alioquin brachium, neque esset simpliciter pars, neque vna pars humani corporis; at terminus complexus est vnū per se formaliter, & multa solum materialiter, & ideo vnū dicitur per se, & univoce, in ratione termini de incomplexo, & incomplexo,

5 Si instes, quod ex pluribus entibus in actu, non fit vnū per se: at complexus constat ex pluribus incomplexis in actu ( siquidem quodlibet incomplexum exercet suam significationem, intra complexum, ad differentiam partium termini compositæ figuræ: ) ergo complexus constans ex illis non est vnus per se terminus. ¶ Resp. verum esse, quod ex pluribus entibus in actu non resultat vnū per se in linea substantiali: at nego, quod non possit resultare vnū per se in linea accidentali, & artificiali, in qua est terminus, & omnia instrumenta artificialia, si habeant ordinem, & vnionem per se exactam in tali linea: nam corpus quantitatum est vnū per se in linea quantitatis, & tamen actu componitur ex linea superficie, & corpore, & linea constat ex partibus aliquotis, quæ actu sunt, quin vna pars horum se habeat vt potētia ad aliam, sed omnes actu sunt tales; & tamen si vniantur, & ordinentur naturaliter, medijs suis continuatiuis, efficiunt vnū per se, vel totaliter, vel partialiter. At terminus complexus, constat ex incomplexis vt actu sunt partes simpliciore, vniedo, & ordinando signa incomplexa vt dictum est: nihil ergo obest quo minus sit vnus per se terminus complexus, & vna pars composita propositionis categoricæ. Vide

tract. seq. disp. I.

dub. I.





## TRACTATUS QUINTVS.

De nomine, &amp; verbo.

## DISPV TATIO PRIMA.

De Nomine.

## DV B I V M PRIM V M.

*An definitio nominis tradita ab Aristotele bona sit, & exacta?*

**N**OMEN sic definitur ab Arist. *Est vox significatiua ad placitum cuius nulla pars per se est significatiua separata, finita, & recta.* Huius definitionis explanationem tradidi in Dialectica parua: vbi & ostendi esse definitionem exactam. Modo oportet diluere, quæ contra illam obijci possent, quamuis multa; quæ speciale examē requirunt in specialibus dubijs euoluantur.

*Soluuntur argumenta.*

2. Nomen non fuisse bene definitum ab Arist. sed melius definitum posse sic: *Est vox declinata per casus,* nonnulli ex neohericis insinuant; de quo videt P. Linæum lib. 6. Dialect. tract. 3. cap. 1. num. 6. qui dicit se in hoc sequi Hurt. Arriag. Minæum,

Mart. Capellam, & Anton. Nebrif. Sed quantum attinet ad secundos hæc nomen definitum quantum spectat ad facultatem grāmaticæ, quæ noluerunt excedere PP. Hurt. & Arriaga, sed Arist. definiuit nomē Dialecticè, quatenus est notamē rei certæ, & determinatæ: nec illi suum dictum probant, ideoque proponemus communia argumenta ad probandum, quod hæc definitio sit diminuta: plures enim voces sunt significatiuæ ad placitum, quæ quidem non sunt nomina, & tamen nulla est particula in hac definitione per quæ excludantur: nam in primis adiectiua non sunt nomina, & tamen nulla est particula per quæ excludatur: ergo. Prob. quia nomē, vel reddit per se suppositum verbo, vel potest reddere:

dere: at hoc non potest adiectiuum adiectiuè tentum; vt ait D. Th. 1. p. q. 39. art. 5. ad 5. (ideoque nec supponit:) ergo non est nomen. Tum, quia solum adiectiuū, adiectiuè tentum non potest conficere propositionem: vt si dicas *albus currit*: at nomen eam sit principalis pars propositionis, potest se solo constituere propositionem: ergo adiectiuū adiectiuè tentum non est nomen.

Conf. nam ly *omnis*, & alia syncategoremata nō sunt nomina, quia se solis, & ratione sui, nequeunt cōponere propositionem. Et tamen nulum est verbum in hac diffinitione, per quam excludantur: ergo.

3 Resp. neg. ant. ad 1. prob. resp. cum M. Bañ. hic cap. 2. lect. 10. & cū alijs, quod adiectiuum adiectiuè tentum est vere nomen, quia se solo potest constituere propositionem, & illam componere per modum prædicati, vt patet in hac propositione, *homo est albus*, ad rationem autē nominis non requiritur, quod necessario possit esse subiectum, seu reddere suppositum verbo: hoc enim solum est de perfectione illius, sed fat fuerit, quod sit prædicatū; quia propositio ex nomine, & verbo cōstat secundum Arist. & tamen per se cōstare potest ex prædicato: ergo quod per se potest esse prædicatum, potest etiam esse nomen, & sic adiectiuum adiectiuè tentum nomen est: quia etsi non possit per modū subiecti, potest tamen esse pars principalis propositionis per modū prædicati. Si autem mauis dicere, cū

Rubio Iabello, Huert. & alijs: nō esse nomina, quia eis nō possumus aliquid nominare. Dic, quod cum diuisum in nomen, & verbum sit terminus vniuocus categorematicus, & secundum aliquos adiectiua sint syncategoremata, in vi diuisi sunt exclusa: quin sit necesse aliquā super addere partialem, & sic patet ad vlt. Vel dic excludi per ly *significatiua*, quia vbi sumitur pro voce per se significatiua. Vel quod excluduntur per ly *recta*, quia nō significant in quid, sed in quale, seu aliquoaliter. Ex his colligitur, quod aduerbia non sunt nomina, quia sunt syncategoremata.

4 Arg. 2. Terminus mentalis correspondēs nomini vocali, est vere, & propriè nomen, v. gr. ly *homo*, cum dicitur mentaliter *homo currit*; componit namque propositionem mentalem reddendo suppositū verbo, & tamen in hac diffinitione excluditur per illam particulā *vox significatiua*: ergo hæc diffinitio est mala. ¶ Resp. quod in mea sententia conceptus ille, non est vere, & propriè nomen formaliter, sed repræsentatiuè, sicut dixi, quod terminus mentalis non est vere, & propriè terminus formaliter, & quod modus sciendi formalis, seu mentalis non spectat ad logicam, quia non constituitur à secunda intentione, ac perinde optimè excluditur per illam particulam, quia non est instrumentum logicale. Sed quia oppositum videtur placere M. Soto. ¶ Resp. quod hic diffinitur nomen per vocem, tãquam

quam per quid notius: sicut diffinitur terminus per vocem, tanquam per quid notius: quod si vellis communem exprimere diffinitionem, nomine vocis potest addi signū cuius nulla pars, &c. Et sic comprehendet omne nomen, tam mētale, quā vocale, & scripturū.

5 Arg. 3. Terminus æquiuocus non est nomen cum non sit notamē rei certæ, & determinatæ: & tamē non est aliqua particula in hac diffinitione per quam excludantur: ergo. Ad hoc argumentum quidam resp. cum R.R. M. Ioan. à S. Th. quod terminus æquiuocus, sicut est vnus terminus, ita & est vnum nomen: ac perinde non esse excludendum per aliquam particulā diffinitionis. Sed ego sicut supradixi non esse vnum terminum, ita & dico non esse vnū nomen. Sed inquirunt anxie aliqui, & longam texant disputationē ad inquirendum, per quam particulā excludatur in hac diffinitione. Dico ego, quod per nullam, sed ratione diuisi, quia terminus æquiuocus, vt ait M. Soto relinquatur ab arte, & omnes istæ diuisiones terminorum sūt respectu termini vniuoci, quod & mihi magis arridet.

Dub. 2. An complexa valeant sortiri rationem nominis?

1 Conclusio est negatiua: quia expresse excluduntur ab Arist. per illam particulam, cuius nulla pars per se est significatiua, ac complexa habent partes per se significatiuas: ergo non sunt nomina. Sed in-

quiritur, cur terminus complexus, ex eo, quod constat partibus significatiuis non sit nomen? Nam cum dico *homo albus mouetur*, fit formalis propositio: cōstat ergo nominæ, & verbo: sed non est ibi aliquid, quod possit sortiri rationem nominis: nisi ille terminus complexus qui habet locum vnus subiecti: est ergo illud complexum vere, & proprie nomen. At, vt supra ostensum est, illud complexum est vere, & proprie, per se, & simpliciter terminus, & vnus terminus, & ibi reddit suppositum verbo: ergo est nomen vere, & proprie. ¶ Insuper videtur incredibile, quod cum totum complexum sit vnū subiectum, & vnus terminus, solum ratione substantiui sit nomen, ratione vero adiectiui non sit nomen. Nam si hoc secundū non esset, cum malum sit ex quocūque defectu: & ratio nominis dignitatem dicat absolutè illud complexum non esse dicendum nomē, & sic verificaretur contra Arist. quod datur propositio formalis, quæ non constet nomine, & verbo, vnde sicut, vbi vna pars est non significatiua tota propositio deprimitur, & ex formali redditur materialis; sic totū illud cōplexum ratione adiectiui, quo cōpletur in ratione cōplexi: careret ratione nominis, & sic nō esset formalis propositio illa.

2 Fateor esse hæc mihi aliquantulum difficilia: dicendum tamen, quod complexa eo non sunt nomina, quia cum plura significent non sunt notamē rei certæ, & determi-

nata: unde vel complexum constat duplici termino substantiuo, vel adiectiuo, & substantiuo: vt cum dico *Petrus, & Paulus currunt*, aut cum dico, *homo albus currit*: cum ergo constat complexum duplici substantiuo hoc esse nō potest nisi copula intret, aliās non erit complexum: sed duo incomplexi termini successiue prolati, & tunc propositio facta æquiualeter est duplex, & sensus est *Petrus currit, & Paulus currit*: tunc enim redduntur duo supposita verbo, & duæ personæ nominantur, at cum vna pars est substantiuum, & altera adiectiuum, prima in illo cōplexo est nomen, & reddit suppositum verbo; secunda vero non; quia adiectiuum non nominat, sed solum substantiuum dicens quid est res. Nec tamen hoc impedit quin ibi sit vnus terminus complexus, etsi vna pars sit nomen, & altera non, quia sicut prima supponit, & non secunda, quia adiectiuum non reddit suppositum verbo, sed rem significatā per modum qualitatis ponit circa substantiuum: sic illa pars, quæ est substantiuum est nomen, & non ea quæ adiectiuum, & sic verificatur. Tū, quod illa propositio formalis nō est in nomine in exēplis positis. Tū, quod complexum ratione complexiōis, non est nomen. Et sic sequitur, quod complexum, vt tale nō est nomen, & quod propositio constat ex nomine, non qua complexū est, sed qua pars complexi substantiuā est, sicut brachium vna pars hominis est, & tamen non viuit ratione

forma, aut compositionis brachij, sed ratione spirituum vitalium, quæ sunt vna pars integralis brachij. Et per hæc recte expensa fit satis ad rationes dubitandi.

3 Si in istis ex dictis tract. antec. disp. vlt. dub. vlt. vbi dixi, quod terminus complexus ita componitur ex suis partibus, quod non sint duo termini, sed vnus per se terminus: ergo ibi non manet substantiuum, in ratione termini incomplexi: ergo nec in ratione nominis: hæc enim supponit rationem termini non cōplexi: ergo vel præfatæ propositiones non constat nomine, vel totum complexum habet ibi rationem termini. ¶ Resp. idē ibi dictum fuisse non manere illos duos terminos in ratione incomplexi: quia nō denominantur sic; eo quod transeūt in compositionē vnus termini cōplexi: cæterum concepsi ibi adū esse duos incomplexos terminos unitos quidem: & sic possunt exercere aliqua officia. Sicut materia prima etiam exercet aliqua munera sibi propria in composito; vt esse rationem recipiendi accidentia, & superficies, etiam componat, corpus tamen se ipsa est subiectum albedinis ratione sui, sic illud incomplexum substantiuum componens illud cōplexum *homo albus* exercet munus nominis, quia adhuc sub illa compositione: reuera supponit, & reddit suppositum verbo (quod non habet adiectiuum) & reuera nominat quid est homo. Vnde & dici potest, quod complexum est nomen, nō ratione

tionem sub, sed ratione substantiui, sicut homo est materialis ratione corporis, & spiritualis ratione animæ, & hoc esse intentum Arist. hic, & tota hæc doctrina fulciri potest ex eo, quod *ly homo albus* est vnū subiectum: & tamen non est nomen vnius ratione omnium partium significatiuarum, ex quibus constat: poterit ergo esse vnus terminus, et si non constet ratione nominis secundum omnes partes, & tamen ratio subiecti, vel prædicati est superior ad rationem nominis, ita vt nō sint ibi duo subiecta incompleta sub denominatione subiecti incomplexi, sed solum est vnū subiectum complexum, quamuis officium nominis, ratione vnius tantum partis exerceat: ergo idem dicitur de ratione termini, quod non sunt ibi duo termini incomplexi, sed solum vnus complexus: & tamen exercet rationem nominis ratione vnius partis.

*Dis. 3. An nomina infinita recte excludantur à ratione nominis per illam particulam finita?*

**C**onclusio est affirmatiua. Et ratio redditur à B. Th. hic 1. periherm. lect. 4. quia non est notamen rei certæ, & determinatæ: ergo nec nomen. Ant. prob. negatio infinita as aliquem terminum, vt cū dico *non homo*: nec significat ipsum hominem, remouendo aliquid ab illo: sic enim non sumeretur infinita-ter, sed nega-ter, nec significat de-

terminatè ipsam negationem vt *nul-lus*, aut *nihil*: sed tota vis negationis, vt infinitantis terminum, consistit in eo: quod reddat indeterminatam propriam significationem termini, & ipsam negationem eius nullum determinando subiectum: significat ergo tam quod est, quā quod non est, ac perinde non est notamen rei certæ, & determinatæ: vt ipsum nomen infinitatis satis innuit. Hæc ratio desumpta est ex Arist. & D. T. 1. per. lect. 4. & 1. p. q. 13. art. 2. & q. 17. art. vlt. & ab Auth. opusc. 48. cap. 1. de enuntiatione circa finem.

Et conf. de ratione nominis est significare aliquid positium ex parte formæ, vel ex parte substracti si sit nomen connotatiuum, vel si est absolutum petit aliquid positium significare determinate: nam quod nō est, nec scitur, nec nominatur: at nomen infinitum, nec significat aliquid absolutum positium per se determinatum; neque significat aliquid determinatū ex parte formæ, quia hæc est negatio in determinata, ex parte autem substracti in quo est; non dicit aliquid positium, & determinatum, quia in hoc distinguitur negatio à priuatione, quod priuatio determinat sibi subiectū, at negatio nō determinat: ideoque tam dicitur de eo, quod est, quā de eo, quod non est: ergo ex nullo capite possuat termini infiniti habere rationem nominis.

2 Quod vero termini infiniti solum excludantur à ratione nominis, per illam particulam *finita* non autem

autem per illam particulam *cuius nulla pars* prob. ex dictis tract. ant. disp. 4. dub. 1. nu. 10. huiusmodi termini sunt connotatiui, & incomplexi, quod & docet M. Soto lib. 1. Summul. cap. 9. not. 2. loquendo de albo, ubi negat quod secundum quod connotatiuus terminus est sit complexum: ergo. Tum etiam *ly non homo* nullas habet partes per se significativas: ergo non excluditur per illam particulam: *Cuius nulla pars*. Prob. tantum illi correspondet in mente vnicus conceptus simplex negationis hominis: vt per se constat, at compositio partium termini, ex quibus resultat complexio termini, solū regulatur per hoc, quod in mente correspondent plures conceptus, vt docet ibi M. Soto, citato cap. 9. ergo. Alias per illam particulam  *finita* optime excluditur terminus infinitus: ergo.

*Soluntur argumenta.*

4 Arg. 1. termini infiniti nō dicuntur tam de eo, quod est, quam de eo quod non est: sed determinatē significant, quod est, aut quod non est: ergo significant aliquid determinatū, ac per consequens suat vera nomina. Prob. antec. tum, quia *nō ens*, aut *non intelligibile*. Dici nequeunt de eo, quod est, & determinatē dicuntur, de eo, quod non est: ergo. Tum etiam, quia *ly non homo* ex parte forme determinatē, dicit negationem hominis, & non negationem equi: vnde hæc est falsa, *non equus est nō homo*; ex parte autem in abstracti, *nō homo* determinatē, dicitur de eo, quod

non est homo, non minus quam *ly immateriale* de omni eo, quod nō habet materiam: sed *ly immateriale* hac particula non excluditur à ratione nominis: ergo nec *ly non homo* potest excludi. Præterea, hæc est essentialis propositio, *equus est non homo*: ergo prædicatum affirmat aliquid determinatum de equo: nam prædicatum essentialē alicui determinato debet esse aliquid determinatū: ergo. Tū denique, hæc eadē præfata propositio dicit determinatam veritatem: at determinata veritas debet oriri ex determinatis extremis in significando (alioqui cum in determinatio sit de genere mali, & malum ex quocumque defectu, fieret eam propositionem; non esse determinatæ veritatis: ) ergo etiā prædicatum significat aliquid determinatum.

5 Resp. quod *non ens* solum dicitur de non ente; sed modo indeterminato, nihil notificando determinatē, & ideo non est nomen, etsi de solo non ente dici possit. Præterquamquod etiam dicitur de ente; vt patet in hac propositione *equus non est non ens*.

Ad 1. conf. dico: solum probare, quod ex parte rei significatē dicat aliquid in re determinatum, at non ex parte modi: quia nec talis negatio significatur vt forma determinata, nec subtractum sibi vendicat determinatum, ad differentiam priuationis, sed eius subtractū tam est id quod est, quam quod non est, ex vi modi significandi. Vel melius dic, quod

quod ex parte formæ dicit negatio  
nē exercitā; & ideo non est nomen  
quia nomen, quod est nominat per  
formā qua est, nō vero quod non est  
per formā destruentē esse; ex parte  
vero subtracti non dicit determina-  
te subtractum; sed in confuso, & va-  
gē, tam quod est, quam quod non  
est, & ideo ex nullo capite potest es-  
se nomen. Et licet falsum sit, quod  
non equus, est non homo, quia ho-  
mo est non equus, & tamen non est  
nō homo; inde tamē nil cōtra nos  
vergetur, quia, negationes, etsi pos-  
sint determinatæ nominari, tamen  
in stricta significatione nominis ne-  
queunt. Neq; est idē de *ly immateria-  
le*. Tū quia reuera significat perfec-  
tionem positivam, quamvis per ne-  
gationem explicetur. Tum quia nō  
dicitur tam de eo quod est, quam  
de eo quod non est. Tum quia natu-  
ram perfectissimam circūloquitur,  
ac perinde non est idem *ly immateria-  
le*, ac *ly non materiale*, quia primum  
ponit, secundum vero remouet: pri-  
mum dicit quod quid est, secundum  
etiam de eo quod non est dicitur.

Nec obstat D. Dionis. c. 1. de ce-  
lesti hierarch. vbi docet, quod me-  
lius significatur Deus per prædicata  
negatiua, qualia sunt *immaterialis*, *in-  
comprehensibilis*, &c. quam per posi-  
tiua: ergo *ly immateriale* non signi-  
ficat naturam spiritualem positivè,  
sed negativè.

Resp. enim ibi, vel sumpsisse  
S. Dionis. *ly immateriale* pro eodem  
ac *ly non materiale*; vel ideo dixisse,  
ea esse prædicata negatiua, quia ex

parte rei significatæ, id quod est sine  
materia significant, quāuis hoc mo-  
do positiuo significant.

Ad ultimam confirmationem  
respond. ex Caiet. cap. 4. de ente &  
essent. cap. 5. quod *ly non homo* posi-  
tum à parte prædicati in illa propo-  
sitione, vel potest sumi pro funda-  
mento, vel pro ipsa negatione. Pri-  
mo modo est essentialis, & determi-  
nata veritas; sed non sumitur prædi-  
catum, vt infinitum. Secūdo modo  
est accidentalis, sicut cum dicitur e-  
quus est species, quia ea negatio per  
operationē intellectus attribuitur  
equo infinitanter, cum equus reue-  
ra non sit homo, & solum operatio-  
ne intellectus dicatur non homo, &  
sic etiam est ea propositio indeter-  
minatæ veritatis, quia manet suspē-  
sus intellectus, nec plenè percipit,  
quid sit cum dicit, quod est non ho-  
mo affirmatiuè, & infinitanter, nec  
plenè percipit quid sit equus, per il-  
lam infinitationem.

6 Sed contra doctrinam huius  
solutionis instari potest. Tum, quod  
vox infinitata habet essentialiter ra-  
tionē signi, & termini vniuscuiusque cathe-  
gorematici incomplexi: ergo est no-  
men. Prob. conseq. nam talis termi-  
nus diuiditur adæquatè in nomen,  
& verbum diuisione generis in spe-  
cies; sed vox infinitata est terminus,  
qui sic diuiditur adæquatè, & non  
est verbum: ergo est nomen. Prob.  
conseq. per regulam diuisionis à di-  
uiso ad mēbra diuidentia, cum nega-  
tione vnius, ad propositionem alte-  
rius, est bona consequentia.

Tum quia secundum Diuum Thomam primo Perhiermenias lectione prima, omnis oratio formalis constat nomine, & verbo: at ista, *non homo currit*, est propositio formalis: ergo subiectum est nomen.

Tum 3. quod reddit suppositum verbo est nomen: at *ly non homo* reddit suppositum verbo in hac, *non equus est rationalis*: ergo.

Tum 4. nomen est quod deseruit arti sillogisticæ: at vox infinitata hoc præstat, vt patet ex illa regula à negatiua ad affirmatiuam variato prædicato penes finito, in infinitū est bona consequentia: ergo.

Tum 5. *ly ens*, & *ly imaginabile*, & *intelligibile* dicuntur, tam de eo quod est, quam de eo, quod non est: siquidem ens vt abstrahit à reali, & rationis dicitur de non ente, & *ly intelligibile* dicitur de non intelligibile, quia *ly non intelligibile* adhuc est significabile, & tamen non ideo excluduntur à ratione nominis: ergo neque hac ratione excluditur nomen infinitum.

7 Respond. quod solum terminus vniuocus cathegorematicus finitus, & signū finitū, sunt diuisū, in hac diuisione; & ideo non vrget prima impugnatio, quia non homo non est signum finitum.

Ad 2. quod omnis propositio formalis constat nomine, & verbo, aut eo quod habet locum nominis, etsi stricte nomen non sit; vt cum dico currere, est moueri.

Ad 3. quod reddens suppositū verbo, si non notificet aliquis deter

minatū, vt contingit in nostro casu, est quidem subiectum; sed non nomen ¶ Ad 4. quod non omne quod deseruit arti sillogisticæ debet esse nomen, aut verbum, maximè si per accidens, aut per contrapositionem tantum deseruiat, vt contingit in casu posito; vbi ea demonstratio non est ostensiuā, sed quasi per contrapositionē. ¶ Ad 5. quod licet illa ex parte rei significatæ sint, ita inde terminata, sicut infinita; tamen sūt determinata ex parte modi significandi: & hoc sufficit ad rationem nominis.

8 Si adhuc instes, quod ex modo significandi, *ly non homo* significat negationem, ac si esset forma adiacens alicui, non minus quam *ly cæcum*: ergo ex modo significandi aliquid dicit determinatum ex parte formæ. Ex alia autem parte, non minus determinat ex parte subiecti, quam *negatio hominis*, quæ ex modo significandi, significat aliquid determinatum: ergo ex nullo capite potest excludi, *non homo* à ratione nominis. Tum etiam *ly non homo* ex modo significandi distinguitur à *ly non equus*: ergo ex modo significandi determinatè significat: non enim stat distinctio vnus ab alio, nisi per aliquid determinatum.

9 Respond. quod etsi cæcum, & non videntem, seu non homo ex parte formæ concipiantur ac si essent formæ; differunt tamen, quia vnum significatur, vt forma determinata, nempe priuatiua; aliud vero vt indeterminata; vnde quantum ad hoc

hoc, quod est non significare aliquid posituum ex parte rei significatæ, & hoc titulo carere ratione nominis, vtraque vox conuenit; sed quia nomina priuatiua, eam formam significant determinatè, & posituè, & circa subiectum determinatum, sunt nomina; at negatiua, seu infinita nomina, præter hoc, quod est ex parte formæ significatæ non ens significatæ, ipse modus est indeterminatus, & circa subiectum indeterminatum, quia negatio est vaga; quod non habet *negatio hominis*, neganter sumpta: quia hæc non destruit significatum hominis, sed est quasi accidens illi adiunctum.

Ad 2. respond. eas voces infinitas distingui quidem quasi negatiuè, quia vna non est alia; non autem distingui posituè, & ideo inde non sequitur aliquid significare determinatè.

Si istes ex Aristotele primo Perhiermen. cap. ultimo, asserente, quod propositio negatiua nihil ponit; at quæ est de prædicato infinito aliquid ponit: ergo prædicatum infinitum aliquid ponit.

Respond. ponere aliquid ex parte rei significatæ, non ex parte modi: quia aliquid affirmat, quod habet modum negationis.

10 Contra secundam partem conclusionis arg. ad probandum, quod nomina infinita sint complexa, ac perinde, quod superflue ponitur illa particula *finita* in definitione nominis, cum sint sufficienter exclusi per illam particulam *chius nul*

*la pays*. Et arg. sic. Terminus infinitus constat partibus significatiuis per se, quarum quælibet separata aliquid significat, & intra illud compositum retinent suam significationem, & significatione totius est iuxta significationem partium: ergo est nomen complexum.

Respond. non esse complexum, quia non correspondet duplex conceptus in mente. Vnde etsi partim videatur terminus complexus quoad apparietiam, partim compositæ figuræ: neutrum tamen est (sed est terminus infinitus.) Non primum, quia neque *ly non*, neque *ly homo* retinent suas significationes intra illum terminum, cum potius mutetur tota significatio; quia *ly non* ibi non negat, & *homo* non significat animal rationale, sed non animal. Non est terminus compositæ figuræ: quia si illi termini *non*, & *homo* deponerentur à sua significatione, *ly non homo*, non significaret idem, quod modo; ac per consequens est terminus incomplexus, qui debet diuidi in terminum finitum, & infinitum, vt diuiditur à Iauello; & in terminum compositæ figuræ, & simplicis. Vide nihilominus pro hoc

argumento Ortiz contententia prima de nom.

à numero

156.



*Dubium quartum. An nomina transcendentia possint infinitari?*

**I** Termini transcendentis, & supertranscendentes, de quibus suo loco dixi in Dialectica parua, dupliciter possunt considerari, (vt etiam ibi notauit agens de nomine) aut secundum omnem latitudinem ad quam se extendit eorum significatio; aut secundum aliquam lineam peculiarem, v.g. ens in tota sua latitudine significat, quod habet esse, quomodocumque, vt scilicet se extendit ad ens reale, & rationis, accidentale, aut substantiale, creatum, aut increatum. At vero in linea peculiari significat ens reale, aut ens rationis, determinate: ergo in presentiarum, prima sententia tuetur, quod ens quatenus significatur in tota sua latitudine potest infinitari. Sic Louanienses, & Conimbric. 1. Perh. c. 2. q. 2. art. 3. Suesanus, & Niphus, quos sequitur Rub. in hoc loco, & P. Lincus lib. 3. Dialect. tract. 3. cap. 2. RR. M. Ioan. a S. Th. q. 2. de nom. art. 2. in fine. Ortiz ibi confer. 2. M. Mart. de Prado lib. 7. Dialect. cap. 8. à nu. 15. & alij plures.

Secunda vero sententia tenet, transcendentia secundum totam suam significationem non posse infinitari, sed tantum secundum vnā determinatam lineam. Sic Albert. Mag. 2. lib. Perh. tract. 2. cap. 5. & apud eum Auicena. Toletus

hic q. vnic. conclus. 4. Mas. q. 5. Sotus cap. de nom. not. 6. si attente legatur vt expendit hic Huert. q. 15. art. 3. qui hanc tenet opinionem, citatque Soncinat. 4. meth. q. 7. & hoc ipsum ego docui in dialectica parua cap. de nom.

*Vnica conclusio*

2 Esto prima sent. sit probabilis; tamen mihi certius est, quod nomina transcendentia vniuersalissima, in tota sua vniuersalitate infinitari non possunt. Prob. termino infinito correspondet in mente aliquis conceptus vltimatus incōplexus, quē significat talis terminus infinitus vocalis: at termino vocali transcendenti infinito secundum suam omnem latitudinem, conceptus incōplexus vltimatus in mente respondere non potest: ergo nec talis terminus vocalis infinitus dari poterit in voce vere, quamuis apparenter possit infinitari, & possit illi voce correspondere conceptus in mente non vltimatus. Mai. videtur certa, quia termini vocalis significat rem mediante conceptu, vt docet Arist. 1. Perh. lect. 2. Min. autem prob. quia quod non est, non scitur, aut cognoscitur, & quod nullo modo est, nullo modo cognoscitur: ergo de non ente vt non ens implicat conceptus vltimatus in mente.

Antecedens constat, quia obiectum adæquatum, & essenziale intellectus nostri est ens vt abstrahit à vero, & fido; sicut obiectum no-

fræ voluntatis est bonum, vt abstractum à vero, & apparenti bono; at non ens, sicut & non bonum, omnino destrueret entitatem, & bonitatem si infinitaretur: ergo destrueret, & remoueret in suâ omni latitudine, omnem rationem obiecti intellectus: ergo implicat in exercitio dari conceptum vltimum de non ente, sicut implicat dari appetitum de non bono negante rationem obiectiuam voluntatis, & non visibile in actu terminare visionem; implicat igitur dari terminum transcendentem, qui infinitaretur secundum totâ suam latitudinem. ¶ Prob. hoc vltimum, quia omnis terminus transcendens, aut significat entitatē, aut passionem ei⁹, at quod nullo modo est ens, aut passio entis, nullo modo est obiectum intellectum ab intellectu: nam licet bonum possit dici, quod actu non est tale voluntati, vt patet in possibilibus: at si intelligi potest est bonum, saltem intellect⁹, & perfectio intelligentis; ac perinde dico, quod id quod negaret omnem bonitatem, aut aliam passionem entis, nullo modo posset habere conceptum in mente vltimata.

3 Confirmatur: nam esto intellectus, ob suam vniuersalem vim, & virtutem in intelligēdo, & reflectendo, possit conari intelligere negationem entis in actu signato, posita negatione entis in omni sua vniuersalitate: at in exercitio intelligendo illam vniuersalissimam negationem per quandam reflexio-

nem, eam intelligit intellectus fingendo entitatem fictam, & faciendo ens rationis ad modum cuiusdā formæ, eo quod nequit egredi limites sui obiecti, quod est ens, ac perinde nequit non relucere entitas ex parte obiecti ad quem tendit, seu de quo format conceptum: ergo dari nequit conceptus de non ente, vt non ens in tota sua latitudine; at si non ens significaretur in voce infinito significatum entis in tota sua latitudine, significaret non ens vt sic negando entitatem rationis in se esse in actu exercitio cognoscibile: ergo cum hoc implicet, etiam implicat terminus transcendens, sic infinitatus.

4 Si dicas: quod illa non entitas, significat in recto negationē entis, quamuis in obliquo significet entitatem, quæ ad modum illi⁹ concipitur.

Sed contra est. Tum, quod terminus infinitus est terminus connotatiuus supponens in recto pro aliquo, de quo possit verificari: at non ens in sua latitudine sumptū, nullū materiale supponit; neq; in re, neq; in intellectu, pro quo supponat: quia pura non entitas negās, seu destruit entitatem, tam veram, quam fictā, de nullo potest dici, aliis de formali dicit negationem entitatis, tam veræ, quam fictæ: ergo tam in recto, quam in obliquo ex ipso modo significandi, qui reuera est non significabilis, dicit negationem entis, quod est dicere ex parte vtriusque remotionem rationis specifi-

ficatur intellectus: ergo dicit remotionem à priori conceptus intellectualis, qui dari non potest nisi obiectum ad quod terminatur, sit ens, vel verum, vel fictum, vel saltem abstrahens, quod omne remouet non ens, in illa latitudine sumptum.

Præterea, modus intelligendi supponit, quod actus intellectus habent illum modum in recto, cum in recto dicat obiectum intellectus, ad quod actus habens talem modum intelligendi possit terminari (siquidem nullus actus intellectus potest abstrahere ab obiecto essentiali intellectus; ) at non ens infinitanter sumptum, omnino remouet obiectum intellectus, quod est ens in tota sua latitudine, & oppositum eius reddit: ergo intelligibile est, quod non ens sic sumptum possit habere conceptum sui in intellectu; quantumvis addatur terminis illis, illud in recto, scilicet, vel in obliquo, ex parte rei intellectæ, vel ex parte modi intelligendi.

Præterea, ille terminus non ens, vel est terminus connotatiuus, vt suo loco ostendi, vel est absolutus, vt mauult M. Ortiz. Si primum, negationem ipsam debet significare, vt ens positium, & vt formam, & subiectum, vt id cui adiacet forma ex modo significandi, quia ex tali modo reuera fingit vtrumque, scilicet, quod est non ens ad modum entis: falsificaret ergo ille terminus in finitum seipsum, si negaret omne ens, siquidem ea vox repræsentaret con-

ceptum intellectus, secundum modum quem habet in intellectu, sicut species repræsentat naturam, vt conceptam: ergo ex parte obiecti repræsentaret ens: at non ens destruit in hac hypothese, omne ens: ergo se ipsum falsificaret si infinitaretur. Si autem est terminus absolutus *ly non ens* absolute negat omnem entitatē, vt conceptam: ergo negat entitatē ex modo significandi: hæc enim aliqua entitas est, & quod absolute negat totum, nihil relinquit: fictitium ergo est, quod *ly non ens* sit terminus infinitus, infinitando ens quoad totam suam latitudinem; nam ex modo significandi, est quoddam ens, rationis scilicet, etsi omne ens negat, destruit per consequens entitatem ex modo significandi, quam ex tali modo deberet significare.

5 Secundo (alijs relictis) prob. conclusio. Sincathegoremata, vt *ly omnis*, *ly nullus*, & alia huiusmodi infinitari non possunt, secundum Magistrum Sotum cap. de nom. not. 6. in ipso fine: ergo transcendentia, & supra transcendentia multo minus possunt infinitari Ant. prob. nam negatio, in illis sincathegorematicis, necessario transit in copulam, ideoque *non omnis homo currit*: est idē ac dicere quidam homo non currit, & non quidam homo non currit, est idem ac omnis homo, quia duplex negatio affirmat, quæ omnia constant ex dictis à nobis in dialectica parua cap. de æquipollentijs: ergo huiusmodi sunt cathegoremata negari

gari quidem possunt: non tamen infinitari: ergo idē est de terminis transcendentibus. Conseq. vero probatio ob quam mea sententia illa sincathegoremata negari quidem possunt infinitari non possunt, est; quia infinitatio, cum non sit negatio, aliquid virtualiter affirmat, scilicet, quia negationem dicit affirmatiue de aliquo, seu de eo quod est, & de eo quod non est concepto ac si esset aliquid, & totum hoc importat in sua significatione, licet indeterminate, & quia sincathegorema, nihil importat, nisi modum, eo infinitatio, nihil relinquit de quo verificari possit; sed etiā addita negatione supertranscendens, nihil relinquit de quo verificari possit cum totum, quod esse, aut intelligi potest destrui, etiam quoad modum entitatis: ergo ea transcendentia negari possunt, infinitari non possunt.

6 Respond. Pater Linceus loco iam notato à nu 23. vel quod ea sincathegoremata infinitantur, nec esse idem de equipollentia; nā quæ equipollent idem non sunt; nam et si non omnis homo currit equipolleat huic, quidam homo non currit; re tamen vera non est eadem propositio; sed prima est affirmatiua, de subiecto vniuersali infinitato; secunda vero particularis negatiua. Vel ad summum probat argum. quod solum intra propositionem ea sincathegoremata infinitari nequeant.

Si istes, quod ista propositio *nullus homo est lapis*, negatiua est: er-

go & illa, *id aliquis homo currit*, quæ illi equipollet, est etiam negatiua, quia huiusmodi termini equipollentes eundem conceptum vltimatum habent, quamuis voces sono discrepent, & perinde quantum ad sensum sunt synonymæ, aut quasi.

Respond. Pater Linceus, negando, quod ea propositio *nullus homo currit*, sit negatiua; solum enim, inquit, est de subiecto infinito, quia *nullus* est negatio adiectiua, non adverbialis; negatio autem adiectiua, non afficit verba, sed nomina: negatio vero afficiens nomina, & non verba, non negat, sed tantum infinitat.

7 Sed, nisi mea me fallit opinio, hæc solutio recurrens ad elementa grammaticalia, eneruat funditus principia notissima dialecticæ; vnde cum grammatica non debeat corrigere dialecticam, quæ altior est, sed potius, per oppositum, hæc quæ docet modum concipiendi, artem locutionis debeat emendare, quæ ad exprimendos conceptus adinuenta est, dicendum erit, quod illa equipollentia signat conceptus esse eodem, ac perinde si hæc *nullus homo currit* equipollet negatiuæ, erit propositio in se negatiua. Alioqui, si ea propositio *nullus homo currit* esset de subiecto infinito, & non de copula negata, non posset esse contradictoria huius, *quidam homo currit*; siquidem vtraque esset affirmatiua: ergo illa propositio *nullus homo currit*, strictissimè debet dici negatiua:

gatiua, sicut ea, non omnis homo currit, quæ contradictorie opponitur huic, non omnis homo currit. Et ratio est, quia illæ propositiones pugnant veritate, & falsitate: at huiusmodi repugnantia contradictoria est, & solum verificatur ratione affirmationis, & negationis, eiusdem de eodem; regulaturque per illud principium, quodlibet est, vel non est: illa ergo solutio evertit funditus dignitatem, quæ est caput, & principium dirigens omnem artem syllogisticam, & totam dialecticam.

*Soluantur argumenta.*

8. Pro opposita sententia. Arg. 1. significatio entis potest de aliquo negari sumpto ente intra latitudinē, & negationē infinitanter sumpta, vt cum dico, chimera est non ens: sed quod potest sic verificari de aliquo infinitum est: ergo transcendentia possunt infinitari.

Conf. primo. Nulla est repugnantia, quod intellectus apprehendat ipsam negationem entis vniverfalissimi per modum negationis, & quod ea sic apprehensa significet per hoc nomen *non ens*: ergo & nulla repugnantia est in eo, quod transcendens possit infinitari.

Confirmatur secundo. Negatio entis potest concipi, & vt ens, & vt negatio: sed primo modo significatur per hoc nomen ens, dicendo negatio entis, est ens rationis, & per modum negationis significatur per non ens: ergo sic potest concipi, & significari; sed hoc ipsum est infinitari: ergo.

9. Respond. negando, quod in ea propositione prædicetur de chimera non ens in tota sua latitudine: sed solum ibi negatur ens verum, & attribuitur non ens verum: immerito ergo inde infert M. Ortiz, quod ens in tota sua latitudine possit infinitari. ¶ Ad 1. conf. resp. negando non esse repugnantiam in apprehendendo negationem totius vocis; hoc enim esset egredi limites obiecti specificatiui intellectus, quod est ens vt abstracta vero, & ficto; & per hoc patet ad 2. conf. nego namque param negationem vt talem posse concipi: semper enim concipitur, vt ens licet fictè sit ens, & ideò verum est eam negationem esse ens fictū, at negatio entis in tota sua latitudine intelligi nequit, quia non est intra obiectum intellectus.

10. Arg. 2. ens in tota sua latitudine potest negari de aliquo; vt cum dicitur, quod nihil non est ens, aut quod ratio entis non est ratio boni: ergo etiam potest dici infinitanter, quod nihil est non ens, aut quod verum est non ens. Prob. consequ. tum ex loco arguendi à negatiua ad affirmatiuam, variato prædicato de finito in infinitū. Tum quia eo ipso ac de Petro dicitur, quod est ens, potest dici, quod non est non ens: ergo si de nihilo dicitur, quod non est ens, poterit dici, quod est non ens, aut quod non ens est nihil. Quod explicatur ex hoc, quod asserit nostra sententia, scilicet, quod non ens, est nihil; sumpto ente in tota sua latitudine: ergo non ens, sumpto ente in to-

ta sua latitudine: ergo non ens, sum-  
 pro ente in tota sua latitudine, est  
 conceptibile, & significabile: siqui-  
 dem de illo affirmatur esse nihil, &  
 affirmatur à nobis, quod non est ter-  
 minus infinitus, eo quod nihil est; at  
 ea negatio in ea propositione non  
 transit in copulam, siquidem non est  
 ratio cur *non homo* positum à parte  
 subiecti sit terminus infinitus, & ta-  
 men, non ens sit terminus finitus: er-  
 go. ¶ Denique: eundem sensum fa-  
 cit, *nihil est non ens*, ac non ens est ni-  
 hil: sed prima propositio est affir-  
 mativa: ergo secunda: ergo utrobi-  
 que *ly ens* in tota sua latitudine sum-  
 prum infinitatur.

11 Resp. quod semper est falsum,  
 quod nihil sit non ens in tota sua la-  
 titudine, aut quod non ens in tota  
 sua latitudine sit nihil, aut quod ni-  
 hil nō est ens in tota sua latitudine,  
 quia nihil semper, respectu intellec-  
 tus nostri, est aliquid rationis, nec  
 liter potest à nobis intelligi, aut præ-  
 dicari, aut subijci respectu alterius,  
 ac perinde nunquam negatio po-  
 test apponi puro nihilo, secundum  
 quod excludit omnem entitatem  
 in tota sua latitudine, siue negatio  
 apponatur negaater, siue infinitan-  
 ter. Quorum ratio est, quia nihil eo-  
 modo suprum est extra latitudinē  
 obiecti intelligibilis, ac perinde ne-  
 quit concipi nisi ut ens, ac per conse-  
 quens nec significari à nobis, quam-  
 vis verum sit, quod significatur, ut  
 ens fictum. ¶ Ad argumentum igi-  
 tur resp. quod ens in tota sua latitu-  
 dine de nullo negari potest à nostro

intellectu, quia sic est extra obiectū  
 intellectus nostri: ac perinde nullæ  
 regulæ logicæ (quæ versantur circa  
 ens saltem rationis) exercentur cir-  
 ca huiusmodi negationes, aut infini-  
 tationes entis in tota sua latitudi-  
 ne. In illis autem propositionibus  
 negatur ens verum de nihilo, aut à  
 contra, nihil affirmatur, aut nega-  
 tur de ente vero, non autem de en-  
 te ficto, eo quod alias ea propositio-  
 nes essent falsæ: siquidem nihil est  
 fictum ens, quando intelligitur, aut  
 significatur: quia cum obiectum in-  
 tellectus sit ens, ut abstrahit à vero,  
 & ficto, non potest concipere, vel  
 significare ipsum nihil, aut putam-  
 entis negationem, nisi attingendo  
 illam sub ratione entis facti, & ficti  
 ab ipso intellectu.

12 Hinc infero, quod *non ens* sup-  
 rum in tota sua latitudine, cum non  
 significet, est vox quædam, quæ ap-  
 parenter terminus est, & propositio-  
 nes componit, re tamen vera spec-  
 trum quoddam est, quod nec habet  
 rationem termini, nec veram pro-  
 positionem componit; sed est quæ-  
 dam vox supponens pro se, sicut *bli-  
 tum*. Vel quod verius est se per signifi-  
 cat negationem entis in linea limi-  
 tata, non in tota sua latitudine, quia  
 sub illa limitatione deseruit in-  
 tellectui, & venit in usum  
 cognitionis no-  
 stræ.



Dub. 5. *An casus nominis, sit verè, & propriè nomen?*

**M**ouetur istud dubium ad explicandam illam particulam recta positam in diffinitione nominis, qua excluduntur casus obliqui, & solum nominandi casus admittuntur in serie nominum, quia nomen significat *in quid*, & hoc solum habet nomen. ¶ Aduertit tamen M. Soto hic not. 7. non ideo excludi casum nominis à vera ratione nominis, quia non reddit suppositum verbo. Tum, quia adiectiuu verè sūt nomina; & tamen non reddunt suppositum verbo: imò obliquus (inquit) potest reddere suppositum verbo; vt cum dico; *medisputare est vtile*, & in verbo impersonali, vt cum dico, *pœnet me*: & tamen ibi non est nomen: non ergo consistit ratio nominis in eo, quod est reddere, vel non reddere suppositum verbo. Hæc est doctrina M. Soti.

2 His positis prima sent. asserit, casus nominis esse vera nomina. Sic Stoici, teste Amonio apud Mas. hic sect. vnica q. 6. eam sententiam moderatus est Auerroes apud eundem dicens, quod casus substantialiter quidem sunt nomina, sed non perfecte acut puer substantialiter est homo, sed non perfecte, sicut formica substantialiter est animal, sed non perfecte, vt homo, in idemque inclinat M. Mart. de Prado lib. 1. Dialect. cap. 8. au. 18. ¶ At communis sententia Peripatheticorū cum

Arist. Amonio, & Boet. in presentī, Albert. Magn. D. Tho. Petro Hispano, Soto, & alijs in presentī est, quod solum rectū est verè, & propriè nomen: obliquum verò adhuc substantialiter, & imperfectè, non est nomen.

3 Prob. varijs rationibus. Tum, quia nomen est, quo nominamus; at solo recto nominamus, non autē obliquo: ergo solus rectus est nomē. Tum etiam, nomē significat quid, aut quis (quia id solum nominatur) at per solum rectū responderetur ad questionem quid est, & ad interrogationem quis est solus: ergo rectus habet substantiam nominis. Tum etiam, nomen est à quo secundum se aliquid significatur, & per se componitur oratio verum, vel falsum significans: at id præstat solus rectus. ergo solus ille est nomen. Maior videtur certa, quia nomen est instrumentum per se logicale: logica autē solum per se respicit ad aliquid per se significare, & ad veritatem, vel falsitatem rei significatam per propositionem perueniat. Min. autem constat: quia solum rectus est, qui significat rem absolutè, & in se: at ceteri casus non sic; sed cum habitudine quadam possessionis, vel aculationis. Et insuper, nulla est propositio, quæ significet verū, & falsum, quæ solum continet obliquo si constat verbo personalis: nam etsi in hac propositione *urbem, quam statuo vera est*, videatur, quod accusatiui illi regant illas propositiones; accipiuntur tamen loco nominatiui, in mente vltima

timata, vt notat M. Soto, not. 7. in fine. Et in propositione de verbo neutro, quæ est hæc, *Platonis inter-est legere*, ibi *ly Platonis* non est subiectum nisi resoluatur in rectum, sic illa, *caus est legere est Plato*, vt notat Iaculus tract. 2. de part. propositionis cap. 11, §. *Septimo dicitur*; & illa propositio *pœnitent me*, etiam regulatur in mente per istam: *Pœnitentia tenet me*: nãquam ergo verificatur, quod obliquas ratione sui componat propositionem, in qua sit veritas, aut falsitas determinata: ergo obliquum nõ habet rationem nominis, etiã quoad substantiam, & imperfec-

men, alioqui fieri posset confimile argumentum, quod sicut subiectum significat per modum recti, ita etiam prædicatũ significaret per modum recti, & quod sicut subiectum reddit suppositum verbo, ita etiam prædicatum redderet suppositum verbo, & quod sicut persona agens est subiectum, ita etiam persona patiens esset subiectum, vel persona agens. Ad hoc ergo, quod sit vera propositio, nõ requiritur, quod idẽ significant in recto, & formaliter subiectum, & prædicatum; sed solũ quod supponunt pro eodem, licet non significant idem, & eodem modo.

*Soluantur argumenta.*

4 Omnia argumenta quæ suadent, quod in mente idẽmet cõceptus respõdet casui recto, & obliquo, de quibus dub. seq. agemus, etiam suadent, quod obliquus est vere nomen, quia significatio vocis ex conceptu derivatur. ¶ Sed nunc arguitur primo Hæc propositio, *vox homo nominat, vel significat hominem*, est vera: ergo idem significat rectus ex parte subiecti, & obliquus positus à parte prædicati. Sed à parte subiecti rectus significat per modũ nominis: ergo etiam obliquus positus à parte prædicati significat per modum nominis.

Resp. idem significare ex parte rei significatæ: non vero ex modo significandi, cum autem esse nomen sit denominatio proueniens ex modo significandi; sit, quod obliquus positus à parte prædicati, non sit no-

5 Sed contra primam solutionem, in qua suadantur alia insurgunt. *Ly significo*, & *ly nomen* appellat proprium conceptum: ergo debet propositio illa verificari, etiam quoad modum significandi, & logicè: tum etiam, ad verificandam propositionem, non sufficit, quod subiectum, & prædicatum significant idem, nisi eodem modo idem significet subiectum, & prædicatum: ergo. Prob. antec. etiam si albedo, & album idem significant, quia tamen non significant eodem modo, est falsum dicere, quod album est albedo, aut quod albedo significat albũ: ergo idem contingeret si esset vera solutio data. Tandem si rectus, & obliquus non significarent idem: hæc esset mala conseq. cuiuslibet hominis equus currit: Petrus est homo: ergo Petri equus currit, sed hoc est aperte fallum: ergo. Sequela constat; quia

quia medium teneretur æquivoce: ergo. ¶ Resp. quod cum illa vox *homo* sumatur ibi materialiter, ut refert conceptum nō ultimatum sui, ideo *ly nomino*, & *ly significo* debent verificari in sensu materiali; & nō ultimate, id est non quoad modum significandi, sed quoad rem significatā; & sic est appellatio (si qua est, vel debet concedi ibi) estque sensus, quod rectus, & obliquus quoad rem significatam sunt idem. ¶ Ex quo ad secundam replicam fit satis facile: nam cum albedo significata in abstracto non supponat pro eodem, atque album, neque habeat idem significatum adæquatum (quia albedo non significat subiectum, quod significatur per concretū) & aliās albedo in abstracto significet formā reduplicatiue: non potest verificari quod albedo significat album: at rectus significat idem, quod obliquus ex parte rei significatæ, & in sensu materiali. ¶ Ad ultimum resp. quod ibi medium non sumitur æquivoce. Tum, quia ibi sumitur obliquus in vi recti, ut hic insinuat M. Soto. Tum, quia ut medium non sumatur æquivoce, sufficit, quod ex parte rei significant idem, ut notat Ortiz, & alij circa materiam dubij subsequatis. Vel in min. suo intelligitur etiam obliquus maioris, sed *Petrus homo est cuius equus est*: & sic est idē medium.

6 Arg. 2. Si ob aliquam rationem obliquus non esset, quoad substantiam, & imperfectè nomē, maxime ob rationem, quam hic tradit

Arist. 1. perh. lect. 4. quia per se non componit propositionem verā, vel falsam: sed hæc ratio est nulla: ergo. Prob. min. licet casus obliquus per se non componat ratione sui talem propositionem, tamen eam componit ratione recti; sed hoc sufficit, ut sit verè nomen: ergo. Prob. min. nō minus est de ratione termini categorematici per esse prædicatiuum, aut compositiuū propositionis veræ, aut falsæ, quam hoc sit de ratione nominis, & tamen, quia casus obliquus potest per suum rectum componere talem propositionem est vere terminus categorematicus: ergo ob eandem rationem debet esse nomen. ¶ Et conf. adiectiuum, etsi ratione sui nequeat componere propositionem, quia tamē ratione sui substantiui componit propositionem, est verè nomen: ergo etiā casus obliquus erit verè nomen, quia ratione sui recti componit.

7 Resp. casum obliquum non ideo esse terminum categorematicum, quia ratione recti componit propositionem: sed quia per se potest componere propositionem, licet non de modo indicatiuo, saltem de modo imperatiuo, ut cum dico, *o homo audi me*; vel de verbo impersonali, ut alij volunt, ut cum dico *pœnitet me*: non est autem de ratione termini categorematici componere solum propositionē de modo indicatiuo, sed aliam quamcumque. ¶ Præterquam quod de ratione termini categorematici nō est utcumque componere, sed signifi-

ficando aliquid per se, posse esse subiectum, vel prædicatum, & hoc habet casus obliquus, qui significat aliquid per se; vt condistinguitur ab æqualiter significare, & potest esse prædicatum in propositione; licet ibi per se nequeat esse subiectum; quod requiritur ad rationem nominis, quod notificando componit.

Ad conf. resp. quod substantiuū, & adiectiuum idem significant formaliter, vt cōstat in isto termino albus, & album substantiue sumptum; & ideo non est mirum, quod si substantiuum est nomen, hoc etiam habeat adiectiuum: at rectus, & obliquus, etsi identicè significant idē ex parte rei significatæ, non tamen idem formaliter.

8 Arg. 3. Eo casus obliquus nō esset verè nomen: quia non significat substantiam rei secundum se, sed cum modo quodam *cuius*, aut *cui*. Sed hæc ratio est nulla: ergo est verè nomen. Prob. min. etiam rectus significat cum modo quid, & tamen est verè nomen. Tum etiam, nomina relatiua, vt *pater*, & transcendentia vt *unum*, *bonum*, *verū*, significant rem cum habitudine ad alterum, & tamen sunt nomina cum in recto significant: ergo etsi obliquus significet cū habitudine *cuius*, vel *cui* erunt nomina. ¶ Resp. quod modus ille vt quid quem fingim⁹ in significato recti, & illi modi, relatiuorum, & transcendentium non sunt superadditi naturæ significatæ, vt est in se, & ideo voces sic eas naturas significantes verè nomina sunt,

quia nominant substantiam rei, vt est in se: at modus *cuius*, vel *cui* significatus in casib⁹ obliquis est super additus substantiæ, & naturæ rei, vt est in se, & ideo casus obliqui nō sūt nomina.

Dub. 6. Vtrum casus rectus, & obliquus, eisdem nominis subordinentur eisdem conceptui, vel notitiæ ultimata?

1 PRO resolutione huius difficultatis, aduerto cum Huert. hic lib. 2. Sum. cap. 1. q. 15. art. 4. quod aliquis modus potest cōsignificari, aut solum in actu exercito, aut in actu signato. Primo modo est quædam conditio sine qua non repræsenteret conceptus rem istā prout nūc est à parte rei, & sic se habet duratio, seu præsentia in notitia intuitiua: sed hic modus sic exercitè representatus non repræsenteratur in ipso conceptu: est enim extra genus notitiæ, ac perinde idē conceptus potest correspondere obiecto cum illo, & sine illo modo. Alio modo potest cōsignificari modus rei in actu signato, id est, taliter, quod conceptus repræsenteret rem cum tali modo, vt conceptus Petri repræsenteret eius figuram, & hac variata variatur conceptus, nec idem correspondet obiecto, si repræsenteratur cū illo modo, vel sine illo.

*Vnica conclusio.*

2 Dicendum, quod recto, & obliquo non correspondet idem conceptus ultimatus in mente: sed sunt omni-

omnino diuersi: sic M. Soto in hoc cap. 1. de nom. ad 2. Huert. loco iam citato. Ort. confer. 2. RR. M. Ioanna. à S. Tho. q. 2. art. 3. est que D. Thom. quodlib. 24. art. 17. in corp. & ad 2. Docet, quod verbo recto, & obliquo diuersi intellectus, seu conceptus correspondent in mente ob diuersana cōsignificationem, & quod ratio recti, & obliqui tollit identitatem nominis, quæ tolli non posset si esset idē vnusque conceptus; maxime cum diuersitas significationis (sit secundum D. Tho. ibi) quæ tollit nominis identitatem: at diuersitas significationis, in v. ce arguit diuersitatem significationis in mēte, eo quod voces significant res medijs conceptibus, & in conceptu diuersa significatio fit mediante assimilatione repræsentatiua, quæ est de essentia conceptus, vt imago est: at variata assimilatione in naturali imagine necesse est variari ipsum conceptum. Sentit ergo D. Tho. diuersum conceptum vltimatum: correspondere in mente recto, & obliquo in actu signato.

3 Prob. ratione. Modus recti, & obliqui repræsentatur in actu signato in conceptu mentis vltimato; at repræsentatio conceptus, consistit in indiuisibili, cum sit adæquata similitudo naturalis rei repræsentatæ: ergo rectus, & obliquus habent in mente conceptus vltimatus esse tialiter, & specie diuersos. Conseq. est certa: nam similitudines essentialiter, & specie variantur in rationalium, quatenus diuersa repræ-

sentant, cum quibus adæquatè, & quacūque addita additione, aut diminutione, vt contingit in speciebus numeri. Min. etiam admittitur in Schola D. Tho. ex comperta doctrina Dr. S. Mai. vero in qua est difficultas prob. nā si dicā mentaliter *Michael est Deus*; mente profero propositionem hæreticam; cum autē dico mentaliter, *Michael est Dei*, illa propositio est Catholica; sed non alia ratione potest prima esse hæretica, & secunda catholica, nisi quia in actu signato, significatur ex parte prædicati natura Dei, vt quidditas Michaelis in recto in prima propositione: in secunda vero in actu signato dicitur Michaelē esse de possessione Dei: ergo modi recti, & obliqui in actu signato, repræsentantur in conceptu.

Conf. vbi est diuersum intelligibile, debet esse diuersus conceptus, & diuersa repræsentatio in actu signato, eo quod conceptus, & obiectum debent adæquari; sed obiectū vt significabile in recto, vel in obliquo, est diuersum intelligibile: ergo correspondet in mente diuersus conceptus, & diuersa repræsentatio in actu signato. ¶ Prob. min. res ipsa significata in recto, est quidditas, & natura rei in se nude sumpta: at in obliquo significata est ipsa cū habitudine possessionis, aut dationis (vt sic dicam) at diuersimodè est intelligibilis res secundū sua prædicata essentialia nude sumpta, ac sub illa habitudine sub qua non explicat, quod sit in se, sed quod sit aliterius:

terius: ergo. ¶ Dices hunc modum solum in actu exercito esse cognoscibile, sicut duratio, vel presentia efficiens rō. Cōtra est, quod res in recto, & in obliquo significata fūdat diuersas veritates, & sensus omnino diuersos, vt constat ex exemplis adductis: ergo ex se est diuersimode intelligibilis in ratione obiecti.

4. Dices, quod etsi modi solum exercitè sint representabiles variāt sensum, & veritatem: nam etsi modi presentia, vel absentia, eo quod sunt modi exerciti non variant conceptum, seu notitiam essentialiter, nec gaudeant diuerso conceptu ultimato, tamen Petro currente est verum, quod currit, & eo non existente est falsa propositio. ¶ Sed contra est in eo casu, eò non existente Petro propositio est falsa, quia cursus conceptus in actu signato attribuitur Petro; cum tamen in re non sit, nec illi conueniat: ergo si falsificatur propositio variato recto in obliquum, vel è contra, idè est, quia etiam hic importantur illi modi in actu signato, sicut ibi cursus importatur in actu signato: nam vbi non importatur modus signatè, sed exercitè non variat veritatem propositionis, vt cum dico, ego amo Petrū, sèper verificatur etiam si Petrus sit absens mihi, & conceptus, quem de illo habeo sit notitia abstractiua.

*Soluntur argumenta.*

5. Arg. 1. Conceptus recti, & obliqui idem, & eodem modo signi-

ficat: ergo rectus, & obliquus habēt eundem conceptum, & ultimatum in mente. Ant. quoad primam partem videtur certum: nam homo, & hominis eandem naturam repræsētāt, quod vero sub eodem modo representat ex parte conceptus. Prob. multipliciter. Tum, quia illi sūt modi grammaticales, sed hij nō variāt representationem cōceptus, vt patet in oratione actiua, & passiua, quid enim diuersitatis habet in mente, *ego amo Deum*, ac habet *Deus amatur a me*. Et patet etiam in genere masculino, & foemenino, qui nō variant conceptum: ergo. Tum etiā, quia rectus, & obliquus conueniunt in eadem ratione termini categorematici, cōmunis, absoluti, vel cōnotatiui; ita quod in eadem specie termini, in qua est rectus, sit etiā obliquus: ergo conceptus illis correspondens eodem modo significat, si quidem variatio terminorum huiusmodi ex modo significandi in cōceptu desumitur, vt patet ex terminis, qui (vt supra dixi) ex diuerso modo concipiendi, & significandi constituunt diuersas species terminorum. Tum, quia si illi modi, *quid*, & *cuius* signate representarentur in conceptui recti, & obliqui, requeretur nullum dari nomen, qui eo ipso non esset terminus connotatiuus; sed hoc est manifeste falsum: ergo. Prob. sequela. Hoc ipso illi conceptus important, & representant de formali modum, & de materiali, id cui adiacet modus, v. gr. *ly homo* de formali modum *quid*, & de materia

li hominem: & ly hominis in recto; & formaliter possessionem hominis, & de materiali quidquid potest considerari ab illo; quod vero de formaliter importentur illi modi, patet, quia per eorum representationem differunt illi conceptus; quod vero de materiali significant id, cui adiacet ille modus, constat; tum, quia duo diuersa ex æquo non possunt representari nisi cum æquiuocatione. Tum, quia illi modi cum sint quasi determinationes representationis illorum conceptuum quoad modum cognoscendi rem representatam per ipsos, relucetque ex parte rei conceptæ, quasi informant rem conceptam: ergo illa se habet de materiali. Tum, quia ly hominis cum signate importet modum possessionis humanæ, quasi in confuso importat omnem rem possessam ab homine: ergo ut materialiter se habentem ad talem modum: ergo de materiali importat. Denique, diuersi modi obliqui, vt cuius, & cui non variant essentialiter conceptus obliquos; sicut nec diuersæ personæ eiusdem verbi de præsentis indicatiuo variant conceptum rectum verbi: ergo nec modus recti, & obliqui variant conceptum vitiatum.

Antec. prob. nam dicere Christum esse plenum gratia, vel esse plenum gratiæ non variat sensum vltimatam propositionis: & tamen ibi exercentur diuersi modi obliqui vt cuius, & cui: ergo diuersi modi obliqui non variant conceptum. Et ad

maiores vim probationis consequi etiam addo. Quod dicere vrbs a me ædificata, vestra est, vel dicere vrbs, quam ædifico vestra est, eundem sensum reddit secundum Magistrum Sotum hic not. 7. & Idem est dicere lapidem, quem reprobauerunt ædificantes hic factus est in caput anguli, ac dicere, lapis reprobatus ad ædificantibus: ergo eadem ratio currit de modo recti, & obliqui, ac de modis ipsis obliquis, quoad non habere diuersum conceptum, vel quoad non generare diuersum sensum.

6 Resp. quod modus representandi signatus diuersus, ne dum arguit diuersum modum representandi ex parte intelligentis, seu conceptus, sed etiam diuersam rem representatam ex parte obiecti formaliter, quamvis materialiter sit eadem res. Quod patet in termino connotatiuo, & absoluto, vbi eadem albedo cum diuerso modo representatur per conceptum absolutum, & connotatiuum; & sic res representata diuersa est, quia in vno representatur albedo, vt abstrahens, & sic relinquitur subiectum; & in alio representatur vt adiacens concretivè, & sic representatur de materiali subiectum vt quod, & concernitur materiale. Sic dico, quod conceptus recti diuerso modo significat, & ratione modi diuersum obiectiuum formaliter, vt patet in exemplo adducto à M. Soto, nempe si dicam, Michael Dei, aut Michael Deus: in primo enim representatur Deus vt substā-  
tia

tia Michaelis, in secūdo Deus, vt Do-  
 minus Michaelis: Deus autem, vt  
 substantia alterius, vel vt Dominus  
 alterius, diuersa obiecta formaliter  
 efficit; vnde illi modi, nedum variāt  
 grammaticaliter, sed variant essen-  
 tialiter conceptus, quia inducit di-  
 uersum sensum, ita vt intellectus di-  
 uersa concipiat mediante recto, &  
 obliquo. ¶ Si istes, quod apud His-  
 panos per omnes casus eiusdem vo-  
 cis repræsētatur idemmet obiectū,  
 solum additis articulis *el, la, le*, sicut  
 in Græco idiomate solet fieri addi-  
 tis articulis *to, & ton*, qui articuli  
 denotant diuersum exercitium, &  
 applicationem eiusdem vocis: ergo  
 etiam in mēte idem erit conceptus  
 per omnes casus, qui mediante di-  
 uersa applicatione variabunt casus  
 in mente: at quando solum adest di-  
 uersitas, quia applicatio est diuersa,  
 non est diuersitas essentialis, & sig-  
 nata in conceptu, sed solum est con-  
 ditio exercita; quod patet in ratio-  
 ne prædicati, & subiecti, in diuersa  
 suppositione eiusdem termini, qui  
 modi quia sunt diuersæ applicatio-  
 nes eiusdem termini, ideò non cau-  
 sant variationē signatam in cōcep-  
 tu. Præterea si casus rectus, & obli-  
 quus, variant conceptus, nedum ex  
 diuerso modo significandi eandem  
 rem sub diuersa applicatione, sed  
 etiam penes diuersa significata for-  
 malia: ergo casus rectus, & obli-  
 quus variant terminum cathogore-  
 maticum in ratione talis, sicut hac  
 ratione variatur terminus: in ratio-  
 ne connotatiui, & absoluti, in ratio

ne communis, & singularis, in ratio-  
 ne finiti, & infiniti, at si hoc est di-  
 minute diuisus est terminus: nam  
 debebat etiā diuidi in rectū, & obli-  
 quū: at hoc est falsū: nō ergo est vera  
 solutio tradita. ¶ Resp. tamē ad 1.  
 impugnationē, quod etiam apud His-  
 panos, & Græcos licet nomen non  
 varietur penes terminationem vo-  
 cum, sed penes articulos, illi articu-  
 li non denotant diuersam applica-  
 tionem eiusdem conceptus, sed di-  
 uersam rem significatam formaliter;  
 neque enim idem significo cum  
 dico: *S. Miguel es el m. smo Dios*, ac eū  
 dico: *S. Miguel es del mesmo Dios*: ac  
 perinde cum sensus adeò sit diuersus,  
 arguit diuersos in mente cōceptus:  
 nec est idem de alijs exemplis, vbi  
 exercetur diuersitas applicationis,  
 nec variatur conceptus, vt si dicam,  
*San Miguel es Dios*, aut *Dios es S. Mi-  
 guel*. ¶ Ad 2. conf. resp. terminū ca-  
 thogorematicum diuidi in nomen,  
 & verbum, & subdiuidi in rectum,  
 & obliquum, quia obliquus nomi-  
 nis, & verbi sunt casus nominis, &  
 verbi, & ideò non fuisse opus ante  
 nomen, & verbum subdiuidere ter-  
 minum cathogorematicum, in rec-  
 tum, & obliquū, quia non aptè hoc  
 intelligeretur, ignorata ratione no-  
 minis, & verbi, ac perinde do argu-  
 mento, quod intendit.

7. Ad primam confirmationē  
 principalis argumenti resp. ex mo-  
 do didis, quod conueniunt rectus  
 & obliquus in ratione termini ca-  
 thogorematici vt sic, at varian-  
 in ratione talis termini, nēpe r

& obliqui, seu nominis, & casus nominis. ¶ Ad 2. conf. quod de ratione termini connotatiui duo sunt, & significare formam per modum adiacentis modi, & significare primario, & formaliter modum, & materialiter ac secundatio rem cui adiacet. At rectus, & obliquus nō sic significant illum modum per modum adiacentis, & primario modum; sed significant modum per modum cōplentis suum significatum, & primario rem sub eo modo, sicut *vinum* significat modum entis vt complementis, & ideo nō est necesse, quod omne nomen, aut casus nominis, sit terminus connotatiuus; nā *ly homo* significat hominem, vt per se est, & *ly hominis* significat hominem, & cuius est aliquid, ita taliter, quod res possessa ibi non importetur, aut significetur directē, sed solum per modū connotati extrinseci, sicut agentes de termino absoluto dixi, quod albedo importat subiectum eo quod est accidens. ¶ Ad 3. conf. respond. quod etiam casus obliqui vendicāt sibi diuersos cōceptus, sicut modus actiue, & passiue in verbo: nam licet ille propositiones apparēter sint eadem; reuera tamen diuerso modo, & sub diuersa habitudine significant in actu signato. Nec est idem de diuersis personis verbi presentis temporis modi indicatiui, vbi cum significetur eadem actio, vel passio materialiter solum variata, & per accidens a diuersis personis, semper manet idem conceptus verbi, & ideo iam est variatio quoad exercitium,

& ideo ibi non est diuersitas conceptus, quæ in casu recto, & obliquo necessario ex dictis admittenda est.

8. Arg. 2. & potest esse replica. Modus recti, & obliqui nō sunt modi realiter conuenientes obiecto, sed sunt relatio rationis proueniens ab intellectu, at *ly homo*, & *ly nominis* non representant aliquid rationis, alioqui essent termini secundæ intentionis, & connotatiui, sed eorum significatum est natura realis, quæ ponitur in reali prædicamento substantiæ: ergo conceptus recti, & obliqui idem est; neque importat diuersos modos in actu signato. Antec. prob. nam quia species, & genus significant in actu signato modos nature fictos per rationē, ideo sunt termini connotatiui secundæ intentionis. Quod vero illi modi nō sint aliquid reale, sed rationis, probatur, quia nihil ponit in Catone, quod significetur in genitiuo, vel in datiuo; sed hoc prouenit ab intellectu: ergo. Explicatur antecedens: nam, vt docet Mag. Soto, *ly Catonis* non significat, quod aliquid possideatur a Catone realiter; hoc enim significatur per totam propositionem; sed significatur Cato cum habitudine ad aliud, quod est quid rationis, & verificatur etiam si nihil possideat: ergo.

Resp. cum Huertos, quod etiam ille modus sit rationis, quia tamen non importatur nisi tanquam complementum, non facit terminum obliquum esse secundæ intentionis, sicut patet in terminis significantibus:

bus obiectum fidei, peccatum, unitatem, tempus, idæas, æternitatem, & alia huiusmodi, quia in recto significant aliquid reale: at genus, & species primario significant formam secundæ intentionis in concreto, & ideò non est idem. Vel melius dicendum est, quod rectus, & obliquus significant naturam ipsam, aut secundum se, & sic in recto, aut secundum diuersas habitudines reales, quam de facto, vel de possibili habent ad alias res, non affirmando, aut negando, sed simpliciter, sicut pater significat simpliciter rem cum habitudine, & perinde isti termini recti, vel obliqui, nec significant idem quod propositio, neque aliquid rationis formaliter, ac per consequens non sunt connotatiui secundæ intentionis, sed primæ intentionis termini.

9 Arg. 3. Tandem obijcitur: nam quæ eadem specie, & phantasmate representantur eodem conceptu, possunt etiam intelligi at casus rectus, & obliquus, eadem specie impressa, & eodem phantasmate representantur: ergo possunt cognosci eodem conceptu.

Resp. neg. mai. nam natura corporea, & spiritalis, eadem specie impressa, & eadem phantasmate representantur, & tamen non eadem cognitione percipiuntur, & idem est de natura communi, & de singularibus, & constat innumeris alijs exemplis. Sed sufficit si diuerso modo applicetur species, vel cum ordine quoddam representet: conf

tat autem, quod species primo representat naturam in recto, & quasi secundario eam representat in obliquo. Et ratio huius est, quia principium maiorem habet amplitudinem, quam ea quæ ab ipso procedunt, & ideò per vnã speciem representantur in nostro intellectu, quæ non eodem actu percipiuntur, & si bene verum sit, quod in Angelis ob summam immaterialitatem, & perfectionem intellectualem, possit concipi vnico cõceptu, quod vnica specie representatur.

*Dubium septimum. An diuersitas generis reperiat in mente vltimata, id est an masculinum, & foemeninum varient conceptus?*

1 **N**on est dubium, quod femina, & masculus sunt in se, & si concipiuntur vt sunt habeant distinctos conceptus in mente: sed solum, an modus significandi eandem rem, voce masculina, aut foemenina variet conceptum, v.g. an lapis, & petra habeant eundem cõceptum, vel diuersum, quatenus vocibus diuersi generis grammaticalis significantur; sicut quæ significantur voce recta, aut obliqua habent diuersos conceptus in mente vltimata. Et quidem communis sententia, quæ tradit M. Soto cap. de nom. not. 3. Huert. lib. 2. Sum. q. 15. art. 4. in fine, & alij Thomistæ cõmuniter in manuscriptis docent non dari diuersitatem generis in mente.

*Vnica conclusio.*

2 Diuersitas generis non reperitur in mente, etsi eadem res est significata, siue masculino, siue feminino genere eam nomines, idem est conceptus in mente. Prob. quia conceptus est naturalis similitudo obiecti, representans illud independenter à significatione vocis, ideoq; in omnibus nationibus iisdem sunt conceptus, etsi idiomata sint omnino diuersa, vt aduertit D. Th. 1. Per hierm. lect. 1. at diuersitas generis ex impositione est, & variatur iuxta libitum imponentium voces, vt patet in lapide, & petra, & in diuersis ideomatibus, in quibus eadem res, quæ apud hos est masculini generis, apud alios est feminini: & constat, quia intellectio Dei in se dempra voce, aut scriptura nulli generis est: ergo diuersitas generis grammaticalis fit in vocibus, aut scripturis, nec transit ad mentem.

Concl. non potest formari diuersus conceptus, nisi quando res concepta est diuersa, aut modus concipiendi in actu signato est diuersus: at qui ex vi diuersitatis generis masculini, aut feminini grammaticalis, nec concipitur res diuersa, nec diuerso modo in actu signato: vt patet in lapide, & petra, quæ sunt voces synonymæ, ac perinde idem in actu signato significantes: ergo. Vnde etsi verum sit, quod vir & foemina habent diuersos in mente conceptus, quia significant animalia diuersi sexus, & penes diuersa accidentia corporea; at tamen cum vox

dicitur masculinè, aut foemeninè, de his, quæ sunt expertia sexus, vt lapides, & vrbes, fluij, & arbores; illa diuersitas vocalis tantum est, & penes conceptus peraccidens.

*Soluantur argumenta.*

3 Arg. 1. non significat idem, homo est albus, & homo est alba; sed solum quia ex parte prædicati mutatur genus, etiam mutatur significatio totius propositionis: ergo in mente datur diuersitas generis: nam quoties est diuersa significatio totius propositionis, etiam significatum est diuersum, ac perinde conceptus debet esse diuersus. Mai. prob. quia solis masculis existentibus prima est vera, & secunda falsa, quia prædicatum primæ in primo casu supponit, & non secundæ. Min. est certa, quia huius diuersitatis alia ratio assignari nequit. Conseq. explicatur, quia cū in mente non sit diuersa illa terminatio in vs, & as, nulla est ratio quare accipiatur prædicatum mentale in vna propositione pro masculis, & in alia pro foeminis, nisi quia in mente est diuersitas generis. ¶ Resp. quod vel consuetudo, vel restrictio ex parte prædicati in voce facit, quod cū dicimus homo alba, idem intelligamus ac si diceretur mulier alba; ac perinde, & nos non negamus, quod cum diuersi sexus concipiuntur in mente sint diuersi conceptus, quia tunc diuersa obiecta concipiuntur, quod ex vsu, & restrictione vocis contingit in præfenti, vbi homo alba est idem ac mulier alba, & homo albus idem.

idē ac masculus albus, vt hic notat M. Soto; sed dicimus, quod cum eadem res concipitur ex vi solius diuersæ terminationis vocalis masculinæ, aut foemeninæ, non mutatur conceptus. ¶ Si inſtes, quod nomina generis masculini, & foemeni ni hoc ipſo, quod ſunt diuerſi generis, important ſexus diuerſos, & ab eis deriuantur: ergo ſi ſexus ipſi generant diuerſos conceptus in mēte, eandem diuerſitatem cauſabit diuerſitas generis. ¶ Reſp. negando, quod diuerſum genus grammaticale ſignificet diuerſos ſexus, quantum ad rem ſignificatam, licet quoad ſonum, & apparientiam eos videatur importare: nam de eadē re dicitur lapis eſt albus, & petra eſt alba, vbi vt vides de re incapaci ſexus vtrumque genus dicitur.

4 Si inſtes, quod præciſſa diuerſitas generis, de eadem re dicta ſufficit variare proſitionem: ergo ſufficit variare ſimplicem notitiam vel conceptum: nam quod poteſt ad magis, poteſt ad minus; minus autem eſt variatio notitiæ, quam totius proſitionis mentalis. Antec. prob. hæc proſitio eſt vera, & de fide: *Filius eſt alius à Patre*: hæc autē eſt falſa, & Arriana: *Filius eſt aliud à Patre*; & tamen tota hæc diuerſitas oritur ex diuerſitate generis poſita à parte prædicati, quod de vna, eadē que perſona filij dicitur: ergo diuerſitas generis cauſat diuerſam notitiā in mēte, quæ quia ponitur à parte prædicati variat totam illam proſitionē. ¶ Si dicas cum D. Tho.

1. p. q. 3 1. ar. 2. ad 3. & in 1. diſt. 9. q. 1. ar. 1. ad vlt. non ob diuerſitatē generis fieri diuerſas illas proſitiones; ſed quia in vna ſumitur ſubſtantiuē, ac perinde dicitur *ly aliud* diſtinctionem in eſſentia; in alia vero ſumitur adiectiuē; & ideo ſolum dicitur *ly alius* diſtinctionem perſonalem ei⁹, cui adiungitur. ¶ Sed contra. Nō aliunde venit, quod *ly aliud* ſubſtantiuetur, & non *alius*, niſi ex diuerſo modo ſignificandi: iſte autem diuerſus modo, nō aliunde manat, quam ex eo, quod ſignificet vna vox neutraliter, alia autem masculinē: ergo de primo ad vltimum tota diuerſitas illorum cōceptuum ſumitur ex diuerſitate generis grammaticalis.

Reſp. tamen, quod diuerſitas generis præciſſe ibi non faceret diuerſitatem; plura enim poſſunt ſignificari neutraliter, & masculinē diuerſis idiomatibus abſque diuerſitate conceptus, ſed quia ſignificādo ſubſtantiuē ſignificat alietatem in eſſentia, & adiectiuē ſolum ſignificat alietatem perſonalem, & ſic ſignificant diuerſa.

5 Si inſtes; quod nomina masculina, & foemenina nedum ex vſu, ſed ex ipſa impoſitione ſignificant diuerſa, vel diuerſimodē: ergo cauſant diuerſitatem in conceptu. Prop. cōſeq. nam vt dub. antec. affirmatum eſt probatum, ad variandū conceptū ſufficit, vel diuerſitas rei ſignificatæ, vel diuerſitas modi ſignificandi. Anteced. prob. nomina masculina, & foemenina, vel ſignificant diuerſa accidentia cauſantia diuerſa

litatem sexus; vel ad minus per connotationem ad diuersitatem sexus imponatur; vnde licet quandoque per hæc diuersa genera significetur incapacia sexus, vt lapides, & vrbes, tamen significantur ad modum habentis sexu diuersos ex ipsa diuersitate generis, vnde licet cum Angelus significatur ad modum aquilæ, vel ad modum leonis, quamuis sit in se vtriusque incapax; diuerso tamen conceptu significatur: quia attenditur diuersa proportio Angelicæ virtutis, modo cū aquilla in acrimonia intellectus, modo cum leone in fortitudine, & efficacia iræ; sic res incapax sexus nominatur modo masculino, modo foemenino genere ex diuersa proportione ad conditiones masculi, vel foemeni: ergo cum has dicat, vel cōnotet ex vi sue impositionis diuersitas generis masculini, aut foemenini, fit consequens, quod ex se inducat, & inferat diuersitatem generis in mente, non minus quam casus rectus, & obliquus.

6. Resp. quod si impositor in huiusmodi diuersi generis nominibus intendit, vel diuersum sexum, vel proportionem ad cōditiones diuersi sexus exprimere; verum est, quod correspondet diuersus conceptus in mente; non præcise ex diuersitate generis, sed ratione diuersæ rei significatæ, aut diuersi modi significandi; attamen diuersitas illa vocalis ex se solum dicit diuersitatem terminatiuam grammaticalem; non autem diuersitatem attentam ab imponente; ideoque nomina finita in pri-

mæ declinationis foemenina sunt; & finita in *us* secundæ declinationis masculina: ex quo nulla diuersitas generis resultat in mēte, nisi forte ex vsu, & accommodatione; & in hoc secundo casu verificatur nostra resolutio, vt patet in his vocibus lapis, & petra, vbi diuersitas generis ex diuersitate tantum, terminationis oritur, quin impositor diuersa significata, aut diuersum attēderit modum significandi.

7. Arg. 2. principaliter; diuersitas generis, diuersum conceptum non vltimum habet in mente, siquidem *ly albus*, & *ly alba* sunt diuersæ voces: ergo & diuersum habet cōceptum vltimum. Prob. consequ. Conceptus non vltimatus etiam est conceptus significationis, & rei significatæ, saltim in obliquo: ergo si diuersitas generis causat diuersum conceptum non vltimum in mente; arguit posse esse diuersos cōceptus vltimos. Prob. consequ. nam diuersa significatio arguit diuersa significandi, quod sufficit ad diuersitatem conceptus vltimi: ergo cum diuersus conceptus non vltimatus vocis significatiuæ imbibat plures significationes, sequitur ex multiplicatione conceptus non vltimi ex diuersitate generis proueniens, quod sit diuersitas conceptus vltimi.

Si dicas, quod ad multipliciter conceptus non vltimatus, sufficit diuersitas vocis significatiuæ, etiam si quando est synonymia vocū, signi-

Significatio sit eadem in illis vocibus significantibus: quia conceptus non ultimatus solum attendit ad vocem significantiuanam in recto, etiam si significatio sit, vel non sit eadem. Vnde non arguit diuersitatem in conceptu ultimato, nisi adsit diuersa significatio: ac perinde, sicut in voce æquiuoca canis cum triplici significatione datur vnus conceptus non ultimatus (secundum plures) ita in nostro casu è conuerso, cum vnica significatione datur plures conceptus non ultimati ob diuersitatem vocum, & per consequens solum correspondet vnicus conceptus ultimatus.

¶ Si in istis. Voces diuersi generis, vt *ly albus*, *ly alba*, non esse terminos synonymos: ergo ex diuersitate conceptus non ultimati earum vocum rectè colligitur diuersitas significationis, & diuersitas conceptus ultimati. Prob. ant. quia non licet sumere vnum pro alio in eadem propositione: nõ enim licet dicere corpus est alba, sed solum licet dicere corpus est album; cum tamen liceat sumere vestem pro indumento cum dico vestis calefacit corpus, indumentum calefacit. ¶ Resp. quod solum ex vñ, & terminatione grāmicali non licet sumere album pro alba, & quatenus subiectum est diuersi generis, quia non rectè componuntur ultimati, nisi sic adiectiua applicentur substantiuis, at quantum ad conceptum ultimatum sistendo præcise in diuersitate generis, non variat sensum, & ideo idem sentit, qui di-

cit vestis alba calefacit, & indumentum album calefacit, quia licet terminatio penes quam attenditur diuersitas generis, sit diuersa significatio, tamen est eadem; vnde Diuus Thomas tertia parte questione 60. articulo septimo ad tertium, docet, quod si corruptio verborum formæ sacramentalis fiat à parte principij, vt si loco *Patris* dicas *matris* in forma baptismi, mutatur forma, quia mutatur sensus, & nihil fit; at tamen si corruptio fiat ex parte finis dictionis, vt si loco *Patris* in eadem forma ex lapsa, vel barbariè dicas *Patris* baptismus fit, quia sic nõ mutatur sensus, vel conceptus ultimatus, ac perinde nec significatio vocis. Ecce diuersitas generis ex præcisa terminatione resultans, nõ mutat sensum, cõceptum, vel significationem. Per quam doctrinam non parum illustratur nostra sententia.

9 Tandem arg. Diuersitas casu, & numeri singularis, vel pluralis, non minus est grammaticalis, quam diuersitas generis; at prima diuersitas reperitur in mente ultimata: ergo & secunda. Prob. consequ. non minus mutat sensum propositionis secunda diuersitas, quam prima, vt ostensum est in primo argumento: ergo.

Respond. Diuersitatem casu, & numeri, ac temporis, non eo præcise inducere diuersitatem in mente ultimata, quia est diuersitas terminationis grammaticalis, sed quia affert diuersam significationem: at

præcisa diuersitas generis, eam non affert formaliter, nec mutat sensum propositionis, vt ostensum est, sed occasionaliter, quatenus ex coniunctione ad terminos adducentes diuersam significationem, aut restringitur significatio adiectiui, aut ex vltima pro diuersis accipitur: de quo etiam ad primum dixi plura.

*Dubium octauum. An diuisio termini in nomen, & verbum sit generis in species?*

**R**ationem signi esse genus ad nomen, saltem rectum, existimauit Mafius in præfati; Mag. verò Soto docet, quod ratio termini est ratio generica ad nomen, sic libro 1. sum. c. 2. lect. 2. notab. 2. Alij autem Thomistæ in manuscriptis frequentius tenent diuisionem termini in nomen, & verbum non esse generis in species, sed subiecti in accidentia, ita taliter, quod solum terminus cathegorematicus sit denominabilis à secunda intentione nominis, & verbi.

*Vnica conclusio.*

2. Dicendum ergo verosimilius esse, & longè probabilius, quod diuisio signi, & termini cathegorematici non est generis in species, sed subiecti in accidentia, vt tuetur secunda sententia. Ratio conuincens est, quia inuariata manente ratione signi, & termini cathegorematici, variatur verbum, & nomen per rectum, & obliquum: ergo ratio signi, & termi-

ni cathegorematici non est generis in species, sed subiecti in accidentia. Aut. est certum ex dictis tota hac disputatione. Conseq. quoad primam partem prob. quia implicat variari rationem specificam essentialiter inuariata manente ratione generica; nam cum ratio generica sit pars essentialis rationis specificæ, & variato toto variationem accipiant omnes eius partes, manere nequit inuariata ratio signi, & termini cathegorematici, variata ratione nominis, & verbi, si semel ratio signi, & termini esset genus ad nomen, & verbum. Pro secunda vero parte prob. conseq. quia denominationes nominis, & verbi sunt relationes secundo intentionales per se supponentes rationem signi, & termini cathegorematici, aliàs variari possunt, & mutari in mutata manente ratione signi, & termini, & possunt adesse, & abesse: ergo ratio nominis, & verbi sunt accidentia signi, & termini, non minus quam albedo, & nigredo, respectu corporis: est ergo hæc diuisio subiecti in varia accidentia.

*Soluuntur argumenta.*

3. Contra conclusionem arg. 1. Nã in concretis accidentalibus genus sumitur à per se subiecto formarum, quæ significantur in concreto, vt patet ex dictis sæpius in hoc lib. & in Logica: ergo diuisio per se subiecti in varias formas significatas in concreto, est diuisio generis in species, sed proprium, & per se subiectum  
nomi-

nominis, & verbi, significantium secundam intentionem nominis, & verbi in concreto est signum, & terminus categorematicus: ergo hæc diuisio est generis in suas species.

Respond. genus formarum accidentalium, improprie, & extrinsece tanquam res alterius generis de sumi à subiecto, hinc tamen non deduci, aut hanc diuisionem esse generis in species, aut non esse subiecti in accidentia, sicut cum diuiditur corpus in album, & dulce, aut in album, & nigrum. Nam cum inquiritur an aliqua diuisio sit generis in species, inquiritur an illa ratio in concreto significata, quæ communis est membris diuidētibus sit essentialiter superior, & in eodem genere, sicut cum diuiditur coloratum in album, & nigrū, quia color est genus intrinsecum albedinis, & nigredinis; at signum, & terminus, non sic se habent, sed sicut corpus ad album, & nigrum tanquam merum subiectum, nō tāquam forma essentialiter superior, & ideo hæc diuisio est subiecti in accidentia, non generis in species, quia signum, & terminus est genus extraneum, nec dicit formam eiusdem generis in recta linea.

4. Si contra istos, quod secunda intentio termini in concreto, & in abstracto est superior ad nomen, & verbum quidditative: ergo hæc diuisio strictissimè est generis in species. Conseq viderur bona, & ant. prob. quia omnes istæ secundæ intentiones sunt in eodem prædica-

mento relationis: at inter rationes quæ ponuntur in eodem prædicamento, ea quæ est superior strictè est genus ad eas de quibus prædicatur tanquam de inferioribus, & diuisio in illa est strictissimè generis in species: ergo ratio termini est generica, respectu rationis, nominis, & verbi, & diuisio in illas est generis in species strictissimè.

Respond. argumentum habere aliquam vim in formis accidentibus realibus, in quib<sup>9</sup> eam desit omnis reflexio, omnis communitas in prædicando inter formas eiusdem prædicamenti est communitas generica strictè sumpta; at non vrgere in formis rationis spectantibus ad idem prædicamentum relationis, quia ob sūmam reflexionem intellectus potest dari communitas in prædicando, non per modum generis, sed per modum subiecti denominationis; vt patet cum dicitur, quod genus est species vniuersalis, vbi ratio speciei est communis ad genus, & speciem, non tanquam strictum genus, sed tanquam subiectum denominationis; sic in nostro casu ratio termini est communis ad nomē, & verbum, nō vt genus, sed vt subiectum, quia intellectus potest reflecti supra intentionem termini categorematici, & denominare verbum, & nomen si significantur in recto; & cessare à denominatione, si significantur in obliquo, vnde & si omnes istæ formæ secundo intentionales sint relationes, nō sequitur quod termin<sup>9</sup> essentialiter, aut specificè di-

diuiditur in nomen, & verbū, quia ratio termini solum variatur essentialiter penes ordinem ad componendam simplicem propositionē, ad quod per accidens se habet, quod sit nomen, aut verbum: nam etiam obliqui cum sint termini categorematici per se componunt propositionem simplicem, etsi non cū ea perfectione accidentali, qua eam componit nomen, vel verbum, & per hoc tacitæ cuidam obiectioni obuiamitur, si attente considerētur; maxime cum hoc solum topicè defendamus.

5 Si contra instet, quod hæc prædicatio *nomen est terminus* est essentialis: ergo ratio termini est superior nedum denominatiuè, sed etiam essentialiter. Antec. prob. tū, quia definitur per esse signum partiale; sic enim intelliguntur primæ particule definitionis nominis; at per quod aliquid definitur est essentialis: ergo. Tum, quia intelligi nequit essentia nominis, etiam in abstracto, si non intelligatur esse terminum categorematicum: ergo.

Resp. quod formaliter, & ratione secundæ intentionis nominis, ea prædicatio non est essentialis, sed solum accidentalis; est autem essentialis ratione abstracti inclusi in illo concreto. At si secunda intentio nominis, aut verbi considerentur in abstracto, solum importatur ratio termini essentialiter per modum connotati extrinseci in obliquo, sicut subiectum importatur in abstracto cuiuslibet accidentis, quod quia es-

sentialiter est entis ens, & forma in hæsiua subiecti, essentialiter etiam connotat rationem eius media qua fit proprium susceptuum formæ: sed tamen semper intrat talis ratio subiectiua in obliquo.

6 Arg. 2. & potest esse replica. Ratio nominis, & verbi etiam; desumitur in ordine ad propositionē componendam per modum copulæ, vel principalis extremi: ergo constituantur per ordinem ad propositionem componendam: ergo essentialiter determinant communē, & essentialem rationem termini: ergo est diuisio generis in species.

Prob. conseq. nam quoties membra diuidentia differunt penes peculiare rationes diuisi, & penes peculiarem modum determinatiuū rationis communis, toties ea diuisio est generis in species; & ideo homo, & equus sunt membra diuidentia animalis, tanquam species diuidentes genus, quia constituuntur per esse animalia, & viuētia peculiari modo nempe rationali, aut ininibili modo: ergo si tam verbum, quam nomen sunt termini peculiari modo, & partes propositionis per modū copulæ, vel per modum principalis extremi erunt species termini vt sic.

Conf. ideo diuisio termini in categorematicum, & syncategorematicū est generis in species: quia alter per se significat, & per se componit propositionem, sed etiam nomen, & verbum per se significant finitè, & rectè, & per se componunt:

at obliqua nominis, & verbi, nec per se significant sine dependentia à rectis, nec per se componunt propositionem, sed cum dependentia à rectis, sicut terminus syncategorematicus componit cum dependentia à termino categorematico: ergo hæc diuisio est generis in species.

7 Resp. quod nomen, & verbum determinat quidem rationem termini, & partis propositionis, non quidem essentialiter, sed accidentaliter, sicut album, & nigrum determinat rationem corporis; quia ratio constitutiva termini solum est componere per se propositionem, quod vero hoc fiat per modum subiecti, aut prædicati per modum nominis, aut verbi per modum copulæ, vel principalis extremi omnino se habet per accidens; sicut etiam est per accidens, quod eam componat per modum termini communis, vel singularis. ¶ Ad conf. resp. quod sicut significare finitè, vel infinitè non variat rationem partis propositionis essentialiter, ita neque variat essentialiter rationem termini rectè, vel obliquè significare: nam licet terminus obliquus, & infinitus non componat nominando, aut copulando, tamen absolute componunt propositionem per se, & quasi minus principaliter, & hoc sufficit ad hoc, quod absolute participet rationem termini, quamuis non sub ea perfectione accidentali, qua nomen, & verbum eam componunt. Vnde ita disparitas inter terminum syncategorematicum, & cathego-

rematicum ex vna parte; & nomen, & verbum, & obliqua horum ex alia, quod terminus syncategorematicus nullo modo potest componere propositionem, nisi ratione categorematici; at obliqua possunt componere propositionem sine rectis, saltem si sit propositio de verbo neutro, & impersonali, & quando componunt propositionem perfectam, quæ est de verbo actiuo eam componunt per se, licet vt partes minus perfectè; & dependentia quam habent à rectis, vel à nomine est accidentaliter; non autem essentialiter, quod patet in partibus imperfectis corporis organici, quæ verè sunt partes, & tamen non componunt corpus viuens organicum sine dependentia, & concomitantia aliarum partium principalium; sed quia hæc dependentia est accidentaliter, non differunt essentialiter ab alijs partibus sub ratione partis.



## DISPUTATIO II.

## De verbo.

*Dub. I. An definitio verbi tradita à Mag. Soto sit exacta.*

1 **O**Mnia quæ dubijs sequentibus discutiemus conducunt ad hoc, quod appareat, quam rectè sit tradita definitio verbi, sed quia continent specialem difficultatem dubia peculiariter excitabimus, &

modo, quæ minorem arduitatē continent his pertractabimus. Sed quia in Dialectica parua lato calamo explicui omnes particulas diffinitionis verbi cum diffinitur, quod est, *vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars per se est significatiua, separata, finita, & recta, & est nota eorum, quæ predicantur*, & ibi ostendi, quam rectè diffinitur verbum; ideo nunc nonnullis tantū objectionibus satisfaciam.

*Soluantur argumenta.*

2 Cum verbum, & nomen cōueniant in tribus primis particulis, nempe in hoc, quod est *esse voces significatiuas ad placitum*, nihil de illis in præsentiarum est disputandum.

3 Contra illam particulam *cū tempore*, arg. 1. Vel illa particula denotat, quod ex parte rei significatē significatur ipsum tempus, seu duratio passiua intrinseca actionis, vel passionis, aut existentia rei, vel tantū, quod ex modo significandi, neutro modo verbum potest significare cum tempore: ergo malè ponitur illa particula in diffinitione. Maior videtur certa: nam si verbum neque ex parte modi, neque ex parte rei significatæ, significat tempus actionis, vel passionis, vel existentia rei, neque ex modo significandi non apparet quid sit in verbo significare cū tempore, neque quomodo *valeo*, & *valetudo* differant, ita vt alterum sit nomen, alterum sit verbum. Minor vero prob. nam verbum in primis non significat tempus, vt ait hic Magister Soto sed cum tempore; at si

ex parte rei significatæ exprimeret, & significaret intrinsecum tempus actionis, vel passionis, vel existentia rei, vel etiam tempus extrinsecum sub quo hæc durant absque dubio significaret tempus: ergo. Quod vero, neque ex modo significandi hoc præter, prob. nam iste modus, vel se tenet ex parte rei significatæ, vel præcisse ex modo significandi. Si primum, iam significaret tempus vt afficiens actionem, vel passionē, vel existentiam: nam quod significatur vt modus rei significatæ; reuera est res significata: sicut modus in hæssionis in concreto accidentali, & in termino connotatiuo, quia per illum significatur accidens vt afficitur illo modo, & sic iam inciditur in primum absurdum, nempe, quod verbum significat tempus, & actionem, licet cum ordine. Si autē tempus solum se habet ex modo significandi tenente se non ex parte rei cognitæ, sed ex parte cognoscentis, iam nulla est differentia inter nomen, & verbum, quia nos omnia cognoscimus, & significamus in tempore, & cum tempore, eo, quod nostra cognitio dependet à sensibus, & phantasmatibus, quæ omnia operantur, & cognoscuntur sub tempore, & cum tempore ex parte cognoscentis, & sic tam nomen, quam verbū important tempus ex parte subiecti: non relinquitur ergo locus ad hoc, quod proprium sit verbo significare cum tempore, ac perinde illa particula cum tempore, malè ponitur in diffinitione verbi.

Resp.

4 Resp. tamen, quod verbū eò significat cum tempore, quia ex parte modi significandi refertur in rē significatam, significat actionē, vel passionem, vt est in fieri, & in fluxu temporis; inde tamē non sequitur, quod significet tēpus; sed quod con significet, vt hic ait Arist. & M. Soto: quia res significata per verbum non est ipsa actio absolutè, & vt res quædam est, sed est ipsa, vt fluens, & per modum motus; & in de non infertur, quod verbum significet tempus, sed solum, quod con significet; quia non significat quidditatem temporis, nec quidditatem actionis, aut passionis (hæc enim significatur per hæc nomina tempus, vel amor) sed significat actionem, vt fit: estque in ipso moueri, & sic significat illam, non absolutè, sed cō significando tempus, siue intrinsicè, siue extrinsecum, quod importat actio sic in fieri significata. Unde exemplum de termino connotatiuo, quoad hoc, quod est significare accidens sub modo inhesionis, non obest, sed iuuat intentum nostrum, quantum ad aliquid; nam sicut non significat quidditatem modi inhesionis, sed significat accidens cō significando modum actualis inhesionis, sic verbum significat actionem, vel passionem, non quidem significando quidditatem temporis, sed cō significando modum motus, & fieri quo fit sub tēpore, & sic optimè ponitur illa particula *cum tempore* in diffinitione verbi, vt appareat eius differentia ad alijs,

5 Sed contra est, quod per hanc explicationem non apparet in quo differat significare cum tempore ab eo, quod est connotare tempus, & tamen connotare tempus conuenit nominibus, vt patet in his verbis, *cœna, prandium, ientaculum*: ergo illa particula *cum tempore* non rectè ponitur in diffinitione verbi, sub explicatione data.

Antecedens prob. tum, quia cō significare, & connotare idem sunt: nam terminum connotatiuum connotare subiectum nihil aliud est quā illud cō significare, licet minus principaliter, & Angelum cognosci connotatiuè ad res materiales, nihil aliud est, quā quod ex modo significandi cognoscatur, ac si esset res materialis. Et illæ dictiones *cœna, & prandium*, significant illas actiones, prout in tempore determinato sūt cō significando tempora meridiei, vel mane, aut noctis: ergo aliquid peculiare habet verbum, præter supra dicta, vel si significare cum tempore nihil amplius dicit illa particula *cum tempore* posita in diffinitione verbi competit alijs à diffinitione.

6 Respondetur, quod verbum significatio cū tēpore cō significat tempus, secundum exercitium temporis, quatenus actu mensurat actionem, quæ significatur, vt in fluxu, & sic formaliter cō significatur tempus, cuius esse consistit in ipso fluere: & hoc est propriū verbi, at *cœna, & prandium* solum cō notant tempus, & non cō significat, quia

quia non significant actionem cœnæ formaliter, vt est in fieri, & in fluxu, sed signatè vt actio est, neque cōsignificat tempus formaliter, vt est in fluxu; sed vt est tempus nocturnum; ac perinde significare cum tempore est significare actionē, vel passionem prout est formaliter in fieri, & in motu, & in fluxu, & sic cōsignificatur tempus formaliter, vt exercet rationem mensuræ, & hoc nullo modo competit alijs à diffinito, sed solum verbo, ac perinde rectè ponitur illa particula *cum tempore* in diffinitione verbi, sub explicatione tradita.

7 Secundo arg. contra illā particulam, *cuius nulla pars per se est significatiua separata*, ad probandum, quod malè ponitur. Tum, quia idè Arist. in diffinitione verbi non posuit tres priores particulas, nempe, *est vox significatiua ad placitum*: quia iam erāt positæ, & explicatæ in diffinitione nominis, sed etiā ista particula, & aliæ duæ, nempe *finita*, & *reſta*, erant positæ, & explicatæ in diffinitione nominis: ergo non debere superaddi in hac diffinitione.

Resp. tamen Arist. ideo omisit tres primas particulas, non quia non deberent poni, cum medijs illis exprimat ratio generica, & cōmunis nominis, & verbi ( siue sint strictè genus, siue non) sed quia studebat breuitati, & sub intellectas putauit cum explicata diffinitione nominis, addidit: *Verbum autem est id, quod insuper significat cum tempore, cuius nulla pars seorsim significat, atque*

*semper eorum, quæ de alio dicuntur est signum*; vbi illa particula *insuper* cū sit relatiua est recordatiua eorum particularum, & etiam quod sit verbū finitum, & rectum: iuniores autem, qui diffusius tractant de verbo, necesse habent eas particulas reperere in diffinitione verbi, addidit autem Arist. eam particulam *cuius nulla pars*, quia specialem habet difficultatem in verbo, quia cum significet compositionem, & vniōem subiecti, & prædicati intra propositionem, in qua compositione consistit significare verum, & falsum, quod est proprium orationis perfectæ; videtur, quod verbum habeat specialem cōuenientiam cum oratione, & quod constet partibus significatiuis; ideo que ad hanc appariētiam explodēdam debuit Arist. superaddere illam particulam in diffinitione verbi; & tota solutio est D. Th. 1. per. lect. 5. in princ.

8 Arg. 3. ad idem hoc verbū *infero, circumfero, interpono*, & alia huiusmodi sunt verè verba; significant enim cum tempore, & sunt nota eorum, quæ prædicantur, & tamen eorum partes significant separata; & tota significatio verbi significat iuxta significationem partium, & si partes deponerentur à sua significatione, non idem significarent, quod patet in nostro idiomate, vbi *circumfero* significat *lle var al derredor*: etsi aliqua ex his particulis deponeretur à sua significatione, non idem significaret illud verbum Hispanicum: ergo.

Resp.

Resp. probabile esse, quod sicut omnis homo est quoddam complexum, & sumitur in vi duarum dictionum, ita, quod ibi tantum *ly homo* est nomen; non autem illud complexum; sic *circumfero* est complexum ex verbo *fero*, & ex *ly* ac thegoremate *circum*, & sic conuincit argumentum, quod pendet à significatione partium; sed tamen non probat, quod detur verbum constans partibus significatiuis, siquidem ibi solus *fero* est verbum. ¶ Dato autē, quod non sit complexum, habemus intentum, & negatur, quod pendeat à significatione partium, ac perinde etiam si *ly circum* seorsim deponeretur à sua significatione; & *fero* etiam deponeretur, semper maneret significatio illius verbi, tam Latine, quam Hispanicè, quod patet in alijs nominibus composita figuræ, quæ sunt mixtæ arabes, vt *guadalete*, *cuamalquiur*, qui semper retinent suam significationem, etiam si apud nos nomina, ex quibus componebantur iam fiat de solita à sua significatione; nemo enim apud nos vocat flamē *uadā*, sicut Arabes, sed de his alij, qui rades nostrarum vocum inuelligāt, viderique poterit, & obseruari in thesauro lingue Castellana.

9 Arg. 3. Secunda, & tertia persona, in verbis tam pluralis, quā singularis numeri sunt verba obliqua, siquidem cadunt à recto primæ personæ, & ab ea deriuantur, & differunt ab ea in terminatione, non minus quam cadunt genitiuus, & datiuus in nomine, ab ipso nominati-

uo, & differant ab illo in terminatione, & tamen verbum secundæ, & tertiæ personæ temporis præsentis est verè verbum: ergo illa particula *recta* malè ponitur in diffinitione verbi, sicut malè poneretur in diffinitione nominis si genitiuus esset verè nomen,

Resp. ex D. Tho. 1. perh. lect. 5. quod rectitudo verbi non cadit per numeros, & personas: nam hec ipso quod sunt modi indicatiui præsentis temporis, ea variatio non est formalis, & ex parte actionis, sed materialis, & ex parte subiecti, ac proinde cum dico *amo*, *amas*, *amat*, vel *amamus*, semper significatur actio in recto, prout sit hic, & nunc in præsentis tempore: at nomen variatur per casus, & amittit rectitudinem, quia nō nominat nisi in nominatiuo, & ideo non est idem.

10 Cōtra illam particulam, *est nota eorum, quæ prædicantur*.

Arg. 4. Verba infinitiui medi possunt poni ex parte subiecti, & tamen ibi retinent rationem verbi, quia significāt cum tempore, quod denegatur nomini: ergo non omne verbum est signum, seu nota eorum, quæ prædicantur: ergo illa particula malè ponitur in diffinitione verbi. Mai. patet in hac propositione *currere est in uentis*, ubi *currere* ponitur à parte subiecti, & non copulat subiectum cū prædicato, sed a potius est extremum copulatum, & est de quo aliud prædicatur. Nisi. iam probata est, & conseq. videtur bona.

Resp. D. Tho. ibidem, quod in eo casu verbum sumitur in vi nominis, seu simplicis dictionis.

Sed contra vrget, quod nomē significat sine tempore, & non significat actionem, vel passionem vt est in fieri, & influxu, quod tamen ibi significat currere: ergo non sumitur in vi nominis, sed retinet rationem verbi, & tamen non est nota eorum, quæ prædicantur: ergo illa particula perperam ponitur in definitione verbi, nec immerito reticetur à Petro Hispano, & à M. Soto, etsi ponatur ab Arist. ¶ Præterquam quod, bene potest dari propositio, quæ non constet nomine, quāuis nulla detur, quæ non constet verbo, quod ex Arist. 2. perh. probat M. Soto in hoc cap. de verbo circa finem, *si dicitur ibidem*, sed tota ratio, quæ dicitur, quod ibi currere, est *si dicitur*, & dicitur, quod habet vim nominis, est quia reddit suppositum verbo, & quia omnis propositio simplex constat ex nomine, & verbo, & non tantum ex duobus verbis: ergo ibi currere retinet rationem verbi, etsi non sit nota eorum, quæ prædicantur.

II Resp. in primis, quod illa particula est nota eorum, quæ prædicantur, non ponitur ad hoc, quod nequeat dari verbum sine exercitio talis notæ, sed vt ostendatur, quod solū verbum hoc potest habere; & ratio est, quia vnire extrema nō est essentialē verbo; sed est passio, aut quasi passio soli conueniens, licet non semper, & sic illa propositio cō-

stat quidem verbis, licet sola copula sit nota eorum, quæ prædicantur, alia vero extrema, eo exercitio careant, quod non est contra definitionem; cum illa particula non explicet connexionem essentialē verbi cum tali exercitio, sed solam capacitatem essentialē conditionatam, taliter, quod si est nota prædicationis in propositione, tantū ratione verbi possit fieri. ¶ Secūdo resp. & melius cum D. Th. 1. perlect. 5. solutione data inter arguendum; tunc ly *currere* sumi in vi nominis, quod apparet, quia tam in Græco, quam in vulgari lingua, additur articulus, *to*, vel *el*; dicimus enim, *el correr es mouerse*. Ad replicam dico, quod vt conijcitur ex præpositione articulorum, tunc *currere* non significat cum tempore, quia significat actionem, non vt est influxu, sed vt res quædam est, vel vt est quædam res existens, ac perinde inducit vim nominis, & sub tali indumento significatur cum infinitiuum ponitur ex parte subiecti.

Ad 2. replicam dico, rationem ob quam dicimus, quod verbum infinitiuum positum à parte subiecti, amittit rationem verbi, & habet vim nominis, non esse, quia omnis propositio debet constare nomine, & verbo; sed quia tunc non significat cum tempore, sed significat actionem, vel passionem per modum existentis, vt hac lect.

5. docet D.  
Tho.

*Dubium secundum. An verbum in propositionibus eternæ veritatis ita absoluitur à tempore, quod non significet cum tempore, sicut ponitur in eius definitione?*

**D**istinctionē verbi à nomine explicuit Philosophus per hoc, maximè, quod nomen significat sine tempore; verbum autem significat cum tempore; non ita quidē quod tempus sit res significata per verbum; sed taliter, quod verbum cōsignificet tempus ex parte modi significandi refusi in rem significatam, taliter, quod significet esse, seu existentiam rei, vel actionem, aut passionem, non secundum se, sed cū quodam fluxu, & in quodam fieri, & moueri, qua ratione significatur cum quodam modo temporis: quia cum tempus sit numerus, & mensura motus secundum prius, & posterius, quod significatur vt sic fluens, significatur vt habēs tempus quoddam intrinsecum, seu durationem successiuam, sub qua ratione mensuratur à tempore extrinseco.

Cum autem quædam propositiones in quibus prædicatum est de intrinseca, & essentiali ratione subiecti, sicut eternæ veritatis, & eternitas careat successione temporis, videtur, quod in talibus propositionibus verbum omnino absoluitur à ratione tēporis, ac perinde, quod copula, seu verbum non significet cū tempore, ac perinde etiam videtur, quod non sit de ratione verbi signifi-

care cum tempore, siquidem in illis propositionibus copula verè habet rationem verbi, & tamen cum non significet esse extremorū in fluxu, & in fieri, sed in illo nunc immutabili æternitatis, videtur, quod ibi verbum nō significet cum tempore, & quod illa particula *cum tempore* redūdet in definitione verbi.

2 Notandum est secundo, quod significare cum tempore consistit in illud ex parte modi significandi refusi in rem significatā ex vi modi nostri concipiendi, est essentialiter verbo, ita vt hoc verificetur de illo, siue sit intra propositionem, siue extra proferatur; vt cū dico, *lego*, vel *disputo*: at vnire extrema in propositione, & significare vnionem prædicati cum subiecto, & compositionē propositionis, non per se habet, sed ex consequenti, vt notat D. Th. 1. perh. lect. 5. Itaque verbum substantiuum significat per se esse rei consistendo illud ex vi modi significandi, vt est in quodam fluxu durationis, verba vero adiectiua significant per se actionem, vel passionē grammaticalem, vel physicam, consistendo eam ex vi modi concipiendi, vt subest tempori, & est in eius fluxu; per consequens autem intra propositionem significant vnionem extremorum, & habitudinem quam habent inter se. Huiusmodi autem habitudo ex parte rei significatæ importata ex consequenti per verbum vt copula est propositionis, aliquando subiacet tempori, vt cum dico, *homo est albus*, *homo amat*

*virentem*, aliquando dicit habitudinem, quæ non subiacet tempore, sed æuo, vt cum dico, *Angelus est, Angelus amat se, & intelligit se*; aliquando vero, dicit habitudinem æternam, vt cum dico, *homo est animal, Deus diligit se, & intelligit se, & omnia possibili*; quia illa extrema inter se dicunt habitudinem necessariam simpliciter, & omnino independentem à tempore nostro, & ab æuo Angelico. Et in hoc tertio casu, vbi verbum vnit extrema dicentia necessariam omnino, & essentialem habitudinem, inquirim⁹, an verificetur, quod verbum significet cum tempore, & hoc dato, quomodo possint verificari illæ propositiones, vt æternæ veritatis, & quomodo sit intelligibile, quod verbum absoluat à tempore (quod concedit M. Soto, & communiter nostri Thomistæ) & simul significet cum tempore.

*Vnica conclusio.*

3 Verbum per se, & directe semper significat cum tempore in propositionibus æternæ veritatis, quavis quoad munus vniendi, seu significandi ex consequenti compositionem, & habitudinem extremorum propositionis æternæ veritatis, absoluat à tempore, id est, non restringat extrema vt verificentur in tempore, sed relinquat eam compositionem & unionem inderminatam, vt possint independentem à tempore verificari, quamuis ipsa verificatio fiat semper consignificando tempus nostrum. Sic communiter Thomistæ: vide Ortiz hic.

4 Hæc conclusio, in primis eget explicatione, ex qua facile patescet eius probatio. Significare cum tempore, vt patet ex dictis, ita est essentiali verbo, vt hoc sit præcipuum distinctivum eius à nomine, & hoc consistit in eo quod ex vi modi significandi, significet esse rei, vel actionem, aut passionem, eodem modo quo nos hæc intelligimus ex dependentia rerum materialium, & sensibilibus, quæ subsunt tempore quoad durationem suam, tam quoad esse, quam quoad operari, & pati, & sic sicut res immateriales non possumus intelligere nisi ad modum rerum sensibilibus, & materialium, sic neque concipere possumus, esse, vel actionem, aut passionem aliquam, vel id quod horum instar concipitur, nisi cum tempore, vel ad modum eorum, quæ subsunt tempore nostro; cum autem verba data sint nobis ad exprimendas res, vt eas concipimus, impossibile est, quod verbum, etiam in propositionibus æternæ veritatis, non significet cum tempore. At verò sicut ex quo immaterialia ad modum rerum materialium concipiamus, non sequitur, quod iudicemus ea esse in se materialia, nec quod prædicata immaterialia subiectis vniantur materialiter, sed iudicamus ea esse in se immaterialia, & habere inter se attributionem immaterialem; sic similiter contingit in verbis nostris, quæ ex consequenti significat unionem, & habitudinem essentialem extremorum propositionum æternæ veritatis, quod cum iudicemus ea ex-

trema

extrema esse independenter à tempore habere vnionem, cōnexionē, attributionem, & habitudinem, verbum significans huiusmodi iudiciū absoluitur à tempore, quatenus significat iudiciū, quod habemus de illa compositione, & secundū quod significat illam habitudinem, quam non restringit in ordine ad aliquod tempus, sed significat eam, vt independentem à tempore, sed quia illam vnionem, & habitudinem significat verbum tantum ex consequenti, fit quod hoc non tollat, quin verbum significet cum tempore ex vi modi significandi resuū, in rem significatā; de quo etiā vide dicta dub. ant.

4 Quod verbum non possit absolui ab eo, quod est significare cum tempore, siue intra propositionem æteræ veritatis, siue extra, facile probatur, quia essentialē est verbo, & inseparabile ab illo id, per quod distinguitur à nomine; sed significare cum tempore ex modo significandi est id per quod verbum distinguitur à nomine, vt patet ex definitione: ergo est inseparabile à verbo, siue intra, siue extra propositionem. Tum etiam, verbum substantiuum significat ipsum esse, vt fluēs ex vi modi significandi, & significat esse per modū actionis grammatialis, & ad modū esse rerū materialium, & corruptibiliū: si autē verbū sit adiectiuum significat actionem, vel passionem, vt est in fluxu, & in fieri ad modū actionum sensibiliū, & materialium: ergo etiā in propositionib⁹ omnino necessarijs significat omne verbū cū

tempore. Prob. consequ. nam, vt dictum est, significare cum tempore nihil aliud est, quā quod ex modo significandi, significet esse, vel actionē, vt fluentem, & ad modum eorum, quæ exercitè mesurantur à tempore. ¶ Denique verbum nostrum ex modo significandi habet differentias temporis presentis, præteriti, & futuri, & per illas variatur tam intra, quam extra propositionem: ergo non potest absolui ab hoc, quod est significare cum tempore, si non absoluitur à suis differentijs, presentis, præteriti, & futuri; at ab his non absoluitur, quia illa propositio *homo est animal*, non est de præterito, aut futuro, sed determinatè est de presenti, & illa *homo fuit animal*, non est de presenti, sed de præterito: ergo semper verbum significat cum tempore in propositionibus etiam necessarijs.

5 Quod vero verbum in propositionibus essentialibus, & necessarijs, absolui possit à tempore quātū ad hoc, quod illi competit ex consequenti, nempe quātū ad hoc, quod est non restringere extrema, ad determinatum tempus, quod ex modo significandi importat verbum, & quantum ad hoc, quod est non venire, & componere extrema secundum habitudinem temporalem, sed abstrahendo à tempore. Prob. quia & si verbum essentialiter habeat significare cum tempore, vt dictū est, tamen illi accidit vnire extrema in ordine ad illam differentiam temporis, quam consignificat: ergo op-

time potest absolui a tempore quantum ad hoc, quod est unire extrema non restringendo illa ad differentiam temporis, quam conſignificat verbū, & si verbum ipsum nō possit absolui a significādo cum tempore ex modo significādi. Prob. ant. unio extremorum oritur ex habitudine extremorum; at hæc quandoque est accidentalis, & temporalis, vt quando subiecto attribuitur prædicatum accidentale, quandoque est independens a tempore, vt quando prædicatū est essentialiter subiecto: ergo accidit unioni extremorum, quod fiat cum restrictione ad determinatum tempus: at verbum est, v. g. ex consequenti dicit unionem extremorum, vt probatum est, & eam significat, quatenus dicit esse, quod est veritas propositionis: ergo itat, quod cum verbum non absoluitur a significādo cum tempore, tamen absoluitur ab illo quantum ad unionem extremorum iuxta differentiam temporis conſignificati. Prob. cōseq. nā stāte illo, quod est essentialiter verbo, potest deficere, quod accidentaliter se habet, & ex consequenti, quodq; ex ipsa habitudine extremorum, in qua fundatur unio, dependet.

6 Conf. Stat optimè, quod cū ex modo significandi, & concipiendi nostri, immaterialia ad modum materialium, non possint non concipi, tamen iudicium, & esse, quod illis attribuitur ex parte rei significatæ, non sit materiale, sed immateriale cōceptū ad modū rerū materialium: quia res concepta in se verè est

immaterialis, & ex diuersis capitibus sumitur vnū, & alterū: ergo itat optimè, quod verbū, quod apud nos absolui nō potest a significādo cū tempore ex parte modi: tamē quoad unionē extremorum, in qua fundatur veritas, & esse rerū ex parte rei cōceptæ, nō uniat restringēdo ad illā differentiam tēporis quā essentialiter conſignificat tēpus. Prob. cōf. quia significare cū tēpore fundatur in eo, quod intellectus cognoscit omnia ad modū rerū sensibiliū: ipsū verò non restringi extrema, vt solum accipiātur pro existētibus, prouenit ex eo, quod habitudine eorū est essentialis, & æternæ veritatis, habēlq; esse obiectiuū ab æterno indepēdēs ab existētia, & tēpore. Hocq; verificatur, siue verbum sit substantiuū significās primā actualitatē essendi essentialiter, siue sit adiectiuū significās agere, vel pati necessario connexum cum subiecto, vt cum dico *Deus generat*.

7 Ex quibus patet etiā vltima pars nostræ conſclusionis, nēpè, quod etiam verbū (siue substantiuū, siue adiectiuū sit) absoluitur a tēpore, quantum ad unionē in propositionibus essentialibus, tamen verbum significādo ipsā unionē per tempus præsens ex modo significādi eā significat ex parte modi cū tēpore, quod patet, quia cū modus ille significādi sit essentialis verbo, & inseparabilis ab illo, vt probatū est, quod significatur, vel relucet ex parte rei significatæ sub proprio modo significandi debet relucere: ergo sicut immaterialia, licet ex parte iudicij, & rei intellectæ percipian

cipiantur, vt expertia materialitatis; ex parte tamen modi intelliguntur ad modum rerum materialium: sic similiter, quamuis in illis propositionibus, quantum ad vnionem, & ex parte rei significatæ absoluantur extrema à tempore, & non restringantur pro existentibus solum, tamen ex modo significandi verbi sub tēpore præsentis debet significari, ipsa non restrictio vnionis.

*Soluuntur argumenta.*

8 Contra primam partem conclusionis argumenta proposita sūt dubiant. & alijs, quæ possent fieri facile sūt satis dicendo, quod etsi id, quod significat verbum, siue sit existentia Dei, siue esse Angelicū, quod mensuratur æuo, siue habitudo necessaria prædicatorum essentialiū, siue actio competens Deo, aut Angelo in se ipsis, non subiaceant tempori nostro, tamen verbum nostrum ex vi modi significandi hæc omnia ad modum rerum sensibilibus, & tēporalium significat omnia illa cum tempore nostro ex parte modi significandi.

9 Contra secundam ergo partem nostræ conclusionis, in qua est tota difficultas huius dubij, arguitur primo. Verbum per nos absolutum nequit ab eo, quod ex modo significandi importet determinatam differentiam temporis: ergo nequit absolutum à tempore quoad hoc, quod est vnire extrema non restringendo ad aliquam differentiam tēporis importatam essentialiter per verbum, seu

copulam verbalem ex parte rei significatæ. Prob. cōseq. Tum, quia extrema illa propositionis essentialis, v. gr. non vnuntur secundum esse, quod habent materialiter in se, sed secundum esse, quod habent in intellectu concipiente, qui adæquatatur cum modo cognoscendi nostro: ergo si modus concipiendi non absoluitur à tempore, sed potius essentialiter significat cum tempore, & refunditur in rem significatā prout est in conceptu, non poterit stare ex vna parte, quod verbum essentialiter significet cum tempore intra illam propositionem, & quod absoluat à tempore quoad vnire illa extrema, non restringendo illa ad differentiam temporis, quam tale verbum essentialiter importat. Tum etiam, verbum nedum extra propositionem, sed etiam intra significat cum tempore determinato, & hoc est illi essentialiter: ergo vnit cum tēpore illa extrema. Prob. cōseq. nā esse intra propositionem nihil aliud est, quam exercere ibi rationem copulæ, & vnionis extemorum: ergo si intra propositionem non potest absolutum ab hoc, quod est significare cum tempore, nec poterit absolutum ab hoc, quod est vnire, & copulare illa extrema cum tempore determinato. Ergo non potest non restringere extrema vt sint vnita cum tempore determinato: vnio enim actiua, & passiua, sunt correlatiua: ergo si non est vnire extrema sine tempore, nec erit esse vnita sine illo.

Tum etiam, verbum valet extreme mediante sua significatione, ita quod et si diuersum sit significare, & vnire, tamen vnio fiat media significatione: ergo si in illis propositionibus essentialibus significatio verbi intra propositionem est cum tempore, etiam vnio extremorum erit cum tempore: ergo non fiat in verbo significare cum tempore, & absolui ab illo.

10. Resp. ex dictis in 3. parte conclusionis, quod hæc omnia solū probāt, quod ipsa vnio extremorum ex parte modi significandi verbi fiat in intellectu nostro cum tempore determinato; non vero quod fiat ex parte extremorum secundum rem significatam, quia non iudicat intellectus, quod illa extrema habeant habitudinem temporalem ex parte rei significatæ, aut quod id quod significatur à verbo, siue sit esse, siue actio aliqua, sit aliquid temporale, quamuis concipiat, & significet hæc omnia ad modum rerum temporalium; sicut cum concipit Angelum, non iudicat esse materiale, quamuis nequeat non concipere ad modum rerum temporalium ex vi modi significandi. ¶ Ad arg. igitur concessio antec. negatur consequ. Ad eius probationē resp. quod extrema illa vniantur inter se a copula secundum modum, quem habent in intellectu, ex parte iudicij cōcedo, ex parte apprehensionis nego: intellectus autē non iudicat ea extrema habere habitudinem, & vnionem temporalem, sed totum hoc apprehendit ad modum tē-

poralium in significando, & hoc est, quod dicimus, quod verbum nō absoluitur à tempore in significando, sed in vniedo illa extrema, de quibus iudicat non vniri inter se iuxta differentiam importatam per copulam in significando. ¶ Ad 2. prob. resp. quod verbum etiā intra propositionē, & vt copula est, significat cū tempore ex parte modi, sed non ex parte vnionis, quia iudicat ea extrema obiectiuē non vniri tēporaliter, quāuis ipsam æternitatē vnionis ad modū rei tēporalis significet, ideo. que stat optimē, quod copula significando cum tēpore nō vniat restringendo extrema ad differentiā temporis importatam per copulā. ¶ Ad 3. probat. resp. quod verbum, seu copula vnit quidē cū tempore illa extrema quantum ad modum significandi, non verò quantum ad rem significatam, quia illa copula significat esse extremorū, quatenus terminat iudicium intellectus, & veritatē formalem eius; intellectus autem concipiendo illud esse æternum habitudinis extremorū in tali propositione essentiali ad modum rei temporalis non iudicat esse obiectiuē tēporalem; sed æternam significat vnionē cum tempore, & absoluitur ab illo, quia sine illo vnit.

11. Sed contra insurgunt aduersarij multipliciter. Primo quidem, si ad hoc vt verbum absolueretur à tempore quoad vnionē, & ex parte rei significatæ, sufficeret, quod iudicet intellectus illa extrema non esse tēporalia in se, neque dicere habitudinem

ñem tēpōralem, quamuis medio verbo ex modo significandi significetur hoc cum tempore nostro, sequeretur, quod hæc propositio, *Angelus existit*, absolueretur à tempore; sed hoc est falsum cum illa propositio sit contingens, & accidentalis; solū autem reperiatur absolutio à tēpore in propositionibus æternæ veritatis: ergo solutio omnino ruit. Prob. sequela, siquidem existentia Angeli ex parte rei significatæ, non mensuratur tēpore, sed æuo, & hoc ipsum iudicat intellectus cum profert illā propositionem: ergo si doctrina argumento respōsiua bona est, cōvincit eam propositionem absolui à tēpore. ¶ Sed resp. concessa sequela; ea enim propositio licet nō sit æternæ veritatis, est tamen vera secundū mēsuram æui, seu æuiterna, quæ est omnino abstracta à tēpore nostro, & est mensura limitata habens principium. Pro cuius maiori luce legēdus est D. Th. 1. p. q. 10. ar. 5. in cor. & ad 3. quia de æuo secundū quod differt ab æternitate, & tempore, & secundum quod dicit immutabilitatē, quoad esse Angeli, quāuis habeat mutabilitatem adiunctam ex parte operationis, non est in præsentia rum differendum.

12 Contra eandem præcipuam solutionem obijciunt 2. quod *ly est* nedum ex parte modi significandi, sed etiam ex parte vnionis, ex parte rei significatæ restringit extrema sua pro existentibus: ergo etiam in propositione æternæ veritatis, non absoluitur à tempore. Prob. ant. *ly*

*est* nedum ex modo significandi, sed etiam ex parte rei significatæ, & quoad vnionem diuerso modo significat, & vnit ac *ly fuit*: sed non potest stare in alio, quam in eo quod restringat, & vniat talia extrema in ordine ad tempus præsens: ergo quoad vnionem, & ex parte rei significatæ, non absoluitur à tempore, sed restringit extrema pro existentibus in tempore præsentis. ¶ Resp. tan. ē negando quod in propositionibus essentialibus diuersa significet, & diuerso modo vniat *est*, & *fuit*, quamuis differant ex parte modi significandi, quia esse connexionis prædicatorum essentialium ex parte rei significatæ eadem est in ordine ad omnes differentias temporis, cum sint ab æterno vnita extrema, ac perinde omnes illæ propositiones verificantur, sine exclusione vlla; vnde, & de Deo dicit Ioan. *qui est, & qui erat, & qui venturus est*, vt notat D. Tho. in 1. dist. 8. q. 2. ar. 3. vt dicit D. T. ibidem ad Anibald. q. 1. art. 2. ¶ Si istes, quod casus rectus nominis, v.g. *Petrus* differt ab obliquo, nedum ex parte modi significandi; sed etiam ex parte rei significatæ: at *erit*, & *fuit* sunt obliqua verbi, respectu recti *est*: ergo etiam in propositionibus æternæ veritatis differunt propositiones de præsentis ab illis, quæ sunt de futuro, & præterito, etiam ex parte rei significatæ: ergo etiā quoad vnionem: ergo semper restringuntur extrema, vt supponat secundam differentiam temporis importati per copulā; nam solū in tēpore dif-

fert rectū ab obliquo verbi: ergo ibi nō absoluitur verbū à tempore. ¶ Resp. tamē, nō esse eandē rationē: quia nomē, & eius obliquū solū vnā rē significāt, & ideo variātur, & ex modō significādi, & ex parte rei significatæ, quia ille modus diuersus refunditur inadæquatū significatū: at verbū vnum significat per se primo, & aliud ex cōsequēti. Primo quidē significat esse rei, & secūdarīo, siue ex cōsequēti vnionē extremorū, & quidē esse rei, quādōque sumitur pro esse essentiæ, quādōque pro esse existentia accidentali-ter conuenientis rei, & cū verbū significat esse essentielle, tunc rectus, & obliquus solū variātur, & differunt quod modū significādi, quia illud esse est idē secūdam omnes differen- tias temporis, quia nō mesuratur tēpore, sed a mēsurā superiori æternitatis, vel positīue, vel negatiue, & tūc *ly est*, & *ly fuit* solum habēt ratio- nē recti, & obliqui grāmaticaliter, & quoad modū significādi, non ve- ro quantū ad rem significatā, ideo extrema vniantur independēter à tempore importato per copulam: at quādō *ly est*, sumitur pro esse exis- tentiali, accidentali, & tēporali, exer- cetur etiā logice ratio recti, & obli- qui verbalis, & tūc vnio etiā sequi- tur differētiā temporis importati per copulā, & tūc rectus differt ab obliquo, etiam ex parte rei signifi- catæ.

13 Secūdo principaliter argui- tur. Datur aliqua propositio æter- næ veritatis, vbi verbum non absol-

uitur à tempore: ergo conclusio est falsa. Prob. ant. hæc propositio est essentialis, nempe, *Petrus, qui existit hic, & nunc exereñte, est hic, & nūc exer- citè animal*, & tamen in illa verbum nō absoluitur à tēpore: ergo. Prob. mai. nam teste D. Tho. in 3. dist. 10. q. 1. ar. 1. quæstiunc. 3. illa proposi- tio in qua prædicatum est de intrin- seca ratione subiecti, aut partis ei⁹, est essentialis, & ideo docet has esse propositiones essentielles, homo al- bus est homo, Christus est animal: sed in præfata propositione prædica- tum, nempe animal, est de intrinse- ca ratione Petri, qui est pars subiec- ti: ergo. Min. autem prob. quia nul- le existente homine in rerum natu- ra, seu nullo Petro existente tota illa propositio est falsa: ergo ibi verbū nō absoluitur à tempore; sed restrin- git pro existentibus tantum.

14. Resp. i. neg. ant. ad prob. di- co, quod tūc propositio est essentia- lis quādō prædicatū adæquatū est de intrinseca ratione subiecti, aut partis eius; non autem quando præ- dicatū adæquatū non est de intrinse- ca ratione subiecti; at in illa propo- sitione, animal, quod posset esse de intrinseca ratione subiecti, non est prædicatū adæquatū, quia ibi est du- plex prædicatū, nempe existēs; hoc enim est, quod primo prædicatur de Petro, & deinde, quod sit ani- mal. Vel melius dico, quod ibi præ- dicatum non est de intrinseca ratio- ne subiecti: quia non sumitur ani- mal absolute, sed prout hic, & nuac- illi conuenit, & sic idem est ac dice-

re, quod Petrus existēs, est existens animal: animalitas autē, & existens accidentaliter conuenit Petro: & sic tota propositio est accidentalis, & ideò non mixtum, quod ibi verbum non absoluatur à tempore. Quod autem sit accidentalis apparet ex eo quod resoluitur per vnā copulatiuam, cuius vna pars est accidentalis: sic, Petr<sup>o</sup> est animal, & ille hic, & nunc exercitè existit: constat autem, quod accidentalitas, sicut & contingentia est de genere mali, red deusque totam propositionem accidentalem, & contingentem, et si vna sola pars sit accidentalis, vel contingens. Vel tandem dici potest esse mixtam virtualiter, & formaliter esse essentialem; sed tunc verbum absoluatur à tempore quantum ad copulam principalem: quod autem falsificetur propositio non existente Petro, nō est defectu copulæ principalis, sed defectu copulæ implicationis, quæ falsificatur, & cum malū proueniat ex quocumque defectu, fit totam illam propositionem falsificati, non defectu copulæ principalis, sed defectu copulæ implicationis.

15 Sed contra primū modū dicendi insurgunt, etiam si copula implicationis sit negatiua, si tamen copula principalis est affirmatiua, tota propositio est formaliter affirmatiua, & virtualiter mixtæ qualitatis, vt patet in hac propositione, *homo qui non currit, disputat*, cuius contradictoria tota est negatiua: ergo similiter in nostro casu, etiam si copula

implicationis sit accidentalis, tota propositio erit formaliter essentialis ratione copulæ principalis, licet virtualiter sit mixta.

Resp. ex dictis, quod dato, quod sit essentialis, verbū principalis copulæ absoluatur à tempore, sicut in exemplo posito supponere debent extrema copulæ principalis, quia illa vnit affirmatiue. Sed tamē dico iuxta primā solutionē, eā propositionem esse accidentalem, quia prædicatū non attribuitur subiecto absolute, sed vt hic, & tunc exercitè conuenit Petro; sic autē conuenire animalitatē, non est de intrinseca ratione Petri. Vnde & nego suppositū consequētis, at in exēplo allato prædicatū principale absolute est affirmatum, & ideò non est idem.

3. Resp. non esse idem, nam illa propositio, *Petrus, qui nō currit, disputat*, debet esse affirmatiua, quia negatio nō trāsit in copulā principalem; sed in ordine ad illā sumitur infinitanter, licet sumatur neganter in ordine ad copulā implicationis; idē enim est dicere, *Petrus, qui non currit disputat*, ac dicere, *Petrus non currens disputat*. At ad hoc, quod propositio sit essentialis requiritur necessaria habitudo inter extrema, quæ vnit copula principalis, quæ non reperitur in nostro casu, quia Petrus vt existens accidentaliter est animal, non enim conuenit illi animalitas ex eo quod hic, & nunc existit, sed ex se, & ideò ea extrema prout in illa propositione non habent habitudinem essentialem, sed accidentalem;

Ita vt accidentalitas trāseat in vnionem copulæ principalis, quia vnio confurgit ex habitudine, quam habet extrema in propositione, & ideo non est idem.

16 Tercio arg. ad idē; hæc propositio *Deus est*, essentialis est, & tamen verbum in illa non absoluitur à tempore: ergo. Prob. min. restringit vt accipiatur solum pro Deo existente, at quando verbum sic restringit non absoluitur: ergo.

Conf. 1. hæc propositio est essentialis, *Petrus est animal*; & tamen ibi restringit pro existenti, quia non potest intelligi indiuiduum sine existentia: ergo ibi verbum non absoluitur à tempore.

Conf. 2. Similiter hæc propositio est essentialis, *homo existēs existit*, & tamen ibi verbum restringit pro existentibus: ergo ibi verbum nō absoluitur à tempore. ¶ Tandem hæc propositio, *Deus est homo*, est in materia naturali; & est essentialis, & tamen ibi verbum nō absoluitur à tempore: ergo. Prob. min. Fuit aliquādo falsa, antequam Deus assumeret humanitatem, & modo erit falsa si Deus eam dimittat, & potuit semper esse falsa, si Deus statuisset, numquam assumere humanitatem, at cum verbum absoluitur a tempore, vnit extrema independentem a tempore, tam quoad veritatem, quam quoad falsitatem, & ideo aut semper est falsa, aut semper vera propositio: ergo.

17 Resp. eam propositionē ideo esse essentialē, quia existentia Dei

est de eius essentia, quæ eo ipso non obstat, ad hoc, quod verbum absoluitur à tempore, quia independentem a tempore cōpetit Deo, & ideo licet restringat pro existentibus existentia essentiali; non tamen pro existentibus existentia accidentali, & ideo absoluitur ab omni differentia temporis. ¶ Ad 1. conf. resp. quod illa propositio est essentialis, quia ibi non restringit pro existentibus exercitè, sed signatè, seu potentialiter: indiuiduum enim optimè potest concipi cum solo ordine; & potentia ad existendum, seu cum existentia signata. ¶ Ad 2. resp. neg. mai. quia etsi sit necessaria, est tamē necessaria secundum quid, & ex suppositione, absolutè autem est accidentalis, & in materia contingenti.

Ad 3. respondent Theologi 3. p. q. 16. art. 1. cum Ang. D. ratione tantum miraculi, ea propositio ante incarnationem erat in materia remota, modo est in naturali, etsi Deus dimitteret humanitatem, etiam esset in materia remota. Hinc tamen nō infertur, quod modo non absoluitur verbum à tempore: quia ad hoc solum requiritur, quod dum propositio est absolutè in materia naturali, aut semper sit vera, aut falsa semper.

18 Tandem potest obijci contra primam, & vltimam partem conclusionis. Significatio restrictiua a dō est inseparabilis, vt nequeat terminus restrictiuus adiungi alteri, quin faciat supponere restrictiuè, & ideo, quia *ly iustus* est terminus restricti-

ius nequit adiuungi homini, quia faciat restrictè supponere, tantū pro iustis; sed verbum essentialiter significat cum tempore: ergo quibusque extremis addatur restringet pro differentia temporis, ad quam ex sua significatione restringit.

Resp. cum Huertos in præsentī, non esse eandem rationem, quia illud adiectiuum *iustus* intrinsecè est restrictiuus; at in verbo non est intrinsecum restringere extrema ad tempus, quod importat, quia restrictio nō prouenit in verbo ex sola significatione, sicut in adiectiuo: sed ex consequenti iuxta qualitatem unibilitatis extremorum:

*Dub. 3. An quando verbum est de extrinseco tempore, nempe de præterito aut futuro absoluitur à tempore, etiam in propositionibus essentialibus?*

**C**onclusio nostra respondet affirmatiuè. Sic Ortiz tract. de nom. conf. 4. n. 193. qui topicè hoc defendit sequitur RR. M. Ioann. à S. Tho. quem citat; & M. Ioan. Mar. de Prado lib. 1. Dialect. cap. 9. à nu. 21. estque D. Tho. in 1. dist. 8. q. 2. artic. 3. vbi notat de Deo dici, quod erit, & erit sine eo, quod eius esse restringatur ad aliquam differentiam temporis nostri ex parte rei significatæ ac perinde nec restringitur verbum hoc significans.

2. Prob. ratione. Ex eo namque per verbum de præsentī fit absolutio à tempore in propositionibus e-

ternæ veritatis, quia unio, quam ex consequenti importat verbum inter extrema, resultat ex habitudine terminorum, & iuxta illam est dependens, vel independens à tempore, & restringibilis, aut non in ordine ad differentiam temporis importatam per copulam, at habitudo terminorum non minus essentialis est in oratione, quæ est de præsentī, quàm in ea, quæ est de præterito, aut futuro, cum dico, *homo est animal*, vel *fuit*, aut *erit animal*: ergo verbū præteriti, aut futuri temporis, non minus non restringit extrema illa, quàm si esset de præsentī: ergo sicut verbum de præsentī connectens illa extrema absoluitur à tempore, ita cū est de præterito, aut futuro. Tum etiam ex quo habitudo illa essentialis eorum terminorum, quæ in sui verificatione ad nullā restringitur, tempus concipiatur ad modum temporis præsentis, & cum illo significetur à nobis per verbum de præsentī, non colligitur, quod ex parte rei significatæ restringatur ad tempus præsens, sed solum, quod ex parte modi significandi; cuius ratio est, quia habitudo significata est independens à tempore; & sic debet iudicari ab intellectu. Sed etiam quando verbum est de præterito, eadem ratio currit ex parte extremorum: ergo restrictio ad tempus præteritum non est ex parte rei significatæ, sed solum ex parte modi significandi. Tandem verbum est, quod secundum variationem temporis condistinguitur à præterito, & futuro, *fuit*, & *erit*,  
ex

ex se, & ex suo modo significandi, non minus restrictiuum est ad tempus presentis, limitando ad illud, quam sint restrictiua verba de preterito, aut futuro ad suas differentias, quia diuersitas illorum temporum mutua est, sed hoc non obstat in verbo de presenti, ut cum est copula inter terminos connexos essentialiter, totali limitatio, & restrictio se teneat ex parte modi significandi, & non transeat in rem significatam quoad unionem: ergo idem erit dicendum de copula, quae est de extrinseco tempore, nempe de preterito, aut de futuro.

3 Resp. non esse eandem rationem, quia verbum de extrinseco tempore, restringit etiam ex parte rei significatae, & quoad unionem extremam, & ideo non admittere absolute unionem a tempore: at verbum de presenti solum restringit quoad modum, & non ex parte unionis, aut rei significatae; & ideo cum connectio extremorum est essentialis absolute unum, & non absolute alterum.

4 Sed contra est. Tum, quod sicut verbum de preterito importat suam differentiam temporis, ita & verbum de presenti: ergo si in secundo casu absoluitur, ita in primo, & hoc negare videtur omnino voluntarie dictum. Tum etiam, si verbum de preterito importat preteritionem in esse, etiam ex parte rei significatae, & quoad unionem diceret imperfectionem ex parte rei significatae, nec posset dici absolute de

Deo, quia huiusmodi nomina non dicuntur de Deo absolute, ut docet D. Th. 1. p. q. 13. art. 2. at verbum fuit, & erit, dicitur de Deo absolute, ad significandam eius aeternitatem, & quomodo ambit omnem differentiam nostri temporis, & quomodo omnibus eius differentiis coexistit, ut docet D. Tho. 1. p. q. 10. art. 2. ad 4. ita taliter, quod non restringant illa verba Deum ad differentias temporis ex parte rei significatae; sed ita ut demonstrent Deum ratione suae aeternitatis habere superiorem durationem ad omne tempus: ergo *fuit, & erit* non dicunt tunc preteritionem, aut futuritionem essentialiter, & ex parte rei significatae. Et quod nostra sententia sit D. Th. sententis, quod verbum *fuit, vel erit* absolute a tempore cum dicitur de Deo (& idem est in alijs propositionibus essentialibus) demonstrant eius verba ibi ad 4. *Verba diuersorum temporum attribuntur Deo, in quantum eius aeternitas omnia tempora includit, non quod ipse varietur per praesens preteritum, & futurum.* Vbi clare vides, quod nullam ponit differentiam inter verba presentis, & futuri, aut preteriti, & quod cum istae differentiae attribuntur Deo non transeunt in rem significatam, & quod cum dicitur Deum fuisse, aut fore, semper Deum; non iudicat intellectus Deum astringi differentiis temporis nostri, quamuis ex modo concipiendi significetur eius esse sub his temporis differentiis, ut ibi docet D. Tho.

4 Si dicas ex doctrina M. Soti de ampliat. lect. 1. not. 4. & lect. 2. arg. 2. quod verbum *fuit* restringit extrema ex natura sua, & idem sonat dicere, *Adam fuit animal*, ac dicere *Adam fuit animal quod fuit*; ac perinde, hanc propositionem non esse essentialem, quia predicatum non attribuitur subiecto absolute, sed cum restrictione ad id quod fuit; ac perinde nec verbum *fuit* absoluitur a tempore: at verbum est dicit statum suppositionis; & ideo inter terminos essentialis non absoluitur, nec restringit.

5 Contra est, quod ex doctrina M. Soto ibidem hoc ipso, quod termini supponant naturaliter, fit statum suppositionis, ut accipiatur pro his omnibus, pro quibus terminus natus est accipi; ac perinde sine restrictione ad tempus ex parte rei significatae, ac proinde restrictio solum erit quoad modum significandi, non quoad rem significatam. Et ratio est, quia hoc ipso, quod termini supponant naturaliter est restrictio, & ampliatio improprie sub illis terminis: ad summum ergo saluatur quoad modum significandi.

6 Accedit ad haec omnia, quod veritas propositionis de praeterito, & futuro, regulatur per suam de inesse, sed Adam est animal, suo tempore erat aeterna veritatis: ergo & modo, cum dicitur, quod fuit animal; eadem enim est veritas, licet modo significandi importet diuersum tempus. Tum etiam bene valet: *homo est animal: ergo fuit animal,*

siquidem antecedens necessarium, non infert consequens contingens; ex vero enim semper verum, & non potest inferri falsum; posset autem, si ex vero necessario posset inferri consequens contingens: ergo etiam in consequente est aeterna veritas, & verbum a tempore absoluitur. Nec valet recursus ad restrictionem verbi *fuit*, quod restringit post se ad illud quod fuit; hoc enim proprie solum habet locum in materia contingenti, non autem in materia naturali, nisi tantum ex modo significandi.

*Soluuntur argumenta.*

7 Ex dictis nu. 5. constat praecipuum fundamentum oppositae sententiae: & responsio ad ipsum constat ex dictis nu. 6. nihilominus tamen arg. haec propositio *homo est animal praeteritum*, talis est, quod in ea non absoluitur verbum a tempore: ergo neque in ista *homo fuit animal*. Prob. consequentum, quia idem est utriusque sensus ex parte rei significatae. Tum, quia propositio de extrinseco tempore, potest reduci ad suam de inesse de tempore praesenti medio participio significante differentiam temporis extrinseci.

Resp. concesso antec. quia ibi signate, & ex parte rei significatae importatur accidens, & ideo ea propositio non est essentialis, & nego consequentem, quia in consequenti ponitur illud accidens temporis, non ex parte rei significatae, sed ex parte modi, & predicatum est absolute de essentia subiecti ex parte rei significatae.

Ad 2. prob. resp. quod ad hoc, quod propositio reducatur ad suam de inesse absolute; non debet poni participium significans accidens tēporis: sic enim sæpè variaretur veritas de naturali, & necessaria ad contingentem; cum tamen reductio ad suam de inesse non debeat variare veritatem. At vero ad hoc, quod veritas de extrinseco tempore referatur ad suam de inesse in tēpore præsentis ponitur illud participium: & tunc fit reflexio supra modum significandi, & sic omni modo fit veritas illa accidentalis, & cessat casus nostri dubij, quia nec propositio de extrinseco tempore, nec illa ad quam reducitur de intrinseco tempore est essentialis; & ideo non mirū, quod ibi verbum non absoluat a tempore.

Dub. 3. *An participium significet cum tempore?*

**C**onclusio est affirmatiua. Eā tuetur M. Soto cap. de nom. not. 3. lect. vnic. Huer. hic q. 16. a. 1. ad 3. citato M. Bañ. estque communis inter Thomistas, & merito, quia Arist. & D. Tho. 1. per. lect. 4. hac ratione addiderunt eam particulā, *est nota eorum, quæ prædicantur*, in diffinitione verbi, vt illud distinguereat à participio, quod existimant significare cum tempore: estque D. Tho. 1. p. q. 13. art. 1. & in 2. dist. 11. q. 1. art. 4. Et prob. à priori, secundū Arist. & D. Tho. significare cum tēpore nihil aliud est, quam significare a-

liquam actionem, vel passionē, aut aliquid ad modum actionis, vel passionis, vt est in fieri, & influxu, colligendo differentiam temporis; sed hoc habet participium, v. g. *amans*, significat enim actionē, vel passionem amandi, non minus quā *amo*, sub differentia temporis præsentis, & variatur secundū differentias tēporis præsentis, præteriti, & futuri, & variatur etiā secundū personā primā, & secundam, & tertiam, non minus, quam verbum: nihil ergo illi deficit, quia vere significet cum tēpore, licet non sit verbum, quia nō significat cum tempore vniuersè, sicut verbum, id est, non est nota, & signū eorum, quæ prædicantur.

2 Nec valet resp. quod illa particula *cum tempore* posita in diffinitione verbi, non conuenit participio, quia ibi est idem ac dicere cum tempore determinato: at participium non significat cum tempore determinato, quia ampliatur ad tēpus præteritum, vel futurum, dicendo, *Petrus fuit*, vel *Petrus erit amans*, cum tamen verbum non possit sic ampliari, sed determinetur ad vnā differentiam temporis. ¶ Nam contra arguit M. Soto, quod ly *amans* vbicumque ponatur semper ex se significat de præsentis, & verbū ampliandum extendit participium ad tempus, quod ex se importat, nēpè, quod erit, aut fuit præsens amor: ergo significatio sui temporis nunquam immutatur, etsi verbum quasi applicet præsens tempus participij ad id, quod erit, vel fuit, & hoc modo

modo etiam verbum potest ampliari dicendo, Petrus imaginatur, quod amat, aut possibiliter amat: ergo e-uasio data ruit. Quod autem verbū solum possit ampliari per possibile, aut imaginariū; participiū autem necdum per hæc, sed etiam per verbum præteriti, aut futuri parum cōducit ad hoc, quod participiū nō significet cum tempore determinato. Tum, quia etiam verbum sic potest ampliari, si dicas, erit quod Petrus amet. Et rursus, tempus fuit quo vere dixit Petr<sup>9</sup>, ego amo, & tēpus erit quo dicet ego amo (sed hæc quilibet quæ sunt.) Nam reuera, vt dicebat M. Soto, semper participiū de præsentī determinatè est de præsentī, & non de futuro, & participiū de futuro nunquam infert ex se tēpus præsens, aut præteritū, sed omnes illæ determinationses verbi ad iuncti referuntur, ad tempus imaginariū, vel possibile, & sic reuera nulla est differentia inter verbū, & participiū quoad hoc, quod est significare cum tempore determinato.

*Soluantur argumenta.*

3 Contra nostram conclusionē arg. 1. Participiū verè, & propriè est nomen, at de essentia, & definitione nominis est significare sine tēpore: ergo participiū non significat cum tempore. Consequentia videtur bona, quia significare cum tēpore, & sine tempore ex vi quiditatis videntur repugnare. Min. est certissima, & prob. mai. nam participiū non est verbum: ergo est no-

men. Prob. consequ. tum, quia terminus categorematicus adæquatè diuiditur in nomen, & verbum. Tum, quia propositio solum componitur nomine, & verbo tanquam copula, & extremis per se; at participiū est terminus categorematicus, & non est copula, & potest esse prædicatum, & extremum per se in propositione: est ergo verè, & propriè nomen, ac perinde significās sine tempore.

4 Resp. partes orationis esse nomen, pronomen, verbum, & participiū, ac perinde participiū cōdistingui à nomine, quia eo non possumus aliquid nominare, nec terminum categorematicum adæquatè diuidi in nomen, & verbum, quia etiam diuiditur in participiū: nec esse partē per se propositionis coincidere cum nomine, sed etiam hoc posse præstare verbum, siquidē potest esse prædicatum, vnde quia significat cum tempore participiū cōuenit cum verbo, & differt à nomine, vt ait D. Th. 1. per. lect. 4. differt autem à verbo per nō esse signum, seu notam eorum, quæ prædicatur, vt ibi docent Aristot. & D. Thom. lect. 5.

5 Sed contra instant; quod Aristot. 2. perh. lect. 1. enumerans partes orationis solum meminit nominis, & verbi: ergo participiū cum non sit verbum, erit nomen.

Resp. Arist. solum dixisse, quod oratio esse non potest sine nomine, & verbo, aut nomine infinito, & voluit indicare, quod sine his non est

oratio perfecta, non tamen negat, quod participium, quod vere non est nomen, possit esse prædicatum in oratione perfecta, aut concomitari nomen ex parte subiecti, ut cum dico, *Petrus ambulans mouetur.*

6 Secundo arg. si participium significaret cum tempore conueniret ei vltima differentia verbi; at hoc est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Mai. prob. quia ex quo verbum significat cum tempore, habet quasi secundario, & consequenti esse notam eorum, quæ prædicantur, ut ait D. Tho. 1. perh. lect. 5. circa finem: nam ex quo significat actionem, vel passionem, vel aliquid ad modum huius, significat cum tempore, & significat vniionem eius cum subiecto, at implicat alicui per se conuenire rationem primariam radicis, & non conuenire vltimam differentiam, & id quod se habet secundario, & ex consequenti ad talē rationem: ergo.

Resp. quod verbum significat actionem ut egredientem à subiecto non significando substantiam nisi ut à quo; & ideo non potest subijci, at participium significat substantiam, ut subest actioni, & ideo potest subijci. Et ratio est, quia participium est medium inter verbum, & nomē, & ideo participat de vtroque, et si sub diuerso modo, cum autem esse signum eorum, quæ prædicantur, non consequatur nisi ad significare cum tempore actionem, & passionē respicientem subiectum ut à quo fit, quod participium, et si significet cum

tempore, non habet, fit, quod non obtineat vltimam differentiam verbi. Nec obest verbum esse terminū connotatiuum, ac perinde significare etiam substantiam. Sufficit enim ad terminum connotatiuum, significare eam ut subiectum à quo egreditur actio, nec requiritur significare eam ut subest.

7 Tadem obijciunt. Ens est participium verbi substantiui *sum*; & tamen non potest significare cum tempore, siquidem significat essentiam, quæ temporis non subiaceret: ergo non omne participium significat cum tempore. ¶ Resp. idem posse dici de verbo *sum*, siquidem etiam significat primam actualitatem essendi, seu essentiam, quæ temporis non subiaceret, ut ait D. Tho. 1. perh. lect. 5. sicut ergo verbum *sum*, licet ex parte rei significata non significet cum tempore, tamen ex modo significandi significat cum tempore, quia ipsum esse significat per modum actionis; sic similiter dicendum est de participio *ens*. Ex quo apparet falsam esse aliorum solutionem, qui dicunt *ens* nominaliter sumptum non significare cum tempore, sed solum participialiter sumptum: nam sicut verbum *sum*, & significat actualitatem essentiam, & actualitatem existentiam, & sub vtralibet ratione est verbum, & significat cum tempore, sic sub vtralibet ratione habet *ens* pro participio, & perinde necesse est, quod *ens* sub vtraque significatione significet cum tempore: alioqui daretur aliquod participium non significans cum

cum tempore, & sic argumentū cō-  
uinceret intentum, vade illa distin-  
ctio de ente nominaliter, & partici-  
pialiter sumpto, optima est ad alias  
materias explicandas; ad præsentē  
verò prorsus inutilis, & superuaca-  
nea.

*Dub. 5. An illa particula, cuius nulla  
pars, sit rectè posita, & competat  
verbo adiectiuo?*

**P** Ræmitto ex grāmatica, quod  
datur verbum substantiuum,  
vt *sum*, dari etiam verba adiectiua,  
quæ significāt alias actualitates præ-  
ter esse, vt *amo*, *lego*. Suppono etiā,  
quod vt aliquis terminus sit comple-  
xus, & habeat partes per se significa-  
tiuas, non requiritur, quod eas ha-  
beat in voce; sed sufficit, quod in mē-  
te correspondeat duplex cōceptus;  
vnde & ait M. Soto cap. de term. cō-  
plexo, si hæc littera A. imponeretur  
ad significādum hominem album,  
absque dubio esset terminus com-  
plexus. Et quidem de verbo substan-  
tiuo tertio adiacēte, nemo dubitat,  
tam voce, quam etiam mente esse  
incomplexū: at de verbis adiectiuis  
dubitatur merito, quia adiectiua sē-  
per includunt, & connotant substan-  
tiam, ac perinde idem videtur esse  
dicere *amo*, ac *sum amans*, & *lego*,  
ac *sum legens*, ac perinde videtur,  
quod omni verbo adiectiuo corres-  
pondeat in mente duplex concep-  
tus; cū autē verbum adiectiuum ve-  
rè sit verbū, videtur, quod male po-

sita sit in diffinitione verbi illa parti-  
cula, *cuius nulla pars*, & hoc, quod di-  
ctum est de verbo adiectiuo, etiam  
dicunt aliqui de verbo substantiuo,  
cū est secundū adiacens, idē enim  
est apud illos dicere *Petrus est*, ac  
*Petrus est ens*; vnde reuera hi negāt  
verba adiectiua, seu substantiua de se-  
cundo adiacente esse vera verba in-  
mente, & solum hoc cōcedunt ver-  
bo substantiuo de tertio adiacente.

*Vnica conclusio.*

2 Dicendum nihilominus ver-  
ba adiectiua (& idem est de substan-  
tiuo, vt est secundum adiacens) ve-  
rè esse verba incomplexa. Sic M. So-  
to cap. de verb. lect. vnica not. 5. Ma-  
sius ibidem q. 4. Thom. Mercad. 2.  
lib. lum. c. 2. Bañ. cap. de nom. Huer-  
tos hic q. 16. art. 1. ad 2. & comuni-  
ter nostri Thomistæ. Et prob. tum,  
quia Arist. hic ponens exemplū ver-  
bi non habētis partes significatiuas  
assignauit pro exemplo verbum ad-  
iectiuū *valeo*, & in anteprædicamē-  
tis diuidens complexa ab incomple-  
xis apposuit pro exemplo incōple-  
xorū verbum adiectiuū *curro*: ergo  
ex mente Arist. dicēdū, quod verba  
adiectiua sunt incōplexa. Idem ha-  
bet D. Th. 1. perh. lec. 5. vbi condif-  
tinguit verbū contra omnē oratio-  
nē. Et quidē sētētia opposita habet  
cōtra se illud nō dissimulādū abtur-  
dū, quod tenetur negare in mēte da-  
ri verba adiectiua, & solū cōcedere  
vnicū verbū substantiuū, quod est cō-  
tra comunē sapientū conceptionē.

Y

Et

Et prob. quia sicut de ratione nominis est significare vnam simplicem notitiam, ita de ratione verbi est significare vnam simplicem actionem: ergo sicut nomen est omnino incomplexum, ita & verbum.

Præterea, simplex actio ut egrediens, & fluens, est significabilis vnicō conceptu, & vnicō nomine cum signatè concipitur, & significatur per nomen: ergo etiam est significabilis vnicō verbo adiectiuo; sed frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora: ergo frustra dicitur, quod in mente non est simplex verbum mentale *lego*; sed duplex, nē *pe sum legens*.

*Soluantur argumenta.*

3. Oppositum defendit Robertus Caubraith apud Huert. Ioan. Maior. cap. de verb. in sūmul. & nonnulli modernī sui temporis, apud Soto. At fundamentum initio propositū facile dissipatur, negando, quod in mente correspondeat isti voci *lego*, duplex conceptus, scilicet *sum legēs*.

Sed arguunt primo. Si verbum adiectiuum est in mente incomplexum, idem conceptus significaret aliquid, & aliquo modo; sed hæc sunt rationes oppositæ: ergo daretur æquiuocatio in mente: ergo ut hoc vitetur, concedenda est complexio mentalis in verbo adiectiuo. Mai. prob. quia verbum illud significaret actionem, & vnitivè; sed actio est aliquid, & modus valendi significatur aliquo modo: ergo. ¶ Conf. 1. quia in eo casu verbum vniret seipsum extre-

mis, vel saltim subiecto; at vnire non potest sese vnire, cū debeat supponere extrema vnibilia: ergo.

Conf. 2. quia in eo casu hæc propositio *Petrus amat* non posset conuertī, quia *ly amat* nequit esse subiectum, nec posset fieri descensus sub illo subiecto *amat*; sed hoc videtur falsum, cum sit propositio simplex affirmatiua, cui conuersio simplex cōpetit: ergo.

4. Ad hæc facile, & breuiter satisficit à M. Soto. Ad 1. negatur, quod verbum adiectiuum significet aliquid, & aliquo modo diuine, sed sicut album significat albedinem vnitivè subiecto, & vtrumque per modum vnius, sic verbum illud significat actionem vnitivam extremorum.

Ad 1. conf. resp. quod sicut forma accidentalis se vnit se ipsa subiecto, & materia formæ, sic verbum seipsum vnit extremis, estque ratio formalis vniōis extremorū. ¶ Ad 2. quod propositio de secundo adiacente, priusquā resoluitur, debet resolui per suum participium, & sic fiet descensus.

5. Arg. 2. Verbum adiectiuū (& idem est de substantiuo, cum est secundum adiacens) v.g. cum dico, *Petrus amat*, *Petrus est ens*, habet in mente necessario duplicem conceptum: ergo est quid complexum. Prob. ant. habet simul rationem copulæ, & predicati, at idē conceptus nequit subire hanc duplicem rationem, cum quælibet ex illis sit alteri relatiuè opposita: ergo habet duplicem conceptum in mente: sed hoc non aliter contin-

git, nisi quatenus correspondet in conceptu, *Petrus est amans, Petrus est ens; ergo.* ¶ Conf. idem conceptus nequit subire rationem subiecti, & copulæ: ergo neque prædicati simul, & copulæ.

6 Resp. quod sub diuersa ratione bene potest illud verbum subire rationem copulæ, & prædicati; copulæ quidem, quatenus coniungit actionem amandi, seu essendi subiecto, & prædicati quatenus eam significat, vt afficientem subiectum; (& dixi actionem essendi, secundum quod verbum substantiuum significat actualitatem essendi per modum actionis.) ¶ Ad conf. cōcesso ant. neg. conseq. disparitas est, quia subiectum se habet vt materia, copula vt forma, & idem nequit esse simul materia, & forma, at prædicatum est forma, & ideo copula optimè gerit vices prædicati.

7 Tandem arg. Hæc est bona conseq. *omnis logicus disputat, omnis logicus sedet: ergo sedens disputat; at in cōclusionē *sedens* subordinatur duplici conceptui, quia sedet idem est ac *ly est sedens*: ergo etiam in minori illud verbum adiectiuum subordinabatur duplici cōceptui. Probatur conseq. nam aliàs propositio mentalis posita in cōclusionē illius syllogismi constaret aliquo termino, quo non constabant præmissæ, quod est contra leges legitimi syllogismi, nec maior extremitas concluderetur de min. Sed *sedet* est verbum adiectiuum: ergo huic correspondet in mente duplex conceptus.* ¶ Cōf.

bene sequitur, legitur: ergo lectio fit: at in consequenti non debent esse plures termini, seu conceptus quàm in antecedenti: ergo. ¶ Resp. cum Huert. quod ad bonitatem illius cōseq. sufficit, quod verbum adiectiuum positum in antecedenti minori, sit æquiualeus suo participio, & resoluibile, & conuertibile, ex quo non infertur, quod tali verbo correspondeat in mente duplex cōceptus formaliter, sed sufficit, si virtualiter, & æquiualeenter correspondeat duplex ratione continentiæ, & æquiualentis participij: nec quia additur duplex conceptus in cōclusionē ex parte subiecti, viriatur syllogismus, quia vt sit bonus, sufficit, quod nihil contineatur in consequenti, quod non fuerit in antecedenti virtualiter; nō tamen requiritur, quod formaliter solum sit in consequenti, quod fuerit in antecedenti: nā connexio extremorum inter se erat solum virtualiter in ant. & tamen est formaliter tantum in conseq. ¶ Ad conf. poterat responderi ex dictis. Melius tamen dicitur eam nō esse consequentiam verè, & propriè, quia antecedens est vnicus simplex conceptus, consequens verò est vera oratio, & propositio.

*Dub. 6. Audentur verba infinita, quæ sint verè verba, & an verbum infinitum variari possit intra propositionem?*

1 Excitatur hoc dubium circa illam particulam finitam positam in definitione verbi; videtur enim, quod superfluat omnino, eo quod verbum

dati non possit, quod sit infinitum, nam vel verbum consideratur intra propositionem, vel extra, sed neutro modo potest infinitari: ergo. Prob. in. nam verbum intra propositionem infinitari nequit: at extra, verbum non habet rationem verbi, quia verba per se dicta nomina sunt, ut hic ait Arist. 1. per. lect. 5. non enim habet exercitium verbi, nisi quatenus potest esse copula verbalis, at sic illi repugnat infinitari: ergo illa particula *intra* redundat in definitione verbi, cum iam sit posita in definitione nominis, & nihil possit infinitari, nisi quod nomen est.

*Prima conclusio.*

2. Dicendum tamen, eam particulam *intra* recte poni in definitione verbi, quia extra propositionem dantur verba, quae quidem nec nomina sunt proprie, nec verba proprie, sed dicenda sunt verba infinita. Et quidem haec conclusio videtur expressa Aristot. 1. per. lect. 5. ubi haec habet. *Non currit autem, & non laborat verbum non dico, sed sit infinitum verbum, quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est.* Subiungit autem ibi, quod suo tempore nomen proprium non habebat. Et prob. ratione desumpta ex D. Thoma super haec verba. Huiusmodi dictio, v. g. *non valet*, in primis habet aliquas proprietates verbi, nempe significare cum tempore, & quod nulla pars sit significativa separata: nam verbum infinitum in hoc distinguitur a verbo negativo, secundum D. Tho. ibi, quia verbum, ut infinitum sumi-

tur in vi unius dictionis; ut negatum vero sumitur in vi duarum, quod & notat M. Soto cap. de verbo in ult. arg. debuit ergo poni aliqua particula, quae excluderetur a ratione verbi, cum non sit proprie verbum: quod probat D. Tho. Quia non significat aliquam actionem, vel passionem determinatam, sed actiorem, quam non actionem; non ergo est verbum proprie. Quod vero nec sit proprie nomen prob. quia significat cum tempore: nomen autem sine tempore. Nec obstat Arist. dixisse, quod *verba per se sumpta nomina sunt*: nam ut ibi expressè docet D. Thom. non sumptum sit Arist. nomen in stricta significatione, sed prout idem est ac simplex dictio, ac perinde tam verba finita, quam infinita solitarie prolata simplicis dictionis, seu termini rationem obtinent, non tamen rationem verbi, quia hanc fortiantur, quatenus intra propositionem unum de alio dicunt.

3. Ad argum. factum in principio resp. ex dictis, non addi superflue illam particulam *intra* in definitione verbi: quia etsi verbum infinitum, neque intra propositionem in actu secundo, neque extra illam in actu primo sit proprie verbum, tamen neque est proprie nomen, & alias habet convenientiam cum verbo in significare cum tempore, & quasi genere proximo convenit in hoc cum illo; ideoque debuit excludi per aliquam specialem particulam a ratione verbi, sicut hac etiam ratione posita est ab Arist. illa particula, *est*

signum eorum, quæ prædicantur, vt excluderet participium à ratione verbi. Sed præ oculis habendum (pro infra dicendis) quod verbum duo habet, & communem rationem termini, quatenus aliquid significat, & rationem verbi, quatenus copulat, & vnit; quod & notat D. Tho. eadē lect. 5. circa finem, vt terminus est, seu simplex dictio infinitari potest, vt copula est infinitari nequit, vt iam iam explico.

*Secunda conclusio.*

4. Verbum nequit infinitari intra propositionem, in qua exercet rationem copulæ. Hæc conclusio meo videri est expressa in Arist. 2. perhier. lect. 1. vbi ait. *Omnis affirmatio, & negatio* (id est omnis propositio affirmatiua, & negatiua) *vel ex nomine, & verbo, vel ex infinito nomine, & verbo* (absque namque verbo nulla est affirmatio sanè, neque vlla negatio.) Quæ verba sic explicat ibi Ang. Mag. *Ostendit, quod differentia enunciativum non potest sumi ex parte verbi; dictum est enim supra* (scilicet 1. perhier. lect. 8.) *quod præter verbum nulla est affirmatio, vel negatio. Potest enim præter nomen esse aliqua affirmatio, vel negatio, videlicet, si ponatur loco nominis infinitum nomen. Loca autem verbi in enunciatione non potest poni infinitum verbum. Ex quibus sic formo argumentum. Nulla est enunciatio, quæ non constet vero verbo (etsi possit non constare vero nomine) at verbum infinitum non est verè verbum ex mente Arist. ergo nullum verbum, quod habeat*

rationem verbi, & copulæ intra propositionem, potest infinitari in sententia Arist. ¶ Præterea, ipse hic docet, quod etsi propositio possit constare nomine infinito, ramen constare non potest verbo infinito: ergo verbū infinitari non posse intra propositionem est perspicua mens Arist. & Ang. Præcep. Vnde eos sequuntur antiquiores Albert. Magn. Boet. & alij antiquiores 1. perhier. c. 1. & 2. lib. c. 1. Sic etiam Neotherici Thomistæ communiter cum RR. M. Ioan. à S. Tho. hic q. 3. art. 2.

5. Et prob. duplici ratione adducta à D. Tho. 2. perhier. lect. 1. Nā negatio addita termino omnē eius significationem remouet, & modū significandi, quia negatio affixa termino ipsum destruit, & eius oppositum reddit; at verbum intra propositionem significat vnitivè, seu significat esse, vel actionem consignificādo esse ab aliquo: ergo negatio ipsi addita intra propositionem remouet esse, vel actionē ab aliquo, quū significat verbum; sed hoc est verbū accipi neganter: ergo non stat verbum intra propositionem infinitari. ¶ 2. Probat D. Tho. quantumvis velimus præscindere, apponendo negationē verbo, intra propositionem in nullo variatur propositio de verbo negato, & infinito; sicut variatur ea, quæ est de nomine negato & infinito; ideoque Arist. docuit non esse differentiam in propositione de verbo negato, & infinito: signum ergo est, quod quantumvis velimus apparenter fingere, quod verbum

dam intra propositionem possit infinitari, re tamen vera negatur: si autem posset verba intra propositionem, quandoque negari & quandoque infinitari, nec alio modo deberet variari propositio de verbo negato, & de verbo tantum infinitato, cum altera esset affirmatiua, altera vero tantum negatiua.

6 Sed dicunt, posse negationem ad li. verbo quoad significationem primariam, non quoad id, quod habet ex consequenti, nempe quoad significare. eo vero quoad vnire extremis. Sed contra est, quod remotaratio est primaria remoueri debet quidquid ad illam consequitur, vel eam comitatur, sicut remota ratione hominis remouetur risibilitas, & eius existentia, & quidquid consequitur ad rationem hominis, aut eam comitatur. Tum etiam, si negatio addita verbo intra propositionem negaret primariam significationem verbi, & non negaret rationem copulæ, sumeretur neganter, & infinitanter simul respectu eiusdem; at hoc est impossibile: ergo. Prob. min. nã eadem negatio neganter faceret vnum complexum cum verbo, at infinitanter faceret vnum incomplezum; sed implicat eundem terminum esse simul complexum, & incomplezum: ergo.

*Soluuntur argumenta.*

7 Oppositum defendunt M. Socio hic ad vlt. arg. Bañ. cap. 3. de verbo, Mercado ibidem, Masi<sup>o</sup> cap. de verbo quæst. vlt. Et prob. 1. quia Arist. 1. perh. lect. 3. docet, quod etiam

verbum infinitum significet cum tempore, & sit nota eorum, quæ prædicantur, non est verbum, quia tam dicitur de eo, quod est, quam de eo, quod non est; sed verbum infinitum, nec potest significare cum tempore, nisi in ordine ad propositionem; neque esse nota eorum, quæ prædicantur, neque dici tã de eo, quod est, quã de eo, quod non est, nisi intra propositionem: sentit ergo Arist. verbum intra propositionem infinitari posse. Prob. min. quoad 1. partem. Tũ, quia verbũ habet vnire ex eo, quod significat cum tempore, nam cum eatenus significet cum tempore, quatenus significat actionem, vt ab aliquo, & vt ad aliquem, eo ipso ac significat cum tempore, significat vniuiue, saltem in actu primo, ac perinde si infinitari potest quoad significare cum tempore in ordine ad propositionem infinitatur, in qua significat actionem, vel passionem, vt fluentem ab aliquo, vel ad aliquem. Cætera verò partes constant: quia esse notam eorum, quæ prædicantur, supponit exercitium vniendi, & actionem dici de aliquo, seu tam de eo quod est, quam de eo quod non est: copulatione ergo hæc omnia intra propositionem contingunt, & sic infinitabitur intra illam.

Conf. 1. Arist. 1. poster. facit hũc syllogismum, *Stelle non scintillant sunt propè nos: sed Planeta non scintillant: ergo sunt propè nos: sed consequentia esset mala, nisi min. esset affirmatiua de verbo infinitato, quia nequit esse conclusio affirmatiua, nisi*  
omnes

omnes præmissæ sint affirmatæ: ergo.

Conf. 2. Hæc est bona consequens. Petrus habet non currere: ergo Petrus non currit: ergo in consequens sumitur verbum infinitæter. Patet consequens. Tum quia argueretur a non distributo ad distributum. Tum quia daretur ant. verum, & consequens falsum, casu quo Petrus disputet, & currat; tunc enim Petrus habet disputare, quod est non currere; & tamen falsum est, quod non currat sumpto ly non neganter: ergo.

8 Resp. tamen. Verbum infinitum non esse verbum, quia non significat aliquid determinatum; nam eo ipso (cum significet cum tempore) non est nota eorum, quæ prædicantur; etsi etiam non sit verbum, quia non est nota, sed hæc est ratio. Ad arg. ergo neg. min. ad prob. quoad primam partem dist. significare cum tempore est in ordine ad propositionem, quando actio significata est determinata concedo, quando est indeterminata nego. Verbum autem infinitum, tam significat, quod est, quam quod non est; & ideo significare cum tempore in tali verbo non est in ordine ad propositionem. ¶ Ad 2. partem min. dico, quod verbum infinitum non est nota eorum, quæ prædicantur, sed potius ea particula excludit infinitum, quasi à posteriori à ratione verbi. Dici autem tamen de eo, quod est, quam de eo, quod non est, non arguit, quod hoc dicit vniuersale, sed dicit hoc significatiue, simplici significatione, sicut no-

me infinitum dicitur de eo quod est, & quod non est extra propositionem. Ad 1. conf. Resp. eam consequentiam esse vitiosam ob rationem propositam in argumento, & vitio translatorum sic proponi: vnde & debet formari, sicut format D. Th. 1. post. lect. 23. *omne non scintillans est prope: planeta sunt non scintillantes: ergo sunt prope.* ¶ Ad 2. dico, eam consequens esse malam ob rationem quam proponit argumentum. Vide RR. M. Ioan. à S. Th. q. 3. de term. art. 2. ad conf. 1. arg. & ad 2. vnde sumpta est responsio ad duas conf.

9 Sed contra solutionem ad probationem min. quoad primam partem insurgat: verbum infinitum significat cum tempore extra propositionem: ergo significat actionem illam ut potens eam representare incomplexè, & infinitæter intra propositionem: ergo intra illam, non minus quam extra, datur verbum infinitum. Prob. 1. consequens. nam cum terminus sit signum constitutum propositionis, & in ratione partis ponibilis in propositione, si verbum infinitum non posset componere propositionem, non haberet significationem partialem, neque esset terminus extra propositionem.


10 Resp. quod verbum infinitum extra propositionem non est proprie terminus immediatus quia sic non dicit immediatum ordinem ad propositionem, sed est omnino inutile ad artificium logicum; potest tamen mediate, & ratione participij componere, et sic mediate, &

ultimaliter est terminus. Si dicas, quod disionū videtur, quod si huic conceptui mentali, *non amat*, addatur conceptus Petri, non fiat propositio, sed tunc *non amat*, esset verè terminus, & copula propositionis: ergo.

Resp. satis rationabile fore, quod e ipso mutaretur conceptus ille in complexus de *non amat*, in complexam, & mutari infinitationem in negationem. Alioqui impossibile est coniungere in vnam propositionem illos duos conceptus incomplexos, quod satis patet ex dictis.

11 Et hæc de hoc libro ad laudem Dei Omnipotentis, & interreratae Virginis Deiparæ, & Beati Dominici Patris nostri, in cuius Festo his ultimū colophonem imposui, quo gratam memoriam recolimus mirabilis descensus Sacræ Imaginis de Soriano, quam dono Deiparæ suscepit Sacer Prædicatorum Ordo, vt & eius gratitudinem oppignoratam redderet, & specialem dilectionem suam erga Parentem nostrum obtestatam orbitoto commendaret.





# LIBER SECVNDVS


DISPV TATIONVM IN DIALECTICAM,  
quas nostri Conferentias communes, seu dia-  
rias exercitationes appellant.

*Prima pars secundi Libri Disputationum in  
Dialecticam.*


## TRACTATVS PRIMVS

De oratione, & modo sciendi, eiusque diuisione in diffini-  
tionem, diuisionem, & argumentationem.

### DISPV TATIO PRIMA.



De diffinitione orationis.



#### DVBIVM PRIMVM.

*An diffinitio orationis in communẽ reclẽ sit tradita, & quodnam  
eius diffinitum?*

**O**RATIO Sic diffini-  
tur: Est vox significati-  
ua ad placitum, cuius par-  
tes separatae aliquid sig-  
nificant. Hanc diffinitionẽ esse bonã  
probat D. Tho. i. per. lect. 6. quia cõ-

stat genere, & differentia (eomo-  
do quo diffinitiones accidentium  
his constant.) Nam per esse vocem sig-  
nificatiuam ad placitum, conuenit cũ  
nomine, & verbo, per habere partes  
significatiuas, differt ab illis. Hoc au-  
tem

tem sufficere ad explicandum quid sit orationis consistat: quia ad instrumenta logicalia, quæ continent aliquam compositionem, oratio est ratio generica, & sic est ratio cõmunis ad modum sciendi ad eius species, & ad propositionem; ac percõsequens, solum debuit poni id in quo cõuenit cum nomine, & verbo, & id in quo ab illis differt; non autem id in quo differt ab alijs instrumentis logicalibus compositis, quia ab illis non differt verè, & propriè, sed est ratio generica respectu illorum.

2 Aduertendum tamen cum D. Th. lect. 6. citata, quod vt sit oratio, necesse est, quod aliqua pars eius aliquid significet cathegorematicè, quia duo syncathegoremata, nõ cõstituent orationem, nec sensum causant in animo audientis: non tamen requiritur, quod vna pars sit verbũ; sed sufficit, quod sit nomen, vt cum dico *homo albus*. Nec sufficit, quod aliqua pars sit significatiua, si alia nõ sit significatiua; hæc enim nõ est oratio formalis, sed materialis, *bluyri est trisyllabum*, vt notat D. Th. sed eatenus docet Arist. quod partium orationis aliquid debet esse significatiuum, quatenus sufficit, quod vna pars sit cathegorema, etiam si altera sit syncathegorema significans aliquo modo, vt cum dico, *omnis homo*.

3 Secundo aduerto, quod partes orationis non debent esse necessario propositiones constantes affirmatione, & negatione: nam etsi

hæc possint componere orationem, vt patet in propositione hypothetica cuius genus est oratio, tamen saluatur proprius, & immediatus ratio orationis per hoc, quod eius partes sint simplices termini; vt nomen, & verbum; & in hoc sensu dixit Arist. 1. per. lect. 6. quod oratio est vox significatiua ad placitum, cuius partium aliqua significatiua est separata, vt dictio, s. d. non vt affirmatio, & negatio: nõ consistere his partibus simplicibus cõmune est orationi cathegorice, & hypotheticæ; & ideo cum hic definitur oratio in communi debere assignari partes communes utriusque, vt cum Amon. Alexand. & Porphyrius aduertit hic Ang. D.

4 Moneo etiam, non sufficere ad orationem plures voces synonymas, vt *Marcus Tullius Cicer*: quia, vt scitè aduertit hic M. Sorus, compositio, & pluralitas partium significatiuarum attendi debet penes cõplexionem conceptuum: in isto autem casu in conceptu nõ est pluralitas, & ideo illa synonyma non efficiunt orationem. Insuper requiritur, quod illæ partes significatiuæ fiat vnitæ, & ordinatæ: alioqui non erit oratio, vnde si dicam, *h. m. lapis* non est oratio: si autem dicam *homo iustus*, aut *homo dormit*, est oratio. Requiritur ergo ad orationem, quod vna pars determinet aliam, & alia determinetur, vt notat D. Tho. 1. per. lect. 8. quia oratio est quoddam totum (non quidem integrale) sed quasi essenziale; huiusmodi autem totum constat ex partibus, quarum

vna determinat, & se habet vt forma; altera vero determinatur, & se habet ad modum materiae: vna autem pars significatiua non determinat aliam, nec se habet, vt forma respectu illius, nisi vel sit adiectiuum respectu substantiu, vel praedicatum, aut copula respectu subiecti, & ideo non reperitur oratio, nisi constet adiectiuo, & substantiuo, vel constet nomine finito, vel infinito, & verbo. Caeterum non requiritur, quod verbum sit modum indicatiui, sed sufficit, quod sit subiunctiu, vel imperatiui, vt in praesenti adnotarunt M. Petrus Hispanus, & M. Soto, & alij Thomistae communiter.

5 Si inquiras. Quodnam sit definitum, in hac definitione orationis? Resp. consequenter ad dicta in logica, dum agerem de definito in definitione generis, & aliorum concretorum accidentalium secundo intentione aaliu, quod est secunda intentio orationis in concreto, ita vt esse vocem significatiuam ad placitum, cuius partes sunt significatiuae separatae, sit materiale; formale vero sit ipsa secunda intentio, vt inest tali materiali, de quo plura hic dicere non oportet, sed videnda sunt, quae dixi loco iam citato.

6 Si vltius inquiras. Per quid explicetur huiusmodi secunda intentio orationis in concreto, quam dixi esse definitum in hac definitione? Resp. explicari secundam istam intentionem per hoc, quod ordinando partes significatiuas constituat totum quoddam in linea intel-

ligibili per quod distinguitur a secunda intentione termini complexi. Ille enim, ordinat partes significatiuas ad propositionem, estque secunda intentio partis compositae; ac perinde de materiali, vt ita dicam. compositio nem; de formali dicit ordinabilitatem partis. At secunda intentio orationis per se solum dicit ordinatorem formae totalis inter has partes, ac perinde dicit formaliter formam totius factam ab intellectu, mediante earum ordinatione attendendo ad hoc, quod vna pars sit determinabilis, alia determinans, vt inde resultet totum, sicut ex materia, & forma, vel quali. Inde fit, quod secunda intentio termini complexi sit ab intellectu simpliciter apprehendente, quia ibi de materiali se habet compositio partium, cum sit de formali secunda intentio partis exigentis de materiali alias partes; at secunda intentio orationis sit per se, & formaliter respiciens partes, quia est intentio totius, & perinde fit ab intellectu componente. Vnde & D. Tho. 1. per lect. 6. sic ait: *Quia duplex est significatio vocis, vna quae refertur ad intellectum compositum, alia, quae refertur ad intellectum simplicem, prima significatio competit orationi, secunda non competit orationi, sed parti orationis, id est termino.*

Sentit ergo D. Tho. quod significatio super quam fabricat intellectus secundam intentionem orationis, pertinet ad intellectum compositum, cum tamen significatio supra quam fundatur secunda intentio

termini, referatur ad intellectū simplicem. Sed de his latius infra, dum disputauero, an diffinitio pertineat ad secundam operationem intellectus?

*Soluuntur argumenta.*

7 Solet hic moleste obijci contra diffinitionem orationis, quod quatenus verificatur de oratione imperfecta, competit alijs à diffinito, ac perinde, quod est mala, quia competit termino complexo, sed quia huic obiectioni, satisfeci agendo de termino ipso complexo, modo ab his temperandum, ne actum agam.

8 P. Peñafiel disp. 2. summul. q. 2. lect. 2. existimat orationis diffinitionem, quam Arist. tradidisse fateretur, neque esse essentialē, neque exactam, neque adæquatam. Tum, quia diffinitur per vocem, ac perinde non conuenit orationi mentali, quæ præcipua est inter orationes, & mensura quadam orationis vocalis, & scriptæ. Tum, quia etsi recte possit diffiniri mentalis per vocalē, incongruè tamen traditur diffinitio orationis per vocem: nam oratio non est vox, sed quid compositū ex vocibus: ergo malè diffinitur per vocem. Prob quia exercit⁹ est compositum quoddam ex hominibus ordinatis ad prælium, & domus composita ex parietibus malè diffiniretur exercitus, dicendo, quod est homo, & domus dicendo, quod est paries. Tum etiam, effectus non habet pro genere suæ diffinitionis propriam causam, sed voces significatiue sunt causa materialis orationis:

ergo oratio malè diffinitur per vocem significatiuam, tãquam per genus. Conseq. est bona. Min vera, & prob. mal. nam hac ratione malè diffiniretur homo per materiam, tãquam per genus.

8 Resp. (sicut dictum est explicando diffinitionem termini.) Quod oratio etiam mentalis diffinitur per vocem, tanquam per quid notius, quia cognita natura orationis vocalis, quæ nobis familiarior est, facillimè cognoscitur natura orationis mentalis, & scriptæ, mutando nomē vocis, in nomē notitiæ, aut scripturæ, & sic oportuit fieri, quia ordo doctrinæ postulat, vt à notioribus procedatur ad ignota, vt docet Arist. 1. phys. princ.

Ad 2. resp. ibi vocem sumi non pro quacumque voce, sed pro complexa, quod satis indicant vltima illa verba diffinitionis, cuius partes separate aliquid significant. Ac perinde optimè diffinitur oratio per vocē, etsi constet ex vocibus, quia diffinitur per vocem complexam, quæ constat ex vocibus incomplexis, vt indicant illa verba, quæ subiungit Arist. cuius partium aliqua est significatiua vt dictio non vt affirmatio: (& loquitur de oratione simplici, quæ prius habet rationem orationis; vt ait Porphir. apud D. Th. ibi lect. 6.) Nec illæ instantiæ aliquid suadent; quia non est homo complexus, nec paries, nec vsus huiusmodi nominum; ideoque diffiniri nequit exercitus, aut domus, dicendo, quod est homo, aut paries, & tamē diffi-

diffiniri potest, & debet oratio, dicēdo quæ dicit vox.

¶ Ultimum minus habet difficultatis: nam etsi effectus substantialis, nequeat diffiniri per materiam, tãquam per genus, quia materia non dicit substantiam totã rei, at forma accidentalis potest diffiniri per subiectum, tanquam per genus ( si illa forma significetur in concreto ) quia subiectum est à quo habet totum esse accidens, quæ doctrina receptissima est, & communis inter scholasticos desumpta ex Arist. & D. Tho. & cõmuni consensu scholasticorum, dum agunt de diffinitione concretorum accidentalium, vt ostendi in tract. de prædic. disp. 2. toto dub. 2. quare miror virũ solentem, & doctum in his hæsisse cõfundendo definita substantiaalia cum accidentalibus.

9. Secundo arg. P. Peñaf. (& quotquot existimant, quod voces expertes significationis sunt verè termini, & componunt orationem formalem) hæc est vera oratio: *bitryt non est secundo; sus*, & nihilominus eius partes separatae non significat: ergo mala est diffinitio orationis tradita ab Arist.

Resp. non esse orationem formalem (de qua hic agebat Philotoph<sup>o</sup>) sed esse materialem, de qua plura dixi disputans diffinitionem termini. Præterquamquod Arist. non dixit, quod omnes partes orationis debeant esse significatiuæ, sed quod partes, & hoc verificatur in illa ora-

tionem; vbi *ly non*, & *ly est* sunt partes significatiuæ. Præterquamquod Arist. secundum versionem argyropili solũ dixit *cuius partium aliqua separata significat*; & secundum antiquam translationem, *cuius partium aliquid significatiuum est separatum*; quæ verba licet nobis nõ obstat (ad dita explicatione quam ibi tradit D. Thom.) melius tamen fuisset vti diffinitione Arist. vt iacet, quã ipsum deferere, tam facili argumẽto, quo dato, non est aliqua repugnãtia in verbis Arist.

10. Tertio arguunt Platonici contra diffinitionem istam, & contra illam particulam *ad placitũ*. Oratio vocalis est instrumentum facultatis naturalis locutiue: ergo significat à natura; & nõ ad placitum; malè ergo diffinitur per significare ad placitum.

Si respondeas (cum Arist. cap. 1. perhierm. vbi diffinit nomen) orationem non esse instrumentũ naturale, facultatis naturalis ( hoc enim competit faucibus linguæ, dẽribus, & labijs) sed esse opus confectum ab his instrumentis naturalibus, & à facultate naturali loquendi diriguntur, & applicabuntur ab imaginatione, & ab arte loquendi existente in intellectu, ac perince significationem orationis non esse à natura, sed esse ad placitum.

Cõtra instãt Platonici. Quod intellectus, & imaginatio sũt sicut facultates naturales, guttur, lingua, dẽ-

res, & labia, sed opus confectum a facultate naturali per instrumenta naturalia est naturale; vt patet in alijs effectibus naturalibus: ergo significatio orationis erit naturalis.

Resp. facile, quod etsi imaginatio, & intellectus sint quid naturale, non tamen operantur vt natura, sed vt ratio cum orationis significationem instituant, neque lingua, & dentes, que entitatiue sunt aliquid naturale influunt, vt applicata naturaliter, sed artificialiter, ac perinde sicut scamus, etsi fiat a manu, & a dolabra, & ab intellectu, quæ sunt entitates naturales, non tamen est effectus naturalis, sed artificialis; sic similiter significatio orationis non est naturalis, sed ad placitum.

11 Tandem arg. ad probandum, quod hic nihil diffinitur: quia nec diffinitur oratio imperfecta, neque perfecta, neque vt abstrahit: ergo nihil diffinitur. Quod non imperfecta vt talis patet. Tum, quia hæc diffinitio competit orationi perfecta. Quod nec tantum oratio perfecta diffiniatur constat: quia hæc diffinitio verificatur de oratione imperfecta, & Arist. posuit exemplum in oratione imperfecta, nempe in diffinitione. Quod nec oratio vt sic diffinitur, probatur. Tum, quia sola species diffinibilis est; at oratio vt sic non est species, sed genus primum omnium instrumentorum logicalium, quæ subsunt modo sciendi: ergo. Tum, quia si diffiniretur oratio vt sic, eius diffinitio competeret omni orationi; at hæc diffinitio non competit o-

rationi compositæ, siue hypotheticæ: ergo. Prob. enim, quia Arist. dicit, quod partes significatiue per se, quibus constat oratio significant separatæ, vt simplex dictio, non vt affirmatio, seu enuntiatio: at partes orationis hypotheticæ, vt distinguitur a categorica, non sunt dictiones, seu simplices termini, sed sicut enuntiationes, vt patet in hac copulatiua, Petrus loquitur, & Paulus tacet: ergo.

12 Resp. hic diffiniri orationem vt sic, ad primam impugnationem dico, quod sola species potest proprie diffiniri metaphysicè: quia hæc sola constat genere, & differentia in sua linea recta, & intrinseca; at si diffinitum sit forma accidentalis in concreto; & diffinitio sit physica, nedum species; sed etiam supremum genus potest diffiniri, quia tunc subiectum ponitur loco generis, & ipsa forma loco differentia; vt dixi in prædic. log. disp. 2. dub. 2. Et sic etiam supremum genus potest diffiniri quiditatiue per genus, & differentiam.

Ad secundam prob. dixi in hoc dub. nu. 3. & videnda est duplex solutio, quam tradit D. Tho. 1. perh. lect. 6. Hæc omnia proposui argumenta, non quia in se difficilia sint, sed pro exercitio iuuenum.

Dub. 2. An diuisio orationis in perfectam, & imperfectam sit bona, & generis in suas species?

1 SVppositis diffinitionibus perfectæ, & imperfectæ orationis, de quibus

quibus egi in Dialectica parua, & videri potest D. Tho. 1. per. lect. 7. modo videndum, an bona sit hæc diuisio, & qualis? Et suppono, quod oratio diuisione accidentis in subiecta diuiditur, in mētalem, vocalem, & scriptam.

*Vntca conclusio.*

2. Hæc diuisio est bona, & essentialis, generis in species. Prima pars constat: quia membra diuidentia adæquant diuisum, & exhauriunt eius confusionem, cum nulla detur oratio, quæ non generet sensum perfectum, vel imperfectum, alioqui datur diuisio per rationes oppositas, & verificantur conditiones bonæ diuisiones, vt consideranti facile apparebit: est ergo diuisio hæc bona, & exacta.

3. Quod vero sit essentialis, & generis in species: Prob. breuiter. Illa est diuisio essentialis generis in species, in qua prædicata essentialiter superiora æqualiter participantur à membris diuidentibus, addēdo differentiam quādam intrinsecam, & essentialem supra talem rationē communem, sed totum hoc verificatur in præsentī: ergo hæc diuisio est essentialis generis in species. Probatur min. Ratio superior, & communis orationis, vt scilicet est, esse vocē complexam habentē partes significatiuas; sed hoc æqualiter participatur ab oratione perfecta, & imperfecta, & æqualiter, & essentialiter prædicatur de qualibet, quatenus est instrumentum cognoscitiuum. Insuper generare sensum perfectum,

& imperfectum sunt differentia quædam in linea instrumenti cognoscendi essentialis, superaddita quæ ad illam rationem communem: quia cū compositum cognoscitiuum per se ordinetur ad generandum, & exprimendum sensum aliquem, hoc ipso, quod perfecte, aut imperfecte per se hoc præter quodlibet ex his mēbris diuidentibus, apparet, quod addat differentiam essentialem supra communem rationem orationis vt sic. Quod ex solutione argumentorum clarius apparebit.

*Soluuntur argumenta.*

4. Contra primam partem conclus. arg. 1. Illa est mala diuisio, in qua membra diuidentia non exhauriunt totam confusionem diuisi, sed hoc cōtingit in præsentī: ergo. Prob. min. sub diuiso cōtinetur modus sciendi, qui tamen nō exprimitur per orationem perfectam, & imperfectam, cum quælibet ex his possit affici secunda intentione modi sciendi: ergo hæc membra diuidentia non exhauriunt totam confusionem diuisi. Prob. min. quoad primam partē, quia modus sciendi est verè oratio, siquidem difinitur per illam. Secunda vero pars iam est insinuata, quia modus sciendi indifferenter conuenit orationi perfectæ, & imperfectæ. ¶ Si dicas, quod modus sciendi continetur tantum materialiter sub oratione; & ideo in diuisione formalis, qualis est de qua nunc agimus, exprimi non debuit.

Contra est, quod continetur formaliter.

maliter: ergo. Prob. ant. nam oratio est vere ratio generica ad modum sciendi, & ad alia, quæ non sunt inodus sciendi, quales sunt orationes optatiui, & imperatiui: ergo modus sciendi formaliter continetur sub oratione vt sic, non minus, quàm oratio perfecta, vel imperfecta. Tū, quia de modo sciendi essentialiter predicatur, quod sit vox complexa significatiua ad placitum, habēs partes significatiuas separatas; alioquin non esset oratio ignoti manifestatiua artificiosè, nec posset esse definitio, diuisio, vel argumentatio: ergo formaliter continetur modus sciendi sub oratione vt sic. Prob. conseq. nam inferiora essentialiter formaliter continentur sub suo essentialiter superiori, quod essentialiter, & formaliter predicatur de illis.

5 Omīsis varijs solutionibus, quæ refutat Huert. hic q. 17. ar. vni eo. Resp. cum alijs, quod hæc diuisio optima est, quia sub ea ratione, qua oratio perfecta, & imperfecta diuidunt orationem vt sic, materialiter cōtinetur modus sciendi sub oratione vt sic. Ratio est, quia oratio perfecta, & imperfecta diuidunt orationē essentialiter in ordine ad generandum perfectum, vel imperfectum sensum in animo audientis, & sic diuidunt orationem in ordine ad intellectum audientis. At modus sciendi, & non modus sciendi, diuidunt essentialiter orationem, nō sub hac ratione, neque in ordine ad intellectum, in quo generandus est sensus, sed in ordine ad obiectū cog-

nosendum artificiosè, sub qua ratione materialiter continetur modus sciendi sub oratione vt sic, quatenus solum dicit generare sensū in animo audientis: oratio enim vt sic, gerit vices quasi duplicis generis sub diuersa ratione: est enim ratio generandi sensum, & cognoscendi ignotum; & ideo habet quasi duplicem essentialiter, duplicemque diuisionem essentialiter, & sub prima ratione diuiditur essentialiter adæquatè in orationem perfectam, & imperfectam, & sub secunda diuiditur adæquatè essentialiter in orationē innotescendi ignotum artificiosè, vel non artificiosè; & sic oratio perfecta, & imperfecta materialiter cōtinetur in oratione vt sic, quatenus ratio innotescendi ignotum, & modus sciendi, vel non modus sciendi materialiter continetur sub oratione, vt est ratio generandi sensum. Sicut ens sub ratione entis potest adæquatè diuidi per membra, quæ non exhauriant confensionem eius, quatenus est verum, & in quantum verum potest diuidi per aliqua, quæ non exhauriant confensionem eius, quatenus ens est, & sic quæ sunt in linea veri materialiter continentur sub ente diuisione entitatiua, & quæ diuidunt ens materialiter continentur sub ente, vt est diuisum in linea veri.

6 Sed contra est, quod et si hoc possit verificari, quando diuisiones sunt analogæ ( vt hic docet M. Bañ. ) tamen quando diuisiones sunt generis in species verificari nequit.

quit: quia nulla res est in duplici genere, sed in vno tantum, sicut habet vnam quidditatem, & non plures: ideoque animal v.g. non potest diuidi pluribus diuisionibus essentialibus, & si aliqua eius diuisio traderetur per membra, quæ non exhaurirent omnino eius confusionem, esset ea diuisio vitiosa: ergo.

Tum quia in hoc distinguitur ens per accidens ab ente per se, secundum rectam philosophiam, quod ens per se vnica tantum forma constituitur, ac perinde hæc nequit habere quasi duplicem essentiam, que diuidatur duplici diuisione essentiali disparata; at qui oratio, logicè sumpta, non est ens per accidens (cū gaudeat vnica definitione, ac perinde vnica quidditate, sed ens per se:) ergo non potest diuidi pluribus diuisionibus essentialibus.

7 Respond. tamen, quod etsi nulla res habeat duplicem essentiam adæquatam, potest tamen eius essentia integrari ex duplici ratione inadæquata, & mediante qualibet ratione diuidi in diuersa membra essentialiter, & hoc contingit maximè in linea entium accidentalium, quæ dicunt diuersos respectus, ex quibus integratur essentia, & sic lex diuiditur secundum diuersos respectus quadruplici diuisione essentiali, vt docet D. T. 1. 2. q. 93. 2. 4. Cū ergo oratio possit habere varios respectus iam explicatos, ex quibus integratur; optimè poterit diuidi duplici essentiali diuisione inadæquata in ordine ad essentiam orationis; adæ-

quata verò respectu rationis diuisa, quia oratio habeat plures essentias, vel sit ens per accidens, quia hoc coalescit ex pluribus essentijs adæquatis inordinatè concurrentibus. Quinimo & hoc potest contingere in linea substantiali, nam substantia diuiditur simul in corpoream, & incorpoream, in corruptibilem, & incorruptibilem; & incorruptibile est indifferens ad corpus, & spiritum, cõlum enim est incorruptibile: quia ea diuisio substantiæ fit secundum diuersam rationem inadæquatam.

8 Secundo arg. contra secundam partem cõclusionis, ex Mag. Bañez, intendente, quod hæc diuisio nõ est essentialis, sed tantum accidentalis, quia magis, & minus nõ variant speciem, nec sunt differentiæ essentialis, sed sunt differentiæ accidentales; at oratio perfecta, & imperfecta differunt penes magis, & minus perfectum sensum generare in animo audientis: ergo non differunt essentialiter, sed tantum accidentaliter in ratione orationis; ac perinde hæc diuisio nõ est essentialis, sed accidentalis. Mai. patet inductione, quia magis, & minus albu, magis, & minus intesum, nõ sunt differentiæ essentialis, sed accidentales: ergo. Min. videtur vera, & conseq. certa.

Si dicas, hoc esse verum, quando perfectum, & imperfectum, magis, & minus proueniunt ab eadem forma; secus verò quando à diuersa: nã virtus hac ratione diuiditur essentialiter in perfectum, & imperfectum, & similiter animal.

Sed contra est, quod etiam hic prouenit ab eadem forma facere perfectum, vel imperfectum sensum; nam forma orationis est esse vocem complexam habentem partes, & hoc semper saluatur, siue sit sensus perfectus, siue imperfectus.

Resp. tamen negando, quod proueniant ab eadem forma, causare sensum perfectum, vel imperfectum; nam etsi ratio generica sit eadem utrobique, tamen numquam est eadem forma specifica, quia non eisdem terminis constat oratio perfecta, & imperfecta; imperfecta enim non constat nomine, & verbo indicatiuo, sicut perfecta, ac perinde semper est diuersa forma; nam in oratione imperfecta forma determinans est adiectiuum, at in oratione perfecta forma determinans est verbum: non ergo est eadem forma specifica, & ideò ibi illud magis, & minus, illud perfectum, & imperfectum cauat differentiam essentialem, seruata unitate in ratione generica orationis ut sic; sicut imperfectio fidei, & perfectio luminis gloriæ; maiorque perfectio, & imperfectio in ratione cognitionis ibi cauat diuersitatem essentialem, quia est à diuersis formis; seruata tamen unitate generica notitiæ; idemque est in habitu, & dispositione, seruata tamen ratione generica qualitatis.

9. Poterat etiam tentari ad probandam, quod hæc diuisio est analogica, quia ratio orationis inæqualiter

reperitur in his membris diuidentibus; sed hoc est facile; nam definitio orationis æque bene saluatur in utroque; etsi inæqualitas sit in rationibus differentialibus, quoad generare sensum perfectum, vel imperfectum, quod non obstat, sed potius iuuat; nam seruata æqualitate in ratione superiori differentia essentialis potius debet esse inæquales, quia differentia sunt sicut numeri.



## DISPVATIO SECVNDA.

De modo sciendi, eiusque speciebus.

*Dubium primum. An definitio modi sciendi sit rectè tradita?*

1. **M**odus sciendi est oratio alicuius ignoti manifestatiua. Hanc definitionem esse bonam, constat, quia constat oratione tanquam genere, quod supra explicui dub. antec. Et probat latè Mag. Ioan. Martinezi de Prado lib. 2. Dialect. cap. 2. questione vnica. Constat etiam sua differentia, quatenus dicit esse ignoti manifestatiuam, non vtrumque, sed iuxta naturam diffiniti ordinando ad sciendum, seu ad doctrinam scientiæ; ac perinde artificiosè. Non enim intelligendæ sunt illæ particule ut iacent; sed iuxta subiectam

mate-

materiam ipsius modi sciendi diffinita. Nec debuit addi illa particula artificiosè in diffinitione, quia, vt olim optimè notauit Magnus Soto libro primo summul. cap. 2. lect. 1. notab. 2. *Non sunt huiusmodi noenijs intricandæ diffinitiones, ne illas monstruosas reddamus, quorundam more, qui tot particulas inculcât in diffinitione, quot sunt solutiones argumentorum.* Aliquid concedendum est ex positioni præceptoris, nec omnia suffarcinanda in diffinitionibus, quæ debent esse perquam breuissimæ vt memoriæ facilius hæreant.

2 Quod si attendisset P. Peñafiel disputatione vltima summularum quest. 1. num. 1. non contempisset diffinitionem traditam, ex quo quod hæc propositio, *Rex ambulauit hodie, est oratio ignoti manifestatiua, & tamen non est modus sciendi.* Soluitur namque eius obiectio dicendo, quod diffinitio tradita non debet intelligi, nisi de manifestatione artificiosa ordinata ad scientiam demonstratiuam acquirendam, quæ ratione est instrumentum logicæ, quæ quia ad hoc ordinatur dicitur modus sciendi ab Arist. secundo metaphisicæ text. 15. Nec idè debuit superaddi ly *artificiosè*, ne cõtra præcepta Magistri Soti, tot superaddantur particule diffinitioni, quot sunt solutiones argumentorum. Sicut eam compegit Peñafiel dicens: *Modus sciendi esse instrumentum artificioso logico compositum ad perfecte scientiam acquirendam.* Hæc enim est integra

responsio argumenti facti; non autem diffinitio quam Aristot. 1. Topic. cap. 4. & alibi sæpè vocauit *Terminus*: quia strictissimis verbis debet designare diffinitum, & quasi indiuisibilis debet esse; sed hi materiam fabricant, non definitionem, qualis est illa, quam nos cum Petro Hispano iam retulimus.

3 Adeundem lapidem impetit Pater Linceus lib. 7. dialect. tractatu 1. cap. 1. num. 1. dicens: *Modus sciendi, siue oratio manifestatiua, nihil aliud est, quam ea, quæ clarè exprimitur, & significatur, quod ante illam, vel nullo modo, vel certè obscure, tantum innotescerat.* Hæc enim paraphrasis potius dicenda est quam diffinitio, eum adè sit exporrecta, & diffusã; cum tamen vt dixi diffinitio limas, finis, & terminus vocetur.

Deinde pro eodem usurpat diffinitionem, & diffinitum, cum dicat, quod *modus sciendi, seu oratio manifestatiua, &c.* & diffinitionis legitimæ, & pulcherrimæ, ac breuissimæ concinatæ, vellit rursus diffinitionem nouam appingere. Et tandem sua diffinitione non consequitur intentum: nam ipse fatetur per suam diffinitionem exprimi quidquid quoquo modo est manifestatiuum ignoti, etiam si hoc non præstet scientifico modo: non ergo diffinitio modus sciendi sua diffinitione: siquidem hic modo scientifico tantum manifestat ignotum: ergo dum promittit tradere diffinitionem modi

sciendi, elucit sponsonem tradendo definitionem eius, quod non est modus sciendi. Ac per consequens cogitur concedere, quod modus sciendi non diuiditur adæquatè in definitionem, diuisionem, & argumentationem; sed vagatur per omnia, que aliqui manifestant. Cum tamen nihil certius sit, quàm quod modus sciendi, est modus adquirendi cognitionem scientificam, que his tribus instrumentis acquiritur, nempe definitione, diuisione, & argumentatione. Ergo quod non est modus adquirendi scientiam, non erit modus sciendi; sed ad summum modus cognoscendi ignotum. Sed Logica non tractat de modo cognoscendi utcumque ignota; sed solum cognoscendi scientificè ignota; est enim ipsa vera scientia, ut non dissetur ipse Pater Linceus. Ergo immerito agit modo de definitione modi utcumque cognoscendi, de qua hic non agitur, cum in fronte capitis, pollicetur, tradere definitionem modi sciendi.

*Soluantur argumenta.*

4. Primo solet obijci illud molestum argumentum, quod iam diu solui, tam in principio predicabilium, quam etiam agens de termino. Et formatur sic. *Definitio, & definitum debent adæquari, & conuerti; at definitio modi sciendi non conuertitur, & adæquatur cum modo sciendi, qui est definitum: ergo hæc definitio non est bona.* Prob. min. inferiorius non conuertitur cum suo super-

iori; at hæc definitio (cum sit quedam definitio particularis) est inferior ad modum sciendi: ergo. Prob. min. quia modus sciendi latius patet, quam definitio, tam in communi, quam in particulari considerata, siquidem modus sciendi diuiditur in definitionem, diuisionem, & argumentationem; at quod latius patet per modum diuisi est superius, & quodlibet membrum in quod diuiditur est inferius: ergo. ¶ Si dicas, quod definitio modi sciendi ut quod & denominatiue est inferior, at ut quo, & essentialiter considerata conuertitur cum modo sciendi.

Contra inturgunt. Nam hæc definitio essentialiter est inferior ad definitionem ut sic, cum sit indiuiduum definitionis; sed definitio ut sic est essentialiter inferior ad modum sciendi, cum sit quedam species eius: ergo definitio modi sciendi, nedum denominatiue, verum etiam essentialiter est inferior ad suum definitum, ac per consequens, nec potest conuerti cum illo. ¶ Dices hanc definitionem esse inferiore definitio, secundum intentionem definitionis, non vero ratione abstracti significati: quia de quocumque predicatur modus sciendi, predicatur, quod est oratio ignoti manifestatiua; & hoc sufficit ad verificandum, quod hæc definitio conuertitur cum definito; nec requiritur, quod ipsa secunda intentio conuertatur cum secunda intentione definiti; nam sic potius debet esse oppositio.

Sed contra est, quod hæc definitio

nitio etiam pro substracto est inferior essentialiter ad substractum definitionis vt sic, siquidem de his uerbis verificatur substractum definitionis, nempe, quod sit oratio naturam modi sciendi quiditatiuè explicans: ergo semper manet eadē difficultas, quod non possit conuerti cū suo diffinito.

5 Respōd. tamen, quod modus sciendi, & potest cōsiderari vt quo, id est vt est secunda intentio manifestatiua ignoti, & sic est genus ad definitionem, & non conuertitur cū illa; & potest considerari vt quod, id est, quatenus hoc ipsum est natura quædam explicabilis per definitionem, & sic est inferior ad definitionem vt sic; sicut vniuersale consideratum vt quo est superius ad genus, vt quod uero est species eius; attamen hoc habet sub diuersa ratione. Dicendū ergo, quod definitio modi sciendi, considerati vt quod, & in ratione definiti sic cōuertitur cum sua peculiari definitione; at considerato modo sciendi vt quo sic habet definitionem suam pro inferiori, & non conuertitur cum illa. Ad hoc autem, quod definitio modi sciendi sit bona, sufficit, quod conuertatur cum modo sciendi, vt definitum est; non autem requiritur, quod cum illo conuertatur vt quo, & vt modus sciendi est, seu vt est secunda intentio modi sciendi.

6 Arg. 2. Plures sunt orationes alicui⁹ ignoti manifestatiuè modo artificioso, quæ tamen non sunt modi sciendi: ergo definitio non est bo-

na, vt potè conueniens alijs à diffinito. Prob. ant. Exponentes manifestant exponibilem artificiosè, & tamen non sunt modus sciendi, cū nō sint in aliqua eius specie, quia nec sunt definitio, nec diuisio, nec argumentatio. Tum etiā, præmissæ consequentiæ topicè manifestant cōclusionem, & tamen non sunt modi sciendi cum non faciant scire.

Conf. Nam aliqua sunt modi sciendi, & tamen non manifestant ignotum: ergo. Prob. min. in hoc antecedenti, est homo: ergo animal rationale, est risibilis: ergo rationalis; ubi in primo casu consequens est definitio, ac perinde clarior diffinito, quod est antecedens: & in secundo casu essentia, quæ est consequens, est etiam ratio definiendi passionem.

Resp. tamen, quod exponentes sunt reductiuè in specie argumentationis respectu exponibilis, quia ex illis potest colligi exponibilis. Præmissæ autem topicè sunt etiam reductiuè in specie argumentationis, quia disponunt ad demonstrationē, vt in procem. dixi agendo de disputatione dialectica, & sic comprehenduntur sub hac definitione. ¶ Ad conf. resp. quod etsi homo nequeat manifestare animal in vī diffiniti; potest tamen illud manifestare in vī illationis, & argumenti, & idē sub hac ratione est modus sciendi, & licet passio nequeat manifestare definitionem essentiæ tanquam ignotū à priori; potest tamen manifestare faciendo illud sciri à posteriori, & hoc sufficit.

10 Poterat hic discutiri, an præmissæ, vt tales, sint modus sciendi; nam cum dictum sit agendo de tertia operatione, quod argumentatio consistit in antecedenti, simul & consequenti videtur, quod diffinitio modus sciendi, conueniat alijs à diffinitio, quia conuenit præmissis, quæ neque sunt argumentatio in hac hypothesis, neque diffinitio, aut diuisio.

Sed resp. quod præmissæ sunt argumentatio, saltem inadæquata, quatenus manifestant conclusionem, & hoc sufficit, vt diffinitio modi sciendi ex hoc capite non competat alijs à diffinitio; quauis posset dici, quod cum medium in potissima demonstratione sit diffinitio subiecti, vel passionis, & præmissæ ratione medijs, cum quibus connectuntur extrema manifestent conclusionem, saluatur, quod etsi præmissæ non sint argumentatio, tamen vt includunt diffinitionem, & ratione illius manifestant artificioso modo; & postea adiuncta conclusione formali per illam vt ex præmissis manifestatur conclusio obiectiua per modum sciendi, qui est argumentatio. Sed de hoc redibit sermo infra agendo, an conclusio sit de essentia syllogismi disp. 3. huius tract. dub. 3.

*Dub. 2. Vtrum diffinitio diffinitionis sit rectè tradita, & qualiter diffinitio, & diffinitum distinguantur?*

**D**iffinitio in communi, est oratio, naturam rei, aut termini significationem exponens. Hæc diffinitio

includit duas, alteram quid rei, alteram quid nominis, & de his in præsentiarum disputandū est. Diffinitio quid rei desumpta est ex Arist. 1. Topic. c. 4. vbi ait. *Diffinitionem esse orationem quandam, quod quid erat rei significauit*; quod repetit ibidem lib. 7. c. 2. addit etiam primo loco, *quod omnis diffinitio est oratio, sed non omnis oratio diffinitio*. Et cōtra aliquos, qui tenent, quod diffinitio non est oratio vt cumque imperfecta, sed perfecta, & quod non reperitur, nisi quatenus in aliqua propositione prædicatur de diffinitio, dicit 4. meth. tex. 28. *quod diffinitio ratio quadam est, quam nomen significat: non ergo requiritur verbum, sed sufficiunt nomina*. Et 1. perh. lec. 8. & 2. post. lect. 2. a. pertè docet, idque ibi restatur D. T. quod non requiritur verbum ad diffinitionem, ad hoc vt mediante illa cognoscatur diffinitū; sed sufficiunt nomina significantia rationem genericam, & differentialem rei. Habemus ergo ex Arist. quod diffinitio quid rei est oratio imperfecta, explicans rei quiditatem. Diffinitio vero quid nominis, vt est proposita traditur à D. Th. in 2. dist. 3. 2. q. 1. art. 2. ad 1. & q. 2. de verit. a. 1. in fine cor. & q. 3. art. 2. ad 4.

2. His positis facile prob. quod diffinitio diffinitionis sit rectè tradita, quia constat genere, & differentia, nempe orationis ratione in qua conuenit cum alijs instrumentis logicalibus, & propria differentia, nempe, quod sit manifestatiua quiditatis, si sit quid rei, aut significationis

minis, si sit quid nominis.

3 Si inquiras, quomodo diffinitio, & diffinitum distinguenda sint; nam diffinitio formalis, ut dicit voces, conceptus, aut scripta, certum est distingui re ipsa à diffinito, quod se tenet ex parte obiecti, imò est ipsa quiditas obiecti. De diffinitione autem, & de diffinito obiectiue sumptis, bifariam loqui possumus, aut sumendo diffinitionem, vel diffinitum pro secunda intentione diffinitionis, & diffiniti, & sic vna intentio dicit oppositionem relatiuam cum alia, & distinguitur ab illa entitatiue, entitate rationis: si autem diffinitio, & diffinitum obiectiue considerata sumantur pro obiectis, quæ subternuntur ipsis intentionibus, quas affixit intellectus ipsis obiectis, sic diffinitio, & diffinitum differunt virtualiter, seu ratione ratiocinata, quia hæc prædicatio homo est animal rationale, est formalis vniuersalis, & non identica, ac perinde debet intercedere distinctio, scilicet rationis ratiocinatae inter subiectum, & prædicatum.

4 Si autem inquiras, qua ratione possit ibi interuenire ea distinctio cum genus, & differentia simul sumpta pro substracto intentionū, nihil aliud sit quam species, seu natura specifica sumpta pro substracto, quæ est diffinitum. Vade & D. Th. in 1. dist. 25. q. 1. artic. 2. ad 2. docet, quod licet diffinitio, & diffinitum sumpta pro intentionibus diuersa sint, & partes diffinitionis distinguantur à diffinito, ac ex parte rei signifi-

catae sunt idem. Quod ratio suade- re videtur, nam totum, & partes simul sumptæ idem sunt absque vlla distinctione: sed diffinitio, & diffinitum nihil aliud sūt quam totum, & partes, simul sumptæ: ergo. Et tamen distinctio inter diffinitionem obiectiuam, & diffinitum, solum potest esse penes implicitum, & explicitum, cum nihil aliud cognoscatur per vnum, ac per aliud, nisi ex parte diuersimodi distincti, aut confusi, ac hoc nullam dicit præcisionem obiectiuam, vel dicatur à qua præscindat diffinitio, vel quid non includat obiectiue de diffinito: ergo nec est distinctio rationis ratiocinatae, quæ dicit præcisionem, seu exclusionem obiectiuam vnius conceptus obiectiui ab alia.

5 Sed tamen respondeo, D. Th. dixisse esse idem ex parte rei significatae identicae, licet ex parte intentionum nō sint idem entitatiue, nō tamen negasse, quod diffinitio, & diffinitum obiectiue distinguantur virtualiter; ea namque distinguuntur sic, quæ præbent fundamentum ad diuersos conceptus, & intentiones, sicut gradus specificus, & genericus: ac diffinitio obiectiua, & diffinitum præbent huiusmodi fundamentum, ut patet, & ratio totius ex se est distincta virtualiter à ratione partium simul sumptarum, sicut ratio principij, & finis est diuersa virtualiter in puncto, quia in ordine ad diuersa determinatur, nempe ut totum ad formam totalem, ut partes simul sumptæ tamquam ad materiam formæ totalis:

non est ergo eue diffinitio, quæ dicit partes simul sumptas, nempe genus, & differentiam, & diffinitum, quod dicit ipsum totum obiectiue, non distinguantur. Nec illud de explicito, & implicito vrget. solum distinguatur ratione ratiocinante: nam quando ratio confusa, & distincta solum oritur ex conditione potentie cognoscentis, perfecte, aut imperfecte, attingentis idem, tunc ex parte rei cognite solum arguitur distinctio rationis ratiocinatis, proueniens ex huiusmodi confusione, aut distinctione potentie; at cum confusio, aut distinctio prouenit ex ipse dispositione artificiosa obiecti, tunc arguitur distinctio nem virtualem, & rationis ratiocinatæ, quia obiectum cognitum sub ratione totius fundat conceptum confusum: at cum attingitur sub ratione partium, vt vnitatum, fundat conceptum clarum, quia via doctrina à principijs, & partibus sumitur: seu gignitur, & patitur cognitio totius; ac perinde dicendum est, quod diffinitio, & diffinitum obiectiue distinguuntur ratione ratiocinata, etiã pro substracto secundæ intentionis.

*Soluantur argumenta.*

6. Contra diffinitionem ergo diffinitionis, arg. 1. ad probandum, quod prædicta diffinitio, nec potest esse diffinitio, nec seruat conditiones requisitas ad bonam diffinitionem. Nam ratio diffinitionis, & diffiniti dicit mutua oppositionem: ergo non potest idem simul esse diffinitio sui, & diffinitum sue diffinitionis; at

hæc diffinitio cum sit omnis diffinitionis, est diffinitio sui: ergo eadem erit diffinitio, & diffinitum: ergo cum hoc nequeat esse, sequitur, quod vel hæc non sit diffinitio, vel non sit diffinitum: si primum, habemus intentum: si secundum, etiam habetur, quia quod non est diffinitum diffinitionis, non habet essentiam diffinitionis: ergo non est diffinitio. Quod verò hæc diffinitio non seruet leges bonæ diffinitionis, prob. quia diffinitio hæc est quædam particularis diffinitio; diffinitum verò est diffinitio vt sic: ergo non dicitur ad conuertentiam cum suo diffinito, quod est vnum ex requisitis bonæ diffinitionis. Prob. conseq. quia particularis non dicitur ad conuertentiam cum vniuersali, neque inferius cum suo superiori, nec Petrus cum homine.

7. Si dicas, quod diffinitio est sui ipsius diffinitio mediatè, non immediatè, quia immediatè diffinit rationem communem, quæ vt sic non inuenitur in hac particulari diffinitione, & sic non dicit conuertentiam sub ratione particulari, sed sub ratione communi; hoc autem non est absurdum, quod aliquid sit signum sui mediatè, vt patet in conceptu entis, vel in verbo mentis, quo omnis conceptus intelligitur, & sic etiam est reflexio sui mediatè. ¶ Contra est, tum, quod idem nequit esse causa sui realiter, etiam mediatè, vel ita vt ratio sub qua agit sit ratio communis ad se, & ad alia. Et ratio est, quia causa, & effectus dicunt relationem oppositam: sed etiã ratio diffinitionis opponit

ponitur cum ratione diffiniti: ergo idem non potest esse diffinitio sui, & simul diffinitum etiam mediatè. Tum etiã, diffinitio debet esse clarior, diffinitio etiam mediatè, quia rem exprimit in particulari, & non solum in conamuni; cum enim dico animal rationale de Petro, quidditas huius naturæ clarius explicatur, quam si diceretur, hic homo: ergo nequit esse diffinitum sui mediatè, alioqui idem esset clarius, & obscurius simul in seipso.

Resp. ergo, quod hæc diffinitio potest considerari formaliter, & denominatiuè: primo modo nõ est diffinitum, sed pura diffinitio, & sic conuertitur cum suo diffinito: secundo modo est diffinitum, & non dicitur ad conuertentiam, & hoc comune est in alijs secundis intentionib: nam quod est formaliter genus potest esse denominatiuè species, & in philosophicis, actio, quæ formaliter est ratio agendi effectum, potest etiam esse quasi denominatiuè effectus sui, & in qualibet ratione formali contingit, quæ est ratio sui, & cæterorũ, cum hac differentia, quod in formis realibus (excepta quantitate) nõ est forma effectus sui vt quod, sed vt quo, at in formis rationis vt quod potest esse effectus, & potest denominari à seipsa.

8. Secundo arg. Hæc diffinitio nõ traditur per proprium genus: ergo non est bona. Prob. ant. Traditur per orationem, sed hæc non est propriũ genus diffinitionis: ergo. Prob. min. diffinitio est oratio quatenus est

modus sciendi, sed vt sic proprium eius genus nõ est oratio: ergo. Prob. min. quod est sub aliquo tanquã sub proprio genere, debet determinatè contineri sub aliqua eius specie; at modus sciendi non cõtinetur determinatè sub aliqua determinata specie orationis, quia abstrahit à perfecta, & imperfecta: ergo diffinitio ratione modi sciendi nõ habet orationem pro proprio genere. ¶ Cõf. Bona diffinitio non debet dari per genus remotum, sed per proximũ, vt docet Arist. 7. Topic. c. 7. quod patet, quia genus remotũ cum sit multum indifferens, nõ ita notificat diffinitum, sicut proximum genus: sed oratio, dato quod sit genus, est remotum; modus autem sciendi est proximum, vt per se constat: ergo. Nec valet dicere, quod cum diffinitio sit pro formali accidens secundo intentionalis diffinitur per subiectũ tanquam per genus; & sic licet ponere rationem remotam subiecti, reliqua proxima. Nam contra est, tum, quod malè diffiniretur albũ per substantiam, quia est subiectum remotum, & optimè diffinitur per corpũ loco generis, quia ratio corporis est proximum susceptiuum albedinis, sed etiam ratio proximè susceptiuæ formæ diffinitionis, est ratio modi sciendi: ergo malè diffinitur per orationem loco generis positam.

Consi. nam eò in diffinitione metaphisica proprium genus debet esse proximum in diffinitione: quia est pars notificans diffinitũ, & ideo debet esse determinata, & non indif-

ferens, sed etiam ratio subiecti, posita loco generis in definitione physica accidentium, debet esse notificativa diffiniti: ergo debet poni pro genere ratio subiectiua, susceptiua proximæ formæ diffinitæ in cōcreto, & non ratio subiectiua remota.

9 Ad argum. resp. ex dictis disp. antec. quod modus sciendi respicit orationem, non sub ea ratione, qua diuiditur in orationem perfectam, vel imperfectam, sed sub ratione artificiables, ac perinde mediāte modo sciendi respicit diffinitio orationem, vt genus determinatum, non in linea orationis perfectæ, aut imperfectæ, sed in linea artificiosæ orationis. Vide dicta disp. ant. dub. 2. n. 5.

¶ Ad conf. resp. in ipsa diffinitione sub intelligi, quod sit oratio artificiosè exponens naturam diffiniti, & sic ingredi genus proximum: nam cum modus sciendi sit oratio artificialius manifestatiua artificiosè, hoc ipso, quod dicitur diffinitionem esse orationem, quæ exponit naturam rei, est idem ac dicere, quod est oratio naturæ rei manifestatiua; & sic oratio exponens ponitur loco generis, & natura rei loco differentię.

6 Tertio arg. Hæc diffinitio conuenit alijs à diffinito: conuenit enim diuisioni, quæ etiam naturam rei explicat: ergo non est bona.

Dices, quod diuisio explicat per partes potentiales, & diuisiue, at diffinitio per principia, & constitutiue, ac perinde non coincidunt diffinitio, & diuisio. ¶ Contra est tamen, quod non solum datur diffi-

nitio metaphysica, sed etiam physica, vt cum homo diffinitur per corp<sup>o</sup>, & animam: at tunc coincidunt diuisio, & diffinitio, & per easdem partes constitutiuas diffinitur, & diuiditur homo: ergo.

Resp. diuerso modo fieri diffinitionem, & diuisionem physicam. nā physica diffinitio fit per partes vt constitutiuas, & sic dicitur, quod homo constat corpore, & anima rationali. At diuisio fit per eas partes, nō vt constitutiuas, sed vt diuisiuas dicendo totius physici, quod est homo, alia pars corpus, alia anima, & hic diuersus modus ad diuersitatem vtriusque sufficit.

7 Quarto arg. Si diffinitio exponeret naturam rei, sicut vna est natura cuiuslibet diffiniti, ita etiam vna esset ei<sup>o</sup> diffinitio, at sunt plures diffinitiones, alia enim est physica, alia metaphysica, alia logica: ergo diffinitio non exponit naturam rei.

Resp. cum D. Tho. 1. 2. q. 55. art. 4. & in 1. dist. dist. 1. in exposit. lit. Et in 2. dist. 27. q. 1. artic. 2. ad 9. & 1. post. lect. 16. & 2. phys. lect. 5. & alibi pluries, quod vnius rei vna tantum datur diffinitio perfectissima, & adæquata, quæ est per omnes causas, at dari possunt plures in adæquate, & minus perfectæ per causā formalem, aut materialem.

Sed cōtra. Si ita est diffinitio, que non est per omnes causas, non erit adæquata diffinito: ergo nec conuertibilis: ergo nec bona diffinitio; at hæc nostra non procedit per omnes causas: ergo non est bona.

Resp.

Resp. quamlibet esse adequatā, & totā rei naturam explicare, sed non totaliter, sicut diffinitio perfectissima, ac perinde erit adequata ex parte rei, licet non ex parte rei, & modi, sed primum sufficit ad cōuertibilitatem; quia quælibet ex illis causis est totalis in suo genere adæquatione, & totalitate effectus, quia totum causat, etsi non adæquatione, & totalitate causæ.

*Dub. 3. An diffinitionis conditiones sint rectè assignatæ?*

**C**onclusio est affirmatiua. Pro cuius intelligentia appono tres conditiones bonæ diffinitionis, quas hic cap. 4. not. 2. assignat M. Soto. Prima est, quod bona diffinitio debet constare genere, & differentia. Secunda, quod debet esse clarior diffinito. Tertia, quod non debet esse redundans, nec diminuta. Prima prob. quia quælibet res diffinibilis habet aliquid commune cum alijs, & aliquid quo distinguitur: ergo ut exactè explicetur natura diffiniti, debet diffinitio constare genere, & differentia. Secunda prob. quia diffinitio est instrumentum ad cognoscendum naturam diffiniti artificiosè: ergo debet esse clarior illo. Tertia conditio patet: quia diffinitio exponit naturam rei per sua principia: ergo debet adæquari cum diffinito; alioquin explicabit minus, quam sit diffinitum, aut id, quod est de natura eius: ergo nec debet esse redundans, nec diminuta.

*Soluuntur argumenta.*

2 Arg. 1. Si omnis diffinitio deberet constare ex genere, & differentia, sola species posset diffiniri; ac hoc est falsum: ergo. Prob. min. quia suprema genera prædicamentorum suis gaudent diffinitionibus, & differentiæ, & individua diffiniuntur in prædicabilibus: ergo.

Resp. concessa sequela, quæ est Arist. & D. Tho. 5. metaph. lect. 4. in fine; & lib. 7. lect. 8. Ad probat. dico, quod suprema genera non diffiniuntur propriè, sed per circumlocutionem, & explicationem terminorum ea exponimus; differentia autem, & individua, quatenus in cōmuni concepta induunt denominationem speciei, diffiniuntur, & non aliter.

3 Secundo arg. contra secundam conditionem. Causa diffinitur per suum effectum diffinitione descriptiua, & effectus per causam diffinitione causali; sed idem nequit esse notius simul, & ignotius, etiam per diuersa media, alioquin posset haberi simul scientia, & opinio, vel fides de eodem obiecto: ergo diffinitio non est clarior diffinito. Prob. consequentia: nam cum effectus, & passio simul sit diffinitum, & diffinitio suæ causæ, seu essentiæ à qua dimanat, licet hoc contingat ratione diuersi medijs, seu diffinitionis, tamen verificaretur simul esse notius, & ignotius, quod videtur repugnans ob eandem rationem, ob quam nostri Thomistæ negant, scientiam, opinionem, & fidem posse simul cōpa-

ti erga idem obiectum, etiam per diuersa media.

Alia etiam via impetitur prædicta conditio, omnis diffinitio constat genere, & differentia: ergo non est clarior suo diffinito. Prob. conseq. nam genus, licet sit pars diffinitionis, tamen respectu rei diffinitæ est totum potentiale: quod patet, quia secundum Arist. tam diffinitio, quàm eius quælibet pars potest prædicari de diffinito, at non prædicatur vt pars, sed vt totum potentiale, & vt totum potentiale, genus est ignotior, quam diffinitum, quod est totum actuale: ergo saltem ratione generis est diffinitio ignotior diffinito; at differentia se ipsa non est notior, quam diffinitum, quia non explicat totum, quod est in diffinito, neq; illud notificat: ergo.

4 Resp. quod scientia à priori, & à posteriori non opponuntur priuatiuè: sicut scientia, & opinio, vel fides, sed opponuntur sicut magis, & minus clarum; & sic etsi idem nequeat simul sciri, & credi, aut opinari; etiam per diuersa media, potest tamen diffiniri, & demonstrari, ita vt secundum vnam rationem sit diffinitum descripiuè, vel demonstratum à posteriori, & sub alia esse diffinitionem sui effectus, vel proprietatis. Vnde de diffinitione dicitur, quod est clarior diffinito, nõ autem, quod est tota claritas diffiniti, quia diffinitum se ipso potest esse clarum, etsi non tam clare attingatur, sicut per diffinitionem in quantum alterum est diffinitum, alterum

diffinitio attendendo ad has formalitates. Vnde & potest dici, quod essentia quatenus est diffinitio proprietatis est clarior, & per accidens est, quod aliàs diffiniatur per passionem, & è contra; & tunc diffinitio notificat ex se clarius diffinitum, nisi aliàs impediatur, ex eo, quod diffinitum sub alia ratione demonstrat, seu diffinit suam diffinitionem.

Ad conf. resp. quod non dicitur in secunda conditione, quod quælibet pars diffinitionis ( siue sumatur vt pars metaphysica, siue vt totum potentiale, quod idem esse diximus in Log. tract. 2. disp. 2. dub. 3. ) sit clarior diffinito, sed quod tota diffinitio est clarior, quatenus genus notificat rationem communem; differentia vero rationem particularem, & vtraque pars simul totam naturam diffiniuit explicitè. Quod si gen<sup>o</sup> intrat ibi vt totum potentiale, totam suam potentialitatem exercet ratione differentia, quam non includit, nec explicat: differentia vero eatenus nõ explicat totam naturam diffiniti, quatenus non explicat rationem genericam; at genus, & differentia simul nihil obscurum relinquunt in diffinito, & sic tota diffinitio notior est suo diffinito.

5 Arg. 3. ad idem, vnum relatiuum diffinitur per aliud, & tamè illud aliud per quod diffinitur non est notius, quam id, quod diffinitur per illud cum relatiua sint simul natura, & cognitione: ergo.

Resp. ex dictis in Log. circa prædicam. relationis, quod vnum relatiuum

titum non diffinitur per aliud, nec tanquam per genus, nec tanquam per differentiam, sed diffinitur ad aliud, id est terminum; ac perinde nulla est conseq. quia nego suppositum, quod vnum relatiuum diffinitur per aliud, tanquam per diffinitionem, aut per partem diffinitionis.

6. Contra tertiam conditionem arguitur: de aliquo predicatur diffinitum, de quo non predicatur diffinitio: ergo non conuertuntur Prob. antec. de essentia diuina predicatur paternitas, & tamen non predicatur eius diffinitio, cum non se habeat essentia ad aliud, & similiter de essentia predicatur voluntas, & tamen non predicatur eius diffinitio, nempe esse id quo Deus vult: ergo.

Resp. 1. In Deo non esse veras diffinitiones vnius predicati, secundum quod ab alio distinguitur, & ideo non mirum, quod si nos fingimus distinctionem, & deinde ponimus diffinitiones denotantes eam distinctionem, quam ipsa predicata diffinita non habent non possit predicari de Deo diffinitio, etiam si predicetur diffinitum. At si daremus propriam diffinitionem constantem genere, & differentia, semper verifi caretur conuertentia. Vide Huer. hic q. 18. art. vi. ad 2.

7. Quod vero plures conditiones praeter has tres deberent assignari pro bona diffinitione, prob. In bona diffinitione non debet diffinitum intrare diffinitionem; nec debet esse negatoria, quia idem bis non debet poni in bona diffinitione; nec

debet dari circulus, quod vnum per aliud diffiniatur, & e contra eodem genere diffinitionis; & tamen haec omnia requisita desiderantur in legibus bonae diffinitionis: ergo diminuta sunt.

Resp. has conditiones satis esse insinuaras in tribus, iam de signatis; & ideo non debuisse superaddi: nam hoc ipso, quod diffinitio non fit redudans, nequit admittere duos primos defectus: & rursus satis cauetur dicendo, quod diffinitio constat ex genere, & differentia; quia sic non potest dari circulus.

Dub. 4. *Verum diffinitio pertineat ad secundam, vel ad primam operationem intellectus?*

1. **C**onclusio est affirmatiua. Et prob. ex D. Them. 1. perh. lect. 6. vbi ait (loquendo de oratione imperfecta in cuius linea est diffinitio.) *Quia duplex est significatio vocis; una quae refertur ad intellectum compositum; alia quae refertur ad intellectum simplicem; prima significatio competit orationi. At intellectus compositus est secunda operatio: ergo sentit etiam orationem perfectam spectare sub aliqua ratione ad secundam operationem: ergo quod diffinitio quae est oratio imperfecta. Si dicas, quod etiam in prima operatione datur quaedam imperfecta compositio. Contra est, quod D. T. 1. p. q. 85. ar. 5. in argumento *sed contra*, ex simplici, vel composita, vel argumentatiua significatione vocum colligit in mente esse simplicem apprehensionem,*

COM-

compositionem, & discursum: ergo cum D. Tho. ex significatione composita orationis imperfectæ docet referri ad intellectum compositum hoc debet intelligi de compositione secundæ operationis. Præterea: etsi aliqua compositio cōplexa spectet ad primam operationem, vt patet in termino complexo, tamē hec pertinet ad eam mere apprehensiuē, quia prima operatio adæquatē est apprehensio; at compositio bonæ definitionis non est apprehensiuā, sed artificiosa, & per modū generantis sensum in animo, vt infra expendemus: ergo ad primam operationem non pertinet; sed ad secundam.

2 Vltcrius prob. ex D. Th. 1. p. q. 17. art. 3. vbi circa finem corporis, ait. *Quod in intellectu cognoscen- te, quod quid est potest esse falsitas, quatenus ibi compositio intellectus admisce- tur; vno modo secundum quod intellec- tus definitionem vnius attribuit alteri; alio modo secundum quod partes defini- tionis componit ad inuicem, quæ simul sociari non possunt vt si formet sic. Animal rationale quadrupes falsus est in- tellectus sic definiendo, propterea, quod falsus est formando hanc compositionem aliquod animal rationale est quadrupes. Idemque fere repetit ibi q. 88. art. 3. sentit ergo, quod licet in attingē- do quidditates simpliciter nequeat esse falsitas, tamen in formando defini- tiones potest esse falsitas: quia ibi admisceatur compositio secundæ operationis, in qua est veritas, vel falsitas, quod autem ibi le-*

quatur de compositione secundæ operationis. Prob. tum, quia in eadem linea compositionem, quā tribuit quando intellectus applicat definitionem non definito dicit esse eam, qua malè compingit intellectus partes definitionis. Tum, quia docet ideo esse falsam eam compositionem, qua intellectus dicit animal rationale mortale, quia falsus est in formanda illa propositione aliquod animal rationale est quadrupes: certum autem est, quod prima operatio non sequitur ad secundam: ergo si constructio definitionis, sit ab intellectu quatenus præcedit cōpositio secundæ, medijs propositionibus singularibus, quibus peruenit ad constructionem definitionis alicuius naturæ in vniuersali, dicendum erit, quod ex mente D. Tho. definitio pertinet ad secundam operationem.

3 Nec inde sequitur, quod non detur definitio, quæ non sit propositio, sicut quidam dixere, quos refutat M. Ioan. à S. Th. hic q. 4. de term. art. 2. conc. 1. & ad 3. Hoc enim falsum est, & contra D. Tho. 1. per. lect. 8. & lect. 5. §. inducit, quod & ipse ibidem satis ostendit, sed nos dicimus ad secundam operationem, etiam pertinere eam cōpositionē, qua intellectus attingit, quod quid est artificiosè, & mediante definitione. Nec obstat, quod ibi non sit perfecta veritas, quia multæ sunt enuntiationes de optatiuo, aut imperatiuo, in quibus est compositio secundæ operationis, & tamen ibi, nec

nec est veritas, nec falsitas formalis. Cum ergo cum in constructione diffinitionis se admisceat intellectus componens; sequitur ibi esse secundam operationem, et si ibi non sit nisi in-  
 tiatiue veritas.

4. Prob. ratione. Prima operatio secundum se non est capax artificij; at diffinitio per se conficitur cum artificio quodam compositionis: ergo spectat ad secundam operationem. Mai. videtur certa, quia in prima operatione, aut totum intelligitur, aut nihil, vt ait D. Tho. 1. p. q. 17. artic. 3. & 3. de anima lect. 11. Min. vero prob. Tum ex D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 1. ad 2. vbi diffinitionem vocat, artefactum rationis circa indiuiduum intelligentiam. Tum ex Arist. & D. Tho. 1. de anima lect. 2. & 2. poster. fere per totum, vbi artem tradit ad inueniendam diffinitionem, quæ multum habet difficultatis, & docet aliter diffinire logicum, aliter physicum, aliter alias scientias, imò ex modo diffiniendi venatur D. Tho. specificationem, & abstractionem scientiarum, vt suo loco dixi in posterioribus: ergo diffinitio per se exigit artificium, & per se est artefactum quodam intellectus. Tum etiam, sicut demonstratio naturaliter non acquiritur, ita neque modus rectè diffiniendi, diuidendi, & argumentandi; ideoque vt suo loco dixi in Procem. Log. dub. 8. Logica est ars simpliciter necessaria: ergo compositio diffinitionis non attingitur naturaliter, sed artificiosè: & ideo per se requiritur ad illam ars: ergo.

Conseq. vero prob. tum ex dictis: tum, quia in prima operatione non est per se artificium, sed cognitio mere naturalis.

*Soluuntur argumenta.*

5. Primo potest obijci ex varijs locis D. Tho. & primo ex his, quæ docet 1. p. q. 17. art. 3. quod fere repetit in pluribus locis citatis in contextibus, vbi ait. *Quod falsitas tantum per accidens est in operatione intellectus, quæ cognoscit quod quid est in quantum ibi admisceatur compositio intellectus. Quod potest esse dupliciter, vno modo secundum quod intellectus diffinitione vnus alteri tribuit: alio modo secundum quod partes diffinitionis componit ad inuicem, &c.* Sed quod quid est attingitur media diffinitione: ergo hæc pertinet ad primam operationem. Sed tamen hæc authoritas (nisi multum fallor) pro mea sententia stat, ideoque ea confirmaui meam conclusionem. D. Tho. namque dicit, quod in attingendo quod quid est nulla est falsitas, & quod hoc pertinet ad primam operationem, quod non nego: at tamen addo, quod si admisceatur compositio attributionis diffinitionis ad subiectum, iam intrat secunda operatio, & sic illa attributio spectat ad secundam, similiter docet, quod est falsitas in compositione partium diffinitionis inter se si non bene attribuuntur: ibi ergo non est prima operatio, sed admisceatur secunda, quatenus fit compositio partium diffinitionis inter se; attingere ergo quidditatem simpliciter

ter spectat ad primam: si autem fiat hæc attingentia componendo partes diffinitionis, vel attribuendo diffinito, quod reuera non est tale: iã intrat secunda: nusquam autem est diffinitio, nisi sit hæc attributio partium: ergo diffinitio semper fit ex admixtione secundæ operationis; ab ea ergo fit, sicut cum attingitur, quod quid est, attribuendo illud diffinito (quidquid dicat Caiet. in cõmentario huius artic. quod per primam operationem, & fit diffinitio, & attribuitur rei diffinitæ.) Et sic per accidens accidit falsitas in prima operatione intelligente, quod quid est, id est, per aliud, seu per secundam operationem.

6 Secundo arg. ex eodem D. T. quod lib. 5. art. 9. (& idem fere docet 1. 2. q. 90. artic. 1. ad 2.) & est replica: nã ait D. Th. *Est autem duplex operatio intellectus secundum Phyls. 3. de anima text. 21. una quæ vocatur in diuisibilibus intelligentia, per quam intellectus format in se ipso diffinitionem, vel conceptum alicuius incomplexi: alia autem est operatio intellectus componentis, &c.* Et eidem tribuit D. Th. hoc operatum diffinitionis: loco 1. 2. Sentit ergo quod hoc artefactum diffinitionis spectat ad primam operationem intellectus, quæ est in diuisibilibus intelligentia, prout distinguitur à secunda, quæ est cõpositio, seu diuisio.

Resp. tamen, ibi non loquitur D. T. de diffinitione secundum quod est operatum artefactum rationis, sed secundum quod est operatum, seu

verbum, de quo ibi erat sermõ, & inquirebatur, vtrum verbum cordis sit species impressa, & respondet D. Tho. esse quid expressum, & operatum ab intellectu. Et docet, quod intellectus per primam operationem format diffinitionem; non quidẽ assumendo nomen diffinitionis, pro artefacto logico, de quo nunc loquimur, & sic vocat diffinitionem lato vocabulo conceptum, seu verbum, quod format intellectus de essentia simplici. In eodem sensu, in quo dixit Clemens Alexand. lib. 8. formatum. *Eius autem, quod animo cogitatur explicatio est diffinitio.* Quod mihi persuadeo, quia dicit per quam format intellectus diffinitionem, vel conceptum alicuius incomplexum. Pro eodem ergo accipit D. Tho. formationem diffinitionis, & verbum mentis in complexum: at verbum incomplexum, non est diffinitio artificiosa, sed conceptus quidditatis: ergo. Tum, quia subiungit: *Vtrumque istorum per operationem intellectus constitutum, vocatur verbum cordis, quorum primum significatur per terminum incomplexum, secundum vero significatur per orationem.* Sentit ergo, quod verbum primæ operationis est incomplexum, & quod oratio est secundæ operationis: ergo quando dixit per primam operationem formari diffinitionem, non intellexit eam, quæ est oratio: hanc enim attribuit secundæ operationi, sed quatenus res diffinita vocatur diffinitio causaliter, aut obiectiuè.

7 Nec obest, quod D. Tho. 1. 2. q. 90.

¶ 90. art. 1. ad 2. dixerit, quod in specu-  
latiua ratione; primo quidem est diffini-  
tio, secundo enuntiatio, tertio syllogismus  
per modum operati. Vbi videtur, quod  
eo ordine quo dantur tres operatio-  
nes, enumeret huiusmodi artefacta,  
& diffinitionem tribuat D. Th. pri-  
mæ operationi, secundæ enuntiatio-  
nem, tertiæ syllogismum.

¶ Sed tamen hoc absque so-  
lido fundamento, in D. Thom. di-  
citur, quia ibi D. Thom. hoc non di-  
xit, nec enumerat ordinem actuum,  
sed ordinem operatorum, ita vt dif-  
finitio, & enuntiatio pertineat ad se-  
cundam, & syllogismus ad tertiam: nam  
in prima operatione non sunt ope-  
rata artificiosa huiusmodi: nam etsi  
sit artificium termini complexi: vt  
tale non est modus sciendi, & de hoc  
artificio loquimur.

8 Sed contra hoc est, quod D.  
Tho. in 1. dist. 19. q. 5. art. 1. ad 7. ait,  
quod veritas, & falsitas proprie inueni-  
tur in secunda operatione, & in signo e-  
ius quod est enuntiatio, & non in prima,  
vel in signo eius quod est diffinitio. Sen-  
tit ergo, quod sicut enuntiatio est sig-  
num secundæ operationis; ita & dif-  
finitio est signum primæ, & quod si-  
cut enuntiatio, quia est signum secu-  
dæ operationis pertinet ad illam: sic  
etiam diffinitio pertinet ad primam,  
quia est signum eius. ¶ Resp. ta-  
men, diffinitionem dico signum pri-  
mæ operationis quantum ad rem sig-  
nificatam, seu explicatam, quia sim-  
pliciter essentiam explicat, at quantum  
ad modum significandi, non est sim-  
plex, sed composita, & complexa

per modum orationis, & ideo non ad  
primam, sed ad secundam spectat.  
Vel dic, quod spectat ad primam, in  
quantum est terminus complexus,  
non in quantum est oratio.

9 Secundo arg. potest: si ab ali-  
quam rationem diffinitio spectaret  
ad secundam operationem, maxi-  
mè, quia habet compositionem, &  
attributionem suarum partium ad  
in vicem, sed hæc ratio est nulla: er-  
go. Prob. min. diffinitio est terminus  
complexus, & vt talis spectat ad pri-  
mam operationem, & habet com-  
plexionem, & compositionem: ergo  
compositio diffinitionis non ar-  
guit esse opus secundæ operatio-  
nis.

Resp. quod diffinitio in quantum  
terminus complexus habet partes  
materialiter, quia reuera vt pars in-  
duit denominationem termini com-  
plexi: at diffinitio vt oratio formaliter  
constat partibus, quia sic habet  
intentionem totius, & sic formaliter  
est opus secundæ operationis, &  
hac data distinctione de diffinitio-  
ne considerata in ratione termini com-  
plexi, & partis, vel considerata in ra-  
tione orationis, & totius, possunt ex-  
plicari testimonia D. Tho. dicendo,  
quod cum D. Tho. insinuat diffini-  
tionem spectare ad primam opera-  
tionem, debet intelligi de diffinitione  
in ratione termini complexi, at cum  
eam considerat, vt oratio sic est sig-  
num operationis compositæ, &  
quia sic loquebatur de oratione im-  
perfecta, i. per h. lect. 6. ideo dixit o-  
rationem omnem imperfectam,

esse signū intellectus cōpositi. Nec est nouum, quod idē materiale sub diuersa consideratione pertineat ad diuersas operationes intellectus: nā propositio hypothetica sub ratione talis spectat ad secundam operationem, & sub ratione syllogismi, seu discursus potest pertinere ad tertiam.

10 Tertio arg. Diffinitio significat vnum aliquid simplex, quidditatem scilicet, at quidditas simplex ad primam spectat operationē: ergo. ¶ Conf. 1. Diffinitio nō habet veritatem, vel falsitatem: hæc enim dicitur bona, vel mala, non vera, vel falsa, nisi per accidens: vt docet D. Tho. loco citato ex sent. ergo non spectat ad secundam operationem, in qua est veritas, vel falsitas.


Resp. tamē, quod diffinitio cum sit formaliter oratio, non significat vnum quidd; sed significat essentiam duplici conceptu, generis scilicet, & differentia. Vel si significat vnam quidditatē, & non significat eam vt quid simplex, sed vt cōpositam ex genere, & differentia; & ideo saltem ex parte modi significat cū cōpositione, & cum hæc non sit per modum termini, nec apprehēsiue, sed per modum totius, & artificiosè spectat ad secundam operationem intellectus. ¶ Ad conf. resp. quod etsi diffinitio non sit formaliter vera, vel falsa, sed bona, vel mala, hoc tamen nō impedit, quod ad secundam operationem pertineat: nam oratio imperatiua, & subiunctiua non habet veritatem speculati-

uam, & tamen spectat ad secundam operationem, ad quam non requiritur, quod in quolibet actu exerceat veritatem formalem, sed sufficit, quod in actu perfectio, hoc obtineat.

Dub. 5. *An diffinitio diuisionis sit re-  
cte tradita?*

1 **C**onclusio est affirmatiua. Nā diffinitio diuisionis est hæc; est oratio rem per suas partes, aut terminum per suas significationes distribuens; & sensus est: quod est oratio manifestans rem per suas partes, aut terminum per suas significationes, & sic miro artificio, & diffinitur diuisionis natura, & simul diuiditur. Quod ideo fit, quia nomen diuisionis sicut & diffinitio, quasi æquiuocum est ad diuisionem quid rei, & quid nominis; æquiuoca autem iuxta præscriptum Aristotelis prius diuidenda sunt, quam diffinienda, vel simul debet vtrumque fieri, & ideo dixi, quod miro artificio simul diffinitur, & diuiditur diuisio à M. Soto. Esse exactam constat, quia constat genere, nempe oratione, & differentia; manifestat enim ignotum, & facit sensum in animo audientis, manifestando diuisionem per suas partes artificioso modo.

2 Quæ contra istam conclusionem obijci possent enodata sunt ex  
superius dictis agendo de  
diffinitione.



*Dub. 6. An conditiones bonæ diuisionis sint rectè assignatæ?*

1 **L**Eges bonæ diuisionis ad tres reductas, sic præscribit in præfenti M. Soto. Prima est, singula mēbra diuidētia sunt inferiora diuiso. Secunda, omnia simul sumpta exhauriunt confussionem diuisi. Tertia, membra diuidētia sunt inter se opposita suis rationibus formalib<sup>9</sup>. Has conditiones esse rectè assignatas constabit ex solutionibus argumentorum.

*Soluuntur argumenta.*

2 Arg. 1. hæc est bona diuisio: corporum aliud sensibile, aliud insensibile, & tamen secundum mēbrū, nec est inferius ad diuisum, nec coniunctum ex utroque membro conuertitur cum diuiso: ergo prima cōditio bonæ diuisionis perperam traditur. Min. prob. quia Angelus est insensibilis, & tamen non est inferior ad corpus, cum sit incorporeus, ac perinde sensibile, & insensibile ex hoc capite, non conuertuntur, cum corpore: ergo. ¶ Resp. ex M. Soto, quod hæc conditio supponit, quod utrumque membrorum diuidētia debet includere diuisum; cum autem Angelus non includat corpus, non potest contineri sub insensibili, quod diuidit corpus, ac perinde non currit argumentum. Sed contra est, quod rationale, & irrationale diuidunt animal; est enim illa diuisio generis in suas differentias;

& tamen membra diuidētia non includunt genus, quia differentia est extra conceptum generis, & genus extra conceptum differentiarū. Alioquin nō esset distincta diuisio, quæ fit per differentias, ac illa, quæ est generis in suas species. Et tūc instauratur argumentum: nam Angel<sup>9</sup> rationalis creatura est, & tamē non est inferius ad animal, neque hoc diuisum rationale, vel irrationale conuertitur cū diuiso, quod est animal, neque Angelus includit vitam sensibilem: ergo solutio ruit. ¶ Sed resp. facile; quod genus non diuiditur in suas differentias, sed in suas species per differentias, vt docet D. T. 3. met. lect. 4. & 10. met. lect. 5. nisi sumas rationale, & irrationale, quatenus in concreto includit animal, & tunc (licet in confuso) dicunt animal. Quæ solutio desumitur ex Boetio cap. de differentia, estque cōtra P. Arriaga disp. 3. Sūmul. lect. 2. quamuis nobiscum consentiant Fōseca lib. 4. inst. Dialect. cap. 8. Frac. Alp. Huert. recitati à P. Lineco lib. 7. Dialect. tract. 2. cap. 1. nu. 11. Unde Angelus non intrat in illa diuisione, quia non participat animalitatem.

3 Arg. 2. contra secundā cōditionē. Si omnia membra diuidētia exhaurirent totam confussionē diuisi, nihil contineretur determinatè in diuiso, quod non contineatur sub membris diuidētia determinatè, sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. Sapientia continetur sub ente, & tamen non continetur deter-

minate, sub ente creato, aut increa-  
to: ergo.

Dices, quod sapientia contine-  
tur sub ente, tanquam sub diuiso a-  
nalogo, non autem tanquam sub di-  
uiso vniuoco, de quo tantum verifi-  
catur prædicta conditio.

Sed contra est, quod  
eo assignatur illa conditio pro  
diuisione vniuoca, quia est ade-  
quata (si enim non esset adæquata;  
iam diximus supra agentes de diui-  
sione orationis, & dicemus infra du-  
bio seq. posse aliquid contineri sub  
diuiso, quod non contineatur sub  
membris diuisentibus) sed diuisio  
entis in creatum, & increatum est a-  
dæquata: ergo eadem ratio currit,  
ac si esset vniuoca quoad secundam  
istam conditionem, quæ si falsifica-  
tur in diuisione analogæ adæquata  
non est cur, non falsificetur; e-  
tiam in diuisione vniuocæ adæqua-  
ta.

4 Respondet Huer-  
to hic questione 18. articulo vni-  
co ad 3. non esse eandem rationem  
de diuiso analogo, ac de vniuoco;  
quia diuisum analogum non habet  
tantam vnitatem sicut vniuocum,  
& ideo non mirum, quod aliquid cō-  
tineatur determinatè sub diuiso,  
quod non contineatur determina-  
tè suo membris diuisentibus, saltem  
in esse concepto, licet in esse exerci-  
to contineatur determinatè, quia  
non datur sapientia exercitè, quæ  
non sit determinatè creata, aut in-  
creata.

Sed contra est, quod in alijs a-  
nalogis adæquatè diuisentibus diui-  
sum analogum seruatur ista condi-  
tio: nam sanum, quod diuiditur in  
animal, vrinam, & medicinam ea  
conditio seruatur, & tamen mino-  
rem vnitatē habet analogum istud  
cum sit duorum conceptuū, & attri-  
butionibus, quam habeat ens diuisū  
in creatum, & increatū, cum ibi sit  
analogia vnius conceptus: ergo ra-  
tio elidendi regulam non est minor  
vnitas reperta in illo analogo ente,  
quod est diuisum in illa diuisione: er-  
go nutat euasio.

5 Dicendum ergo ad ar-  
gumentum, rationem non esse me-  
ram analogiam, sed transcenden-  
tiam, ratione cuius etiam si sapiētia  
(vt talis nō sit in linea entis, sed in li-  
nea veri, quam transcendit ens) de-  
terminatè est ens; & tamen non est  
determinatè in linea entis creati,  
aut increati: nam lineæ entis veri, &  
intellectiui sunt diuersæ, & transcen-  
dētes, vnde sicut ens abstrahit à crea-  
to, & increato sic linea actiua cog-  
noscendi, quæ sequitur ad ens, & sa-  
pientia etiam abstrahit à creata, &  
increata, & ideo sapientia non con-  
tinetur determinatè sub ente, tan-  
quam sub diuiso, sed sub sapiētia, vt  
sic; vnde & falsum, quod diuisum ibi  
sit ens; est enim sapientia, & sic ni-  
hil continetur sub diuiso, quod  
nō cōtineatur determinatè sub mē-  
bris diuisentibus, quia omnis sa-  
pientia, aut est creata, aut increata  
determinatè, quamuis non sit ens  
deter-

determinate, quia etsi de qualibet sapientia verificetur, quod est ens; nō tamē qua est sapiētia est ens, nec qua ens est sapiētia, sed est ens quaha bet esse, & est sapiētia; quia est cog nitio per altissimam causam, ac per inde sapiētia solum cōtinetur sub ente materialiter, & quia transcen dens est, non formaliter; ideoque sa pientia nō est determinatē ens crea tum, aut increatum; quia sapiētia est, licet si sapiētia est; debeat esse determinatē, creata, aut increa- ta.

6 Contra tertiam cōditionem arg. 3. Diuisio actionis in bonam, & malam est adæquata; & tamen bo nitas, & malitia non opponūtur for maliter: ergo. Prob. eadem actio co mmissionis cenæ in die verito est bo na appetitui, & mala rationi: ergo bo nitas, & malitia non sunt ratio nes oppositæ. Prob. conseq. nam si esset oppositæ simul non conueni rent eidem rationi. ¶ Resp. cum M. Soto, quod bonum, & malum di cit respectum in sui cōstitutione, ac perinde vt rationes boni, & mali sitæ expolitę debent esse respectu e iusdem, non respectu diuersorū: nā diuisio actionis in bonam, & malā est adæquata, vt est respectu eiusdē, illa autem actio non est bona, & mala respectu eiusdem, sed respectu diuersorū, vt faceret argumentū: nam est mala rationi, & bona appe titui; cum tamen vt probaret argu mentum deberet esse bona, & mala simul, aut respectu appetitū, aut res

pectu rationis. ¶ Præterquam quod ad bonitatem diuisionis, nō re quiritur, quod membra diuidentia sint opposita realiter, sed sufficit esse opposita suis rationibus formali bus, ac perinde possunt reperiri in eodem subiecto, dummodo ratio nes formales sint diuersæ, vt patet in actione, quæ potest esse simul hone sta, utilis, & delectabilis ratione di uersorum principiorum, cum tamē bonum adæquatē diuidatur in hæc tria membra. Vide D. Tho. in 4. dist. 1. q. 2. ar. 1. ad 1. & Fland. 4. met. q. 1. ar. 2. ad 1.

*Dub. 7. An idem diuisum possit simul diuidi pluribus diuisionibus essentialibus?*

1 **R**espōdeo, quod idem diui sum absolutum non potest diuidi pluribus diuisionibus essen tialibus, sed tantum vnica; at si sic respectuum dicens plures inadæ quatos respectus optimē potest di uidi pluribus diuisionibus essentiali bus. ¶ Ratio primi est manife sta; quia si diuisio est adæquata secū dum omnem rationem repertam in diuisio exhaurit illud: ergo impli cat diuidi pluribus diuisionibus adæ quatis; euet enim, & non esset diui sio adæquata. Secunda autem pars facillē prob. nam hæc ipso, quod di uisum habeat plures respectus, seu plures rationes inadæquatas quæli bet diuisio secundū peculiarē inadæ quatā rationē, & respectū nō exhau

rit confusionem diuisi, nisi secundū illam rationem, & respectum inadæquatum: ergo optimè poterunt tūc dari plures diuisiones essentielles eisdem diuisi, vnde & sic fieri de facto in lege, que quadruplicem subit diuisionem essentialem secundū diuersam rationem, & respectum, docet D. Tho. 1. 2. q. 94. ar. 4.

2. Solet hic obijci, quod substantia immediate diuiditur in corpoream, & incorpoream, in viuentem, & non viuentem, & tamē que libet est adæquata diuisione rei absolute: ergo prima pars conclusionis est falsa. Prob. min. nam assignari nequit substantia in particulari, que nō sit aut determinatè viuens, & corporea, aut determinatè non viuēs, & corporea, aut determinatè incorporea, & viuēs, aut incorporea. Tū, quia dantur nā diuisiones per terminos contradictorios: ergo sunt adæquate. Patet consequentia, quia inter terminos contradictorios, nihil mediat. ¶ Resp. tamen, vel quod illa diuisio substantiæ est penes diuersas rationes inadæquatas respectus, & non absolutas, & penes diuersum respectum radicis, vitæ, aut corporeitatis, & sic illæ diuisiones non sunt adæquate. Sed hoc fit prænes diuersos respectus: vnde et si que libet ex illis detur per terminos contradictorios, non probatur esse diuisiones adæquatas, quia contradictio illa est penes diuersam rationem, & respectum inadæquatum. Vel potest dici, quod illæ diuisiones nō sūt immediate, sed prius diuiditur sub-

stantia in duas differentias innominatas, quas ignoramus (quod nō est nouū, quia sæpè sunt nobis occultæ differentia rerum: vt docet D. Tho. ex Arist. innumeris fere locis, quos videre est in Beigom. in tab. verb. *differentia* nu. 18. & 19.) & quælibet ex his rursus conuiduit substantiā in corpoream, & incorpoream, in viuentem, & non viuentem. Quod fradetur, quia corporea potest esse viuens, & non viuēs, at incorporea nequit esse non viuens, sed solū potest habere diuersum modum vitæ. Vide circa hoc dubium, RR. M. Ioan. à S. Th. q. 4. de oratione, & modo sciendi art. 3. dub. vii.

*Dub. 8. An loci arguendi in diuisione sunt legitime assignati?*

1. **E**X secunda, & tertia conditio ne bonæ diuisionis, tres locos arguendi consequi docent M. M. Petrus Hispanus, & Soto, alijque post ipsos. Primus est. A diuiso ad membra diuidentia disiunctiue, & è conuerso est bona consequ. tam affirmatiue, quā negatiue. 2. A toto diuiso, cum negatione vnus membri, si diuisio est bimens, ad positionem alterius; vel si diuisio fuerit trimembris, cum negatione duorum ad positionem vnus, est bona consequentia. Tertius. Vbi membra diuidentia opponuntur realiter, à positione vnus ad negationem alterius, & è conuerso est bona consequentia; & idem est de formalitatibus, quando membra diuidentia opponuntur formal-

maliter. Hi loci arguendi optimè probabuntur, soluèdo argumèta in contrarium, quæ comunitè in manuscryptis circumferuntur, quibus ne fraudètur dialectici iuniores hic cōgero.

*Soluntur argumèta.*

2 Contra primum locum arguendi obijcitur primo. Hæc consequ. est mala, homo, & equus sunt animalia: ergo rationalia, vel irrationalia, quia homo non est irrationalis, & equus, non est rationalis, & tamen arguitur iuxta præscriptū huius loci: ergo. ¶ Dices, locū tenere, quando diuisum sumitur determinatè, & in singulari, non quando indeterminatè, & confusè.

Sed contra est: nam etiā diuisum sumatur in singulari, non valet hæc consequ. Petrus, & bruceus est animal: ergo rationale, vel irrationale.

Resp. etiam ibi sumi diuersū in determinatè, & confusè, quia ly *animal*, æquiualeat vniuersalitati, & confundit ly *animal*, & ideo cum resoluitur ea propositio, prius debet descēsi per ly *animal*: dicendo ergo, vel hoc animal, vel illud, & sic non currit regula.

2 Arg. 2. ad idem, hæc est mala consequentia, sapientia est ens: ergo vel creatum, vel increatum quia sapientia vt sic est ens, & tamen vt sic nec est ens creatum, vel increatum determinatè. Similiter, in diuisione, qua animal diuiditur in bipes, & quadrupes non valet est animal irrationale: ergo vel bipes, vel

quadrupes, quia animal irrationale abstrahit: ergo. ¶ Resp. quod ibi sapientia non est ens formaliter, cū pertineat ad lineam intellectuam, quæ est supremus gradus analogus consecutus ad ens; & ideo non requiritur, quod si est ens transcendentaliter, & quasi concomitanter, fit in sua ratione determinatè ens creatum, vel increatum, quia sapientia vt sic non est inferior ad ens, neque in eius linea; sed est nouum diuisum analogū in linea veri actiui, & ideo non verificatur regula, quia ibi non arguitur formaliter à diuiso formaliter ad membra diuidentia, nec ab aliquo, quod sit sub diuiso, & nō sit sub aliquo ex membris diuidentibus determinatè.

Ad secundam probationem resp. quod cum animal sub diuersa ratione diuidatur in rationale, & in irrationale, atque diuiditur, in bipes, & quadrupes; optimè potest aliquid esse determinatè animal rationale, aut irrationale, & abstrahere a bipe de, vel quadrupede, quia ea ratione, qua aliquid rationale, vel irrationale, est inferius ad animal, non diuiditur in bipes, & quadrupes, & sic formaliter non arguitur ibi à diuiso ad membra diuidentia.

4 Arg. 3. cōtra secundum locū. Non valet, animal vt animal, vel animal vt sic, diuiditur in rationale, & irrationale. & non est rationale: ergo est irrationale; & tamen seruetur forma secundi loci: ergo non bene assignatur. ¶ Conf. non valet hoc est animal rationale, vel nō

irrationale, sed non est rationale: ergo est non irrationale, & tamen arguitur à diuiso ad diuidētia cum negatione vnius ad positionem alterius: ergo. ¶ Resp. quod animal vt sic reduplicat statum animalis: diuisum autem in illa diuisione nō est animal sub illa reduplicacione, sed secundum sua predicata constituitur, & ideo mirum non est non tene re locum arguendi cū reuera non arguatur à diuiso ad mēbra diuidētia.


Ad conf. resp. quod rationale, & non irrationale, suat idem, ac perinde ibi non seruat locus.

5 Arg. 4. contra tertium locū; in casu, quod modo Verbu diuinum, retenta natura humana, assumeret etiam leoninam; hæc esset mala cōsequētia signato Christo, & dicendo: hoc est animal, & est rationale: ergo non est irrationale: quia Christus qua parte esset leo esset irrationale, & tamen seruat formam arguendi præscripta in tertio loco: ergo.

Resp. cum M. Soto in præsentī, quod intelliguntur regula naturaliter contra importunitatem eorum, qui ponunt idem corpus in duobus locis, & in vno esse album, & in alio nigrum, nō enim sequitur, hoc est album; ergo non est nigrum. At idem est in præsentī, vbi hoc non fieret naturaliter, & ideo non est mirum, quod non verificetur locus, qui in eo casu non tenet. ¶ Sed de his quisquilijs

latis, vt docet

M. Soto.



## DISPVATIO TERTIA.

### De argumentatione.

Dub. 1. An diffinitio argumentationis sit rectè tradita?

I **A**rgumentatio diffinitur sic, *Est oratio in qua vnus datur alterum consequitur; cuius bonitas, ex diuisis in alijs diffinitionibus satis constat, quia assignatur propriam genus, seu ratio cōmunis, & ratio differentialis.*

*Soluantur argumenta.*

2 Arg. 1. Diffinitio debet dari per genus immediatū, & proximū, vt supra dicebamus ex Arist. at oratio non est proximum, & immediatum genus argumentationis, sed hūc locus obrinet propositio: ergo nō est bona diffinitio. Prob. min. hæc est formalis prædicatio superioris de inferiori. Argumentatio est propositio hypothetica; at oratio est prædicatum superius ad propositio nem: ergo inter argumentationem, & orationem mediat propositio tāquam genus proximum. ¶ Resp. neg. eā propositionē esse superioris de inferiori, solū nāque est vera identicè identitate sūpta ex parte materialis, in quo vtraque secunda intentio vtriusq; rationis necessario coincidit, licet sub diuersa ratione (sicut eā de蔗糖o dicitur, quod ibi albū est dulce) ac perinde genus proximum

num est oratio.

3 Si contra istos, quod oratio non est genus metaphysicum argumentationis; sed gen<sup>o</sup> extraneum, & ex parte materialis se tenens (sicut contingit in omni diffinitione physica accidentis in concreto) ac perinde oratio est superior, & gen<sup>o</sup> ad argumentationem ex parte materialis; at sic mediat ratio propositionis inter rationem orationis, & argumentationis ex parte materialis, sicut corpus quantum mediat inter substantiam, & album: ergo propositio hypothetica est genus proximum. Prob. min. quoties ex parte subiecti receptiui formæ accidentalis vnum prædicatū est magis indifferens, & aliud magis proximè receptiuum formæ: toties genus remotum sumitur ab illo prædicato materiali cōmuni, & genus proximum à prædicato magis determinato, vt patet in exēplo posito quādo vtrūque prædicatum antecedit formā, & se tenet ex parte subiecti, sed sic contingit in præsentī: ergo. Prob. min. nā oratio est indifferēs ad perfectā, & imperfectā, & perfecta est indifferēs ad propositionē categoricā, & hypotheticā, & hypothetica cōnectitur in eodē materiali cū argumentatione, quia hæc sēper cōincidit cū illa; alias cū propositio, etiā hypothetica sit opus secundæ operationis, sēper præcedit argumentationem, quæ est opus tertiæ operationis: ergo vera est illa min. quod ratio hypotheticæ est vltima disponēs ad intentionis syllogismi.

4 Resp. neg. quod secunda intentio propositionis hypotheticæ per se mediat inter intentionem orationis, & argumentationis: nam et si possint simul istæ duæ intentiones concurrere, & coincidere materialiter, non tamen hoc exigitur necessario, esto enim per se præsupponatur iudiciū secundæ operationis, quoad singulas categoricas; non tamē secunda intentio propositionis hypotheticæ, quia quoad hoc munus, tā potest subsequi, quā præcedere illa secūda operatio, ac per cōsequēs negatur, quod ratio propositionis hypotheticæ per se mediet inter rationē orationis, & argumentationis: immediatē enim cōsequuntur ratio orationis cōpositæ, & ratio argumentationis, quin sit per se necessariū, quod mediet ratio propositionis. Quorū omnīū ratio est, quia vis argumentationis non pendet à veritate hypotheticæ, sed solū supponit categoricas, quia in vi argumentationis, nō sit sensus, & attributio per modū cōpositionis, sed per modū illationis cōsequētis ex antecedenti.

5 Secundus arg. Hæc diffinitio cōuenit alijs à diffinito: ergo nō est bona. Prob. ant. Tū, quia conuenit illi propositioni, Petrus est homo, & Petrus est animal, & tamen hæc nō est argumentatio, cū non habeat notā conditionalis, causalis, aut rationalis: ergo. Mai. prob. dato, quod Petrus sit homo, necessario cōsequitur, quod sit animal. ¶ Cōf. hæc diffinitio conuenit illi syllogismo: omnis homo est albus, Petrus est homo: ergo.

ergo est albus, & tamen maiori existente falsa non est argumentatio, cum non sit modus sciendi. Et alias dato, quod mala consequentia non est consequentia, rectius colligitur, quod non est argumentatio, cum hæc constet necessario argumento, id est medio, & consequentia ut hic ait M. Soto. Mai. prob. quia data maiori, necessario consequitur consequens.

Conf. nam a conversione ad conversionibilem est bona argumentatio, & tamen ibi vno dato, alterum non consequitur, quia utraque significat idem: ergo hæc definitio conuenit alij definito.

6 Resp. duod ibi non consequitur vnum ex altero ex vi illius forme, sed solum ex parte materiæ: cum tamen argumentatio ex vi formæ logicalis vnum consequatur ex altero, & sic hæc definitio non conuenit illi propositioni hypotheticæ.

Ad 1. conf. resp. quod cum illa sit bona consequ. Dato antec. seu mai. etiam est bona argumentatio, & modus sciendi manifestas ignorum, scilicet consequens esse connexionem cum antecedenti illo semel dato: vitium ergo non ita in concedenda consequentia, sed in dando antec. quod est in materia falsa, & ideo illa argumentatio ex vi formæ est modus sciendi, & vera argumentatio, ac perinde ex hoc capite non conuenit hac definitio alij definito.

Ad 2. dico. In conversionibus (simplicibus maxime) non esse veram argumentationem, sed potius esse explicationem: quia vbi non fit conse-

cutio per medium (quod vocatur a Soto, & a priscis Philosophis argumentum) non potest esse argumentatio: sed dato esse utcumque argumentationem: dico consequi alterum ex altero, quia licet utraque propositio sit eadem quoad rem materialiter significatam, est tamen diuersa ob diuersum modum significandi, ex inmutatione extremorum, proueniētem.

Dub. 2. *An mala consequentia sit vere consequentia, & argumentatio?*

1 **M**Ag. Soto in presenti tenet cum lauello tract. 9. cap. 1. malam consequentiam habere essentiam consequentiæ; quia cum negatur consequentia, non negamus esse consequentiam, sed esse bonam. Tū, quia nota illationis tenetur ibi significatiuæ, sed nota illationis significat consequentiam: ergo etiam mala consequentia est consequentia.

2 Sed oppositum tenent communiter Thomistæ, inter quos videndus est R. R. M. Ioanna S. Tho. q. 8. Dialect. art. 1. M. Bañ. lib. 3. Dialect. tract. 2. cap. 1. & M. Ioan. Mart. lib. 2. Dialect. c. 5. q. 2. Mat. lib. de prior. analif. sect. vnic. q. 4. & alij, estque sent. Arist. lib. 1. priorum cap. 5. vbi expresse ait; *sylogismus malum non esse syllogismus defectu consequentiæ.* Tum etiam lib. topic. cap. 1. vbi & docet, quod syllogismus apprens non est vocandus simpliciter syllogismus, sed secundum quid: ergo neque

neque consequentia, aut argumentatio vitiosa, debet dici simpliciter consequentia, aut argumentatio, sed æquiuoce, aut metaphoricè, sicut homo pictus secundum quid dicitur homo.

3 Et prob. à priori. Eò homo pictus non est vere homo: quia deficit ei forma hominis, sed etiam mala consequentiæ, deficit forma consequentiæ, & argumentationis: ergo non est simpliciter, & vere consequentia. Prob. min. forma consequentiæ, aut argumentationis, est connexio, & illatio media, qua vnum ex altero consequitur, at in mala consequentia non est connexio simpliciter inter antecedens, & consequens, non est simpliciter illatio, nec vno dato alterum consequitur, sed potius est non connexio, nõ illatio, nõ consecutio ex vi formæ. (& ideo si quandoque consequitur vnum ex alio non est formaliter, & ex vi formæ logicalis, sed per accidens, & materialiter:) ergo ibi nõ est consequentia, sed potius negatio consequentiæ.

Conf. quod formaliter non dicit illationem, aut consequentiam non habet essentiam consequentiæ, aut illationis logicalis, quæ consistit in forma secundæ intentionis, & in artificiali dispositione terminorũ, & propositionum, media qua vnũ ex altero consequitur, sed mala consequentia, omnino deficit à forma artis, & ea caret, & habet defectum illius: ergo non est consequentia, & argumentatio logica, sed potius ca-

ret forma argumentationis logicalis: ergo sicut homo pictus, non est homo, quia caret forma naturali hominis, sic mala consequentia, nõ erit consequentia logica, quia caret forma artificiali logica.

*Soluntur argumenta.*

4 Hinc soluitur fundamentum M. Sorii: nam cum negamus consequentiam, negamus reuera vnum ex alio inferri, & intendimus, quod id quod apparebat consequentia, reuera non est, sicut si negaremus esse figentem hominis esse vere hominem dicendo, ille homo, signato picto, nõ est homo. quia etsi appareret sit homo non tamen vere; imò sic negans dicit, quod dato antecedenti non sequitur consequens, & sic negat esse consequentiam.

5 Nihilominus tamen arg. Salius in sua fabrica syllogistica, & alij ad probandum, quod mala consequentia vere est consequentia ita manifestando vt modus sciendi, licet ex parte rei significatæ non sit connexio, aut consequentia. Nam sicut de essentia propositionis inquantum oratio, & modus sciendi est manifestare verum, media connexione predicati cum subiecto, & medio esse, vel non esse rei, ita de essentia consequentiæ, & argumentationis, inquantum oratio, & modus sciendi, est manifestare connexiorem, seu illationem antecedentis cum consequenti affirmatiuè, aut negatiuè; sed propositio non auditur ratio est propositionis, etsi vere non signifi-

ficer, & quamuis obiectiuè non sit ita sicut affirmat, aut negat; ergo etiam consequentia, aut argumentatio habebit essentiam, & rationem consequentia, etià si obiectiuè non respondeat illa connexio, & illatio, quam manifestat, & significat mentalis, vocalis, aut scripta consequentia. Prob. hæc consequentia. Eò enuntiatio seruat suam essentiam, quia ad eam tantum attinet attributio prædicati ad subiectum artificiosa dispositione, & quod res significata, ita sit, per accidens est, quia extrinsecum est: ergo etiam de ratione argumentationis est artificiosa attributio, seu connexio consequentis ex antecedenti, siue in mente, siue in voce, siue in scripto; & quod ita sit obiectiuè, extrinsecum est, & per accidens.

Conf. ita se habet ad consequentiam esse bonam, vel malam, sicut ad propositionem esse veram, vel falsam, ac esse veram, vel falsam nō est de essentia propositionis, sed extra illam: ergo & esse bonā, vel malam est etiam extra essentiam argumentationis. ¶ Conf. propositio omnino abstrahit in sua essentia à necessaria, & impossibili, & cōtingenti; ideoque seruata essentia, & forma, modo potest esse vera; modo falsa, aliquando est infalsificabilis, aliquando in verificabilis, secundum quod est in materia contingenti, aut accessaria, aut remota. Sed etiam argumentatio abstrahit ab ea, quæ est demonstratiua, topica, aut repugnans, ita quod hæc varientur

ex parte materia, non autem ratione formæ: ergo esse malam, vel bonam; ita est extra essentiam consequentia sicut extra essentiam propositionis est quod sit vera, vel falsa. Mai. est certa, minor prob. ex Aristot. 1. topic. cap. 1. vbi ait, quod syllogismus demonstratiuus, qui ex se per veris, & litigiosus; qui ex incertis, & topicus, qui ex probabilibus, & pseudographus, qui ex repugnantibus species sunt syllogismi, seu argumentationis. sentit ergo, quod syllogismus, & argumentatio vt sic: abstrahit essentialiter ab his, quæ benè, vel malè, vel formidolose, aut necessario syllogizant.

6 Resp. quod cum logica nō agat de modo sciendi formali, scilicet, de mentali, vocali, aut scripto, per se, sed ratione modi sciendi obiectiuè, hoc ipso, quod argumentatio obiectiuè non habeat connexionem antecedentis, & consequentis, & quod vnū sequatur ex altero, ad hoc habet obiectiuè, essentiam argumentationis, ac perinde nec argumentatio vocalis scripta, aut mentalis hoc manifestans, vel significans erit vera argumentatio: quia artificium logicale modi sciendi, non consistit in ea manifestatione, quæ fit per significationem conceptus vocis, aut scripturæ, sed per eam, quæ fit in ipsis obiectis, ita vt vnum manifestet alterum; vt latè dictum est in proœmiis libus logicæ dub. 2. per totum; ideoque non mirum si malā consequentia non habeat essentiam consequentia. Nec est illud de propositione;

tum, quia licet sit oratio, non tamen est modus sciendi, cum nec sit definitio, diuisio, nec argumentatio; sed tota vis eius in significando esse, vel non esse rei consistat: quod saluatur in mente, voce, & scripto, etiam si à parte rei sit, vel non sit, id quod per illam significatur: ideoque eadem propositio potest transire de vera in falsam, ex quo cognoscitur non esse hoc de eius essentia; at eadem consequentia obiectiua nequit transire de bona in malam, neque in mente habet eisdem conceptus, quia forma syllogistica consistit in connexionem, & illationem, qua destructa perit essentia ipsa consequentiam, quæ nihil aliud est, quam talis connexio.

Ad 1. conf. patet ex dictis. Ad 2. resp. Aristot. vocasse illos syllogismos species syllogismi, non quia vere sint species, sed quia sunt modi apparentes syllogismi. Et dato, quod essent syllogismi, solum hoc haberent posterioriter, & ex parte materiam, sic enim in arte logica sunt syllogismi artificiosi in materia naturali, remota, & contingenti; & sic mala consequentia dicitur habere rationem consequentiam cum illo addito pro modis necessariis, aut sophisticis, & pseudographi syllogismi; at consequentia, de qua nunc agimus prioriter sumitur, quæ independens est à materia. Ita enim bona consequentia potest fieri ex parte forme in materia remota, sicut in materia necessaria. Sic autem considerata consequentia, nullo modo debet comparari cum propositione in ordine ad bonitatem,

vel malitiam, sicut illa comparatur ad suam veritatem, vel falsitatem: quia solum attendit ad connexionem antecedentis cum consequenti, ita ut vno dato necessario consequatur alterum; taliter, quod vel nulla sit consequentia, vel necessaria debeat esse: vnde & Aristot. eodem primo cap. topicorum ad hoc attendens dixit. *Ergo prior quidem illorum, qui dictis sunt litigiosi (videlicet, qui peccant in materia dumtaxat) etiam syllogismus dicitur. Reliquus autem litigiosus quidem; syllogismus autem non (quia peccat in forma) dicitur, quod videtur syllogizare; syllogizat autem minime.* Hæc ille, adiuncta glossa August. Niphi.

7 Si contra hæc instes. Syllogismus peccans in materia est vere syllogismus; ergo & ille, qui peccat in forma: ergo mala consequentia est simpliciter consequentia: nam syllogismus retinet in se rationem consequentiam, & argumentationis. Prob. conf. qui aufert materiam, etiam aufert formam; tam in naturalibus, quam in artificialibus; imò ablata forma non aufertur illico materia: ergo videtur, quod syllogismus peccans in materia minus sit syllogismus, quam qui peccat in forma: ergo si vitiosa, vel ablata materiam consequentiam, & syllogismi, manet essentia consequentiam, & syllogismi, multo magis manebit si peccet solum in forma.

Respond. quod syllogismus posterioriter consideratus, quamuis peccet in materia, adhuc est capax artis, quia hæc non petit materiam

riam non peccantem; imò in illa exercet parallogismos, & topicā argumentationem, ac per consequens non aufert materiam talis consequentiæ: sed potius ea indiget, & sic seruat rationem, & essentiā syllogismi posterioris sic: at consequentiā prioris sic sumpta, est ipsa forma connexionis vnius ex altero ex vi dispositionis terminorum proueniens; & ideo si hæc desit, omnino ruit eius essentia; ac perinde prioris sic non est consequentia: si ita disponitur vt dato antecedenti, non sit necesse dare consequens, quia sic positi termini non potest verificari ipsa diffinitio argumentationis, & consequentiæ, & perit artificiū logicum. Ex quo patet differentia inter propositionem, & argumentationem: nam diffinitio propositionis, solum dicit, quod sit oratio verum, vel falsum significans, & hoc semper verificatur, & si hoc non verificetur, non saluatur, quod sit propositio: diffinitio autem argumentationis est, quod sit oratio in qua vno dato, alterum consequitur; si ergo vnum ex altero non consequitur, non erit argumentatio, sed mala consequentia est oratio, in qua vno dato alterum non consequitur: non ergo est consequentia: nam etsi quoad apparentiam significet, vt vnū consequi ex altero, reuera hoc non præstat, & diffinitio non dicit, quod sufficiat hoc in voce significare, sed vult quod vnum consequatur ex altero; significare autem consecutionem, & ipsa consecutio diuersa sūt,

vnde si hoc secundum non verificetur, nec verificabitur ipsa diffinitio, qua non verificata, non saluatur essentia consequentiæ.

8 Ex dictis soluantur nonnullæ obiectiones, quæ hic solent formari; nempe cui competit diffinitio materialis, cōpetit essentia rei, quod patet in domo, & in alijs artificialibus, & tecto domus est, sed argumentationi vitiosæ competit diffinitio materialis argumentationis, & syllogismi cum sit oratio constans antecedenti, & consequenti: ergo.

Tum etiam, membra diuidentia debent participare essentiam diuisi, at consequentiā, & argumentatio communiter diuiditur in rectā, & vitiosā, in bonam, & malam: ergo.

Resp. relicta solut. Masij, & aliorum (quam non refuto, quia breuitatem opto) quod mala consequentia, & argumentatio non habet verum consequens, sed apparēs tantūmodo, vnde sicut non est domus, quæ vero tecto, & parietibus nō constat, sed solum apparētibus, quia diffinitio materialis domus, veros, & nō tantum apparentes parietes exigit: sic similiter in nostro casu, vbi quod ex antecedenti non consequitur, verum consequens non est, & antecedens verum non est, quod nō infert ex se consequens. Vnde ad secūdū dico, quod in diuisione quidditatiua debet diuisum essentialiter saluari in membris diuidentibus: at vbi diuisio non est quidditatiua, sed

analogia analogia metaphorica hoc non est necesse, ideoque cum diuiditur homo in viuum, & pictum, & risibile, in pratum, & hominem: nõ requiritur, quod essentia diuisi reperiatur in quolibet ex membris diuisidentibus, at sic diuiditur consequentia, & argumentatio in bonam, & malam: non ergo infertur, quod mala habeat essentiam consequentia.

*Dub. 3. An conclusio sit de essentia argumentationis?*

*§. 1. Notatu digna proponuntur.*

**1** **E**X dictis lib. 1. disp. 2. proemial. dub. 6. satis constat resolutio huius dubij: ibi enim ostendi, tam antecedens, quam consequens esse de essentia discursus, & notam illationis non esse eius partem, sed notam exercitij, seu successionis actuum, cum quadam causalitate vnus ad alterum. Sed tamen, vt hæc clarius exprimantur, & ibi dicta amplius formentur, necesse est hic ex professo, & tanquã in propria sede disputare. Et quamuis hæc soleant ventilari in tertio libro, nihilominus, ne moremur lectorem, hic cum sit hæc cõtrouersia, etiam huius loci propria, resoluenda erit.

**2** **V**t autem iudicium nostrum proponamus, libet prius diuersitatẽ sententiarum proponere. Prima sententia asserit, argumentationem cõ-

sistere in solis præmissis, vt illatiuis, seu in solo antecedenti. Sic Auerr. 1. perh. cap. 1. & 2. Et 2. prior. cap. 4. Et in epit. priorũ in princ. Albert. Magn. 1. priorum tract. 1. cap. 3. Niphus 2. poster. comment. 2. dub. 2. Conimbric. & Quiedo relati à Linçæo: M. autẽ Mas. sect. vnic. de priorum analif. q. 3. sequutus Lemol. lib. paradox. Dialect. cap. 2. putant cõclusionem non esse de essentia argumentationis, sed ad summũ materiam extrinsecam, sicut in sent. aliquorum sanguis, qui non informatur forma animalis, etsi sit necessarius ad eius vitam, & integritatem. Secunda sententia asserit, argumentationem, neque in præmissis, neque in conclusione consistere, sed tantum in illatione, cuius nota est *ly ergo*, aut *ly quia*, aut *ly si*, iuxta varios modos argumentationis causalis, rationalis, aut conditionalis. Sic Huert. lib. 5. Sumul. q. 24. ar. 2. Tertia sententia asserit, præmissas non esse de essentia syllogismi, sed solum cõclusionem. Sic Huert. disp. 10. Log. sect. 2. §. 83. Sic Philoponus apud Huert. & Linçæum, Franciscus Burana lib. 2. de priori resolut. cap. 1. quamuis pro nostra sententia citetur à Masio. Quarta sententia tueretur Auersia q. 25. log. lect. 3. & P. Linçæus lib. 7. Dialect. tract. 2. cap. 2. n. 28. sentit, quod aliquando argumentatio, constat antecedenti, & consequenti, quandoque solo antec. quãdoque solo consequenti; ac perinde in omnibus his; & singulis diuisiue sumptis, consistere essentiam, nõ autem

rem collectivè in omnibus. Quia  
ta, & vlt. sent. quam esse communè  
fateretur plures dicit argumentatio-  
nem, in antecedenti, & consequen-  
ti simul consistere, quatenus antece-  
dens est illatiuum consequentis, &  
consequens infertur ex antecedenti.  
Sic Iauellus tract. 6. Dialect. cap. 1.  
§. quantum ad 3. Mag. Vincent. Iusti-  
niana. lib. 5. instit. cap. 2. apud Mas.  
RR. M. Ioann. à S. Tho. q. 8. Dialect.  
art. 3. M. Mart. de Prado lib. 3. Dial.  
cap. 3. q. 1. Arriaga, Franc. Alons. re-  
lati à Linc. & P. Peñaf. disp. vlt. Su-  
mul. sect. 4. Estque communis inter  
nostrates in manuscrip. & in publi-  
cis disputationibus. Quod & fatetur  
P. Linc. & asserit M. Mart. de Pra-  
do.

3 Sed antequam quid dicendū  
sit statuā; non possum non animad-  
vertere, quod investigare in quo cō-  
sistat essentia argumentationis, mul-  
tum conducit ad rem præsentem;  
quia cum sit argumentatio quodā  
artefactum logicum, & hoc à mate-  
ria multū dependeat, ignoratis par-  
tibus huius artefacti, parua, aut nul-  
la notitia haberi poterit de eius es-  
sentia, & forma.

§. 2. *Essentia syllogismi, & essentia  
argumentationis non consistit adæ-  
quate in præmissis.*

4 Hæc conclusio prob. in pri-  
mis, ex his, quæ obijciemus contra  
tertiam conclusionem. Et modo e-  
tiam prob. sic. Tum, quia author o-  
pusc. 48. tract. de syllog. (apud D.

Tho.) cap. 4. docet, quod omnis syl-  
logismus ostensiuus constat ex tribus ora-  
tionibus, quarum duæ primæ sunt præ-  
missæ, vltima conclusio; sed syllogis-  
mus est species argumentationis: er-  
go oratio, non solum constat præ-  
missis, sed etiam conclusione.

Si dicas, syllogismum constare  
conclusionem, tanquam materia ex-  
trinseca. Contra est, quod nihil pro-  
priè dicitur constare ex eo, quod  
non est: ergo si syllogismus dicitur  
constare conclusione, ea non est ex-  
trinseca, sed intrinseca, & essentia-  
lis. Tum etiam, quia vt ibidem di-  
citur, & constat ex nomine, syllogis-  
mus est collectio propositionū, seu  
orationum, sed hæc collectio fit me-  
dia nota illationis: ergo conclusio,  
cum sit extremum colligatum, &  
collectum ex præmissis mediāte co-  
pula illatiua erit de eius constitutio-  
ne, & essentia. Quod amplius cōfir-  
matur ex q. 14. de veritate art. 2. ad  
9. & in 3. dist. 23. q. 2. art. 1. ad 4. ar-  
gumentum est processus rationis à  
notis ad ignota, sed argumentatio  
essentialiter, vel est, vel includit ar-  
gumentum: ergo non saluatur in so-  
lis præmissis. Prob. conseq. nam in  
solis præmissis est intellectus ad no-  
ta lumine naturali, & cum proce-  
dit, & mouetur iam non est in ter-  
mino à quo, sed in via ad terminum  
ad quem; & sic motus discretus intel-  
lectus debet esse in termino ad quē  
attacto, vt ex termino à quo; vt la-  
tè dixi agendo de operationibus: er-  
go si argumentum, & argumenta-  
tio non saluantur nisi in processu,  
&

& motu, nec saluabitur in solis præmissis.

5 Secundo prob. ad constitutionem syllogismi, qui est species argumentationis non sufficiunt præmissæ: ergo nec ad constitutionem argumentationis adæquatè sũptæ. Cõseq. videtur bona, & antec. prob. nam syllogismi specificè variãtur in ratione syllogistica secundum diuersos modos, at qui in variatis præmissis, & variata tantum conclusione, variantur modi syllogismorum; vt patet in *barbara*, & *baralipton*: ergo.

Resp. quod etiam est diuersitas in præmissis: virtualiter enim; & re latiuè specificantur, vt illatix a cõclusionẽ illata.

¶ Sed contra est, quod argumentatio sumitur pro forma artificiosa in concreto; sed hæc non saluatur in illis præmissis, nec variatur in illis, sed tantum in conclusione: ergo ratione conclusionis variantur illæ argumentationes, sed nihil variatur essentialiter nisi per illud, quod est sibi essentialiter: ergo.

Conf. inde sumitur formaliter essentia, vnde sumitur diuersitas specifica, sed per te formaliter sumitur à conclusione, & non à præmissis, nisi quatenus respiciunt diuersitatem formalem in conclusione: ergo ipsa conclusio est forma varians, seu specificans, & constituens argumentationis essentiam.

Denique illud est de essentia alicuius rei, quo variato variatur effica-

tia, & quo invariato, inuariata manet essentia; at qui variata conclusione, variatur essentia, & species argumentationis, et si præmissæ quoad formam syllogisticam non variantur, alias etiam si variarentur præmissæ, dummodo conclusio non variaretur esset argumentatio eiusdẽ speciei, quia cum consistat in motu a termino ad quem specificatur, & non à termino à quo: ergo.

6 Prob. vltius: species argumentationis, specie variantur ratione notæ illationis, causalis, rationalis, aut cõditionalis, at hæc nõ notat præmissas, sed illationẽ: hæc autem non est in præmissis, quia hæc non sunt illatæ, neque consequuntur, sed conclusio est, quæ infertur ex præmissis: ergo præmissæ nõ cõstituunt adæquatè argumentationem. Et sumpta paritate à propositione fit clarior nostra doctrina: nam sic se habet prædicatum ad subiectum in illo motu, quo compositiuè fertur intellectus ex vno extremo ad alterum: sicut se habet in motu discursiuo, seu in argumentatione, qua fertur ex antecedenti in cõsequens: & sic se habet copula in propositione, sicut illatio, seu nota illationis in argumentatione, sed forma totalis propositionis non cõsistit in subiecto, neque in prædicato, neque in sola copula: sed in aggregato ex his omnibus: ergo similiter dicendum de argumentatione.

7 Resp. non esse eandem rationem, quia de essentia enunciatio

nis est esse signum veritatis complexæ, quæ non saluatur nisi in illo con-  
iuncto; at de essentia argumentatio-  
nis solum est esse orationem mani-  
festatiuam ignoti, quod saluatur a-  
dæquatè in præmissis respectu con-  
clusionis. ¶ Sed contra est, quod  
argumentatio formalis mētalis, &  
idem est de vocali, aut scripta non  
est manifestatiua ignoti ex solis præ-  
missis, nisi artificiosè, disponatur e-  
tiam conclusio, vt directè conclu-  
dat (si non sint extrema termini cō-  
uertibiles:) nam conclusio non est  
demonstrata completè, nisi fiat re-  
ductio ad conclusionem directam  
modorum perfectorum: ergo mo-  
dus sciendi, & manifestandi ignotā  
conclusionem obiectiuam, nedū cō-  
sistit in recta dispositione præmissa-  
rum, sed etiam in artificiosa coop-  
tatione, & collocatione terminorū  
conclusionis. ¶ Præterea, sicut de  
essentiā enuntiationis est esse signū  
veritatis complexæ, ita de essentia  
argumentationis est esse signum il-  
lationis complexæ, & consecutionis  
vnius ex alio, vt patet ex definitio-  
ne; scilicet est oratio, in qua vno da-  
to, alterum consequitur: ergo non  
consistit præcisè in illo dato, id est,  
in præmissis, sed in eo, etiam quod  
& vnum datur, & alterum ex dato  
consequatur, sed id quod consequi-  
tur est conclusio: ergo sicut propo-  
sitiō consistit in subiecto, prædicato,  
& copula, ita & argumentatio con-  
sistit in antecedenti, conse-  
quenti, & illa-  
tione.

*Soluuntur argumenta.*

8 Arg. 1. pro prima sent. ex Ari-  
stot. lib. 1. prior. cap. 9. vbi loquens  
de syllogismo, ait; *palam per tres ter-  
minos, & duas propositiones hic conf-  
deratio est.* Sentit ergo, consideratio-  
nem essentiæ syllogismi consistere  
in præmissis, vbi sunt tres termini,  
& duæ propositiones.

Conf. quia cap. 33. docet, syllogis-  
mum resolui in duas propositiones,  
& tres terminos: ergo sentit salua-  
ri essentiam in præmissis: nam vnū-  
quodque resoluitur in ea, ex quibus  
constat; dissoluta tamen vnione.

Resp. in primis ea verba, quæ ci-  
tantur a Huert. ibi non haberi apud  
Arist. Sed illis admissis, quia inue-  
niuntur cap. 25. dico, loqui de syllo-  
gismo inadæquatè; & quantum ad  
vim illatiuam non adæquatè. Et a-  
pud veratos in doctrina Arist. notis-  
simum est, quod apud ipsum nō est  
idem propositio, atque enuntiatio:  
nam propositio est idem ac præmis-  
sa: vt constat passim in libris priorū,  
& notat auth. opusc. 48. tract. de syl-  
log. cap. 1 & sic rectè inquit on-  
nem syllog. in unum constare tantum  
duabus propositionibus, & tribus ter-  
minis, quia vt ibi notat Arist. eodē  
cap. 25. conclusio pars propositio-  
nis est, & termini conclusionis non  
sunt diuersi ab illis, qui sunt in præ-  
missis, sed ipsamet extrema, quæ in  
præmissis comparantur cum me-  
dio, in conclusione comparantur in-  
ter se: hinc autem nihil colligitur  
contra nos, cum non dicamus con-  
clu-

clusionem constare diuersis terminis, aut esse nouam propositionem distinctam à præmissis, sed esse partem earum, & totum syllogismum quoddam totum organicum, & etherogeneous, cuius vna pars mouet alteram.

Ad 2. probationem, concedo, quod cum conclusio constet ex terminis præmissarum, & sit pars earum, resoluitur quidē primo in præmissas, secundo in terminos præmissarum, quia causat scientiam, resolūdo cōclusionem in sua principia cōplexa, in quibus penetrat conclusiones via resolutionis, & postea penetrat quidditatē media definitione, & passionē in ipsa quidditate, quod & nos dicimus; hoc tamen non suadet, quod via compositionis nō componatur ex principio, & conclusione, tanquam ex partibus essentialibus, eo quod est totum quasi organicum, & etherogeneous. Sicut ex eo, quod totum physicum corruptibile resoluitur in materiam; corrupta forma, & dissoluta vnione, non sequitur quod forma equi, v.g. non sit de eius compositione essentiali physica.

9. Secundo arg. vt sæpè sæpius toto lib. prior. repetit Arist. tota structura, & dispositio artificiosa syllogismi, & argumentationis consistit in dispositione medijs cum extremitatibus: sed hæc non reperitur in cōclusionem, quam non ingrediatur mediam; sed in præmissis præcisè: ergo forma artificiosa argu-

mentationis, de qua hic agitur, non informat cōclusionem: ergo conclusio non est de essentia argumentationis.

Conf. 1. Varietas combinationis terminorum artificiosè disposita variat figuras syllogismorū; at figuræ non variantur penes conclusiones, sed penes præmissas: ergo ille solum pro formali constituit argumentationem.

Conf. 2. Secundum Arist. lib. 2. prior. cap. 2. vnus, & idem syllogismus potest inferre varias conclusiones, manentibus eisdem præmissis: ergo conclusio nō est de essentia syllogismi: nam si esset, necessario variaretur syllogismus, variata enim parte essentiali, variatur cōpositū.

Resp. quod tota structura syllogismi, quantum ad modum, & figuram principaliter consistit in dispositione præmissarum, quæ sunt pars principalior syllogismi, non autem tota, secundum quod totum dicit adæquatam rationem, quia etiā cōclusio indiget suo artificio, vt ostensum est supra.

Inde ad primam confirmationem dico, quod figura variantur penes diuersam dispositionem præmissarum: hinc tamen non colligitur conclusionem non esse de essentia syllogismi; sed quod sit pars minus principalis; quod etiam constat, quia modi variantur in prima figura penes conclusionem.

Ad secundam dico, quod vt constat ex Aristot. ibidem: dicitur

idem syllogismus varias conclusio-  
nes inferre, quatenus virtute præ-  
missarum, potest ordinatè inferre  
conclusiones plures primo vniuersa-  
lem, deinde particularem, directã,  
& indirectã, sed hoc probat esse eun-  
dem syllogismum virtute, non au-  
tem formaliter, videmus enim hãc  
varietatem multiplicare modos in  
prima figura, ex quo potius infer-  
tur, quod cõclusio sit de essentia syl-  
logismi, siquidem inuariatis præ-  
missis variatio conclusionis, suffi-  
cit variare modum syllogismi, &  
ipsum eius artificium, quod nedum  
in figura, sed etiam in modo consti-  
tuit essentialiter.

10 Tertio arg. fundamento,  
quod est Achilles oppositæ sent. Ar-  
gumentatio est species modi scien-  
di, sed ratio modi sciendi extēdi nō  
potest ad conclusionem, sed præci-  
sè saluatur in præmissis: ergo con-  
clusio non est de essentia syllogismi.  
Min. prob. modus sciendi est oratio  
alicuius ignoti manifestatiua, sed so-  
la præmissa hoc habet: ergo. Prob.  
conclusio est manifestata per præ-  
missas: ergo sola illæ gaudent ratio-  
ne modi sciendi.

¶ Confirmatur: res ma-  
nifestata per modū sciendi, nequit  
intrare essentiam modi sciendi, ne-  
que esse de eius constitutiuo: at ar-  
gumentatio est oratio manifestati-  
ua conclusionis, estque modus scien-  
di, quatenus manifestat conclusio-  
nem demonstrando inani: ergo cõ-  
clusio non potest esse de constituti-  
no argumentationis. Conseq. videt̃

tur bona, vera min. & prob. mai. nã  
si manifestum esset de intrinseca cõ-  
stitutione modi sciendi, iam idem  
esset notum, & ignotū, manifestū,  
& manifestatiuum, quod repugnat.  
Tum, quia hac ratione, nec diffini-  
tum potest intrare diffinitionē; ac-  
que diuisum diuisionem: ergo neq;  
argumentatum, seu consequens, aut  
conclusio deberet intrare argumen-  
tationem.

11 Resp. argumentationem ef-  
se essentialiter quid inferius ad mo-  
dum sciendi per modum totius or-  
ganici, & etherogenei, cõcedo, per  
modū totius homogenei, nego. Et  
sic ratio manifestatiui, nedum est in  
præmissis, sed etiam in cõclusionem,  
& sic mutuo se manifestant sub di-  
uerſa ratione, & quasi circulariter  
medijs partibus per se mouentibus,  
& per se motis: nam præmissæ ma-  
nifestant conclusionem vt quo, non  
vt quod, quia solū sunt rationes af-  
fenticiæ, at cõclusio manifestat præ-  
missas vt quod, quia id quod late-  
bat in illis, eratque contentum vir-  
tualiter in præmissis, manifestat, ex-  
trahit in lucem, & reddit formaliter  
cognoscibile ipsã cõclusionē; ideo-  
que ex conclusionis assensu: regre-  
ditur intellectus via resolutionis in  
principia, in quibus penetrat,  
quæ ante latebant in ipsis: & sic ar-  
gumentatio in ratione modi sciendi  
integri, & per modū totius perfec-  
ti, & organici, cum quodam mo-  
tu, & quasi circulari constat, necessa-  
rio principijs, & cõclusionem antec.  
& consequenti,

Ad conf. resp. quod res manifesta; vt talis non est de essentia modi sciendi, at si habeat rationem manifestatiui, est de eius essentia, & quia conclusio etsi sub vna ratione sit manifestata à præmissis, vt quo, tamen eas manifestat vt quod, quoad ea, quæ virtualiter continebant: ideo conclusio est de essentia argumentationis, nec est idem de diffinito, & diuiso respectu diffinitionis, & diuisionis, quia nec diffinitum manifestat diffinitionem, sub aliqua ratione artificiosa, nec diuisum suam diuisionem.

Addo his, quod sicut diffinitio, & diffinitum idem sunt ex parte rei significata, vt aiunt, & tamen ob diuersum modum significandi, diffinitio est modus sciendi, sic illa enuntiatio *homo enuntiabilis* secundum se est res manifestata: at vt conclusio illata ex præmissis est manifestatio artificiosa illius enuntiationis absolute; & sic præmissæ vt quo, & conclusio formaliter vt talis vt quod habet rationem modi sciendi respectu illius veritatis, quæ absolute sumpta, non erat manifestum quod esset necessaria.

*§. 3. Sola consequentia non est adæquata essentia syllogismi.*

12 Si Huertos, contra quem in præsentem pugnamus consentiret nobiscum (vt par erat) quod argumentatio mentalis est quidam mo-

tus discretus circularis (quod supra ostendi agens de tertia operatione intellectus) & quod oratio mentalis est quantitas discreta; ita quod nullum detur continuatum inter eius partes, sed consistat in ipsa successione includente partes, ita vt consequentia non sit aliquid medium inter antecedens, & consequens, sed successio ipsa actuum intellectus, nihil aliud dicens, quàm antecedens, vt inferens, & consequens vt illatum.

¶ Si hoc inquam diceret Huertos obuijs manibus exciperemus eius sententiam, quia nihil aliud nos habemus pro vero, nisi quod essentia consequentiæ consistit in isto processu, & illatione rationis ex antecedenti ad consequens, includendo essentialiter antecedens, & consequens, tanquam partes essentielles, sicut contingit in quolibet motu discreto, & sic essentia argumentationis consistit adæquatè in consequentiæ, & illatione; sed quia Huertos in hoc sensu non loquitur, sed comminiscitur nescio quid medians inter antecedens, & consequens per modum motus continui medi, & distincti à termino à quo, & ad quem, ab antecedenti, & consequenti; ideo cogor ostendere eius sententiæ manifestam falsitatem, & repugnantiam.

13 Quod probō sic: argumentatio essentialiter, est oratio perfecta: ergo non consistit in illa illatio-

ne, & consequentia, quam fingit Huertos. Prob. conseq. Illa illatio, & consequentia (vt eam ponit Huet.) medians inter antec. & conseq. distinctaque ab illis non habet partes per se significatiuas separatas, neque in mente, neque in voce: ergo non est oratio, nec in illa potest adæquatè consistere essentia argumentationis quæ est oratio. Prob. ant. Illa illatio, & consequentia, vt distincta ab antec. & conseq. significatur per illud syncategorema: ergo. Igitur in voce non habet partes significatiuas separatas; alias voces sunt signa cõceptuum: e. g. illatio, & consequentia mentalis, prout distincta ab antec. & conseq. mentali, non habet partes significatiuas separatas.

Hæc ratio, quoniam mihi demonstratio quædam est (nisi pessimè fallor) sufficiat pro hac assertionem.

*Soluuntur argumenta.*

14 Sed obijcit Huert. Argumentatio est discursus intellectualis, sed hic est quidam motus: ergo non includit intrinsecè præmissas, aut conclusionem, sed solum extrinsecè. Prob. conseq. motus neque includit intrinsecè terminum à quo, nec terminum ad quem: at præmissæ se habent vt terminus à quo, & conclusio vt terminus ad quem in hoc motu discursiuo: ergo.

Conf. argumentatio est essentia liter consequentia; at hæc neque includit antec. neque consequens: ergo. Prob. min. Tum, quia cum nega-

mus consequentiam, neque negamus antecedens, neque consequens: ergo consequentia neutrum est, sed aliquid medium. Tum, quia consequentia est sequela vnius ab alio: ergo solum extrinsecè includit, & id à quo aliud sequitur, & illud aliud quod sequitur.

15 Resp. in primis argumentationem esse consequentiam, sed non adæquatè; includit enim antecedens, & consequens, vt ostensum est. ¶ Secundo resp. concessa mai. distinguo min. est motus cõtinuus, neque discretus, concedo: ad probat. dico. De ratione motus discreti esse inclusionem termini à quo, & ad quem, vt successiuè se habent, vt docet D. Tho. 1. p. q. 53. art. 2. ¶ Ad cõf. resp. in primis argumentationem esse consequentiam, sed non adæquatè. ¶ Secundo resp. concessa mai. neg. min. ad prob. dico, quod cum negamus consequentiam non negamus antec. neque consequens absolutè; sed vnum ex alio sequi; imò, quia tunc non negamus totum syllogismum, aut enthimema, rectè colligitur cõstare antec. & conseq. vt egregiè notat RR. M. Ioan. à S. Tho. loco iam citato.

Ad 2. prob. resp. argumentationem, & consequentiam esse sequelam vnius ex alio per modum motus discreti, & ideo non excludere, sed potius includere termi-

nos à quo, & ad quem.

✱

9. 4. *Sola conclusio non est adæquatè de constitutivo argumentationis.*

16 Ex dictis proximè satis constat hæc veritas, nihilominus eã breuiter ostendam sic; quia præmissæ artificiosè manifestant conclusionem, & præcipua attentio argumentationis consistit in dispositione extremorum cum medio in præmissis, ex qua manifestatur cõnexio extremorum, quæ est in conclusione: ergo præmissæ excludi nõ possunt ab essentia, & constitutivo argumentationis. Tum etiam, quia syllogismi, qui sunt argumentationes perfectissimæ, variantur secundum figuras ratione diuersæ dispositionis præmissarum, ac nihil variatur, nisi per id quod est de eius intrinseca ratione, si intrinsecè variantur: ergo. Tũ etiam, quia conclusio non pertinet ad argumentationem, nisi vt illata taliter quod ratio formalis assentiendi sint præmissæ, & rectè dispositæ: at ratio *sub qua* non est de extrinseco constitutivo rationis *qua*; sed potius de ultimo constitutivo formalissimo intrinseco; vt patet in luce respectu visibilis: ergo præmissæ vt rectè dispositæ non sunt de extrinseco constitutivo argumentationis, sed de intrinseco. Denique ab eo, quod habet argumentatio generare perfectum sensum intrinsecè constituitur, cum sit ab intrinseco oratio perfecta, sed a præmissis hæc habet: ergo. Prob. min. argumentatio non

facit sensum absolutum in conclusione, alioqui esset oratio purè enatiatiua, sed facit sensum illatum, ac ratio formalis sensus illati in conclusione est à præmissis, tanquam à ratione formali artificiosa generandi talem sensum: ergo argumentatio non consistit adæquatè in conclusione; sed includit præmissas vt rationem formalem assentiendi, & formandi sensum illatum.

*Soluuntur argumenta.*

17 Pro opposita sententia ferè nullum inueni fundamentum. Sed potest argui. Argumentatio essentialiter est modus sciendi; sed sic nõ potest cõstare præmissis, sed sola cõclusionem: ergo. Prob. min. quia veritas illata non est manifeste in præmissis, siquidem ibi tantum continetur confusè, & virtualiter; sed solum est clarè, & manifestè in cõclusionem artificiosè illata: ergo argumentatio, quatenus est modus sciendi, non potest vilo modo consistere in præmissis, sed solum in conclusione.

Resp. tamen facilè, quod præmissæ manifestant conclusionem non vt quod, sed vt quo, sed tamen hoc præstant artificiosè, & hoc sufficit, vt obtineant rationem modi sciendi respectu conclusionis, vbi tota claritas reperta, vt quod manifestatur à præmissis, tanquam a ratione formali.

✱

Bb 4

9.5.

§. 5. *Omnis argumentatio necessaria constat antecedenti, & consequenti simul, nec contingere potest oppositum.*

18 Statuitur hoc dictum cōtra Averſa, & P. Linæum. Et satis constat ex dictis: nam cum argumentatio eſſentialiter ſit oratio diſcurſiva, eſſentialiter includit, & indiſpenſabiliter ea, ſine quibus conſiſtere nequit diſcurſus, at hic eſſentialiter, & indiſpenſabiliter includit antecedēs, conſequens, cum ſit motus diſcretus conſiſtens in ſucceſſione, & attingētia unius poſt aliud, & v. uſe ex alio prius attacto: nam iuxta D. Tho. 1. p. q. 14. ar. 7. includit ſucceſſionē cauſatiuam: ergo falſa eſt ſententia utriuſque authoris relati.

*Soluntur argumenta.*

19 Fundamenta ſent. oppoſite ſunt ea, quæ fundant 1. & 3. ſent. nā Ariſt. 2. prior cap. 1. docet, ſyllogiſmum inferre conſiſſiones diuerſas, ut patet in *celantem*, & *celantes*. Sed tōtæ præmiſſæ inferunt: ergo ſole præmiſſæ dicuntur ſyllogiſmus. Tu etiam 1. de Anima text. 48. docet, *demonſtrationes habere pro fine ſyllogiſmum, aut conſiſſionem*: ergo conſiſſio ſola potēſt dici ſyllogiſmus.

Reſp. tamen, tum ex dictis nu. 9. Tum, quod totū ſepē denominatur à parte principaliori; ideoque non mirum, quod præmiſſæ ut inferentes dicantur ſyllogiſmus, nō proprie, ſed tropicē, & figuratiuē.

Ad conf. reſp. quod ibi Ariſt. non dixit ſyllogiſmum eſſe præciſſe conſiſſionem, ſed ſumpſit reſtrictē ſyllogiſmum pro eius parte quæ eſt conſiſſio.

§. ult. *Vltima reſolutio dubij proponitur.*

20 Ex hucusque dictis ſatis conſtat, quod argumentatio, etiam ut eſt modus ſciendi, componitur eſſentialiter ex antecedenti, & conſequenti, ut ſe habent ſucceſſiuē, & vnum inferitur ex alio, quod tam conſtans eſt ex dictis, ut ampliori non egeat probatione. Nec diſcuſſione argumentorum, ſiquidem propoſita hucusque directē militant cōtra iſtam aſſertionem, & iam ſatis diluta ſūt.

21 Solum poſſet obijci præter dicta, quod ſecundum Ariſt. 1. poſter. cap. 2. demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire: ſed præmiſſæ ſunt cauſæ ſciendi, & conſiſſio eſt ipſum ſcire: ergo ſyllogiſmum ſolū conſiſtit in præmiſſis, ſi ſolum ipſe facit ſcire; at eadem ratio eſt de qua libet argumentatione: ergo.

Reſp. quod ſyllogiſmus eſt cum totum organicum conſtans eſſentialiter partibus per ſe mouentibus, & per ſe motis, & perinde facit ſcire, & conſiſſionem, non adæquatē ſed ratione partium principaliorū, quæ via compositionis ſunt præmiſſæ: & conſiſſio formalis facit ſcire obiectiuam, & conſiſſio obiectiua artiſcicole diſpoſita facit ſcire, quod latet in præmiſſis, & quod ea veritas eſt neceſſaria.

*Dub. 4. An omnis inductio sit consequentia formalis?*

**C**um consequentia, seu argumentatio diuidatur in syllogismum, enthimema, inductionem, & exemplum, ad ostēdēdum, quod hæc diuisio sit bona, & uniuoca, ut putat Masius in lib. priorum sect. v. nic. q. 5. multum conducit resolutio huius dubij. Sed antequam ad eius resolutionem accedam, ostendendum est, quod præfata diuisio sit bona, & uniuoca; sic enim aperietur via ad decisionem dubij. Et prob. nam argumentatio, & consequentia nihil aliud est, quā processus ab uno in aliud, & motus intellectualis ex noto ad ignotum procedens cum quadam infallibilitate, at hoc verificatur in præfata, cum omni proprietate, & æqualitate in modo procedēdi: ergo diuisio est bona, & uniuoca. Prob. min. Huiusmodi processus, aut est à toto ad partes, & sic procedunt enthimema, aut syllogismus, vel à partibus ad totum, & sic procedit inductio, aut à parte ad partem, & sic procedit exemplum: ergo. Nec obest, quod exemplū videtur deficere à ratione consequentiæ, cum in illo possit dari antecedens verum, & consequens falsum.

Resp. tamen, exemplum esse instrumentum ad luadendum; & sic moralem certitudinē inferre: & sic non deficit, sed moraliter est bona consequentia, quod sufficit ut argumentatio, & consequentia bene, & uniuocē diuidatur in hæc mēbra,

quia quodlibet ex illis argumentando, & discurrendo consequitur suū finem infallibiliter, & artificiosē.

*Unica conclusio.*

2 Omnis inductio est consequentia formalis, non est adeò certum, an descensus sit inductio, plures enim dicunt, quod solum dicit inductio progressum à singularibus ad uniuersale; sed quia in communi usu loquēdi inductio dicit, tam descensum, quā ascensum; ideò dixi, quod omnis inductio si seruentur leges, est consequentia formalis in vi inductionis.

3 Et quidem inductionem, ut dicit descensum copulatiuum, esse bonam consequentiam. Patet, quia hic descensus, *omnis ignis calefacit: ergo iste, & iste; & sic de singulis.* Patet, quod est consequentia, quæ nequit instari: ergo est formalis consequentia. Quod autem inductio, ut dicit ascensum disiunctiuum, sit etiā formalis consequentia, manifestum est, cū nec possit instari ista, *hic homo currit, vel hic homo non currit: ergo homo currit,* quia in ea sicut, nec in præcedenti dari nequit astec. verū, & cōseq. falsum: nec instari potest in simili forma: idē dico de descensu disiunctiuo, si enim est verū, quod aliquis homo disputat, fieri nequit, ut sit falsū, quod hic, vel hic disputat, idemque patet in ascensu, & descensu copulato, & disiuncto. Nec valet dicere, eos ascētus, & descētus esse quidem formales consequentias, sed non in vi inductionis, sed quia admiscentur alijs loci arguendi infallibiles.

Nam contra est, quod solum ascēdendo ad leges inductionis, & ascēsus disiunctiui, aut descensus copulatiui, in doctrina data illa consequentia instari non potest: ergo esto duplici titulo illa consequentia sit formalis, tamen negari nō debet, quod in vi consequentiæ induciūæ, & ex vi suæ formæ sit formalis consequentia si in vi suæ formæ instari nō potest. ¶ Præterea, illi ascensus, & descensus, non accidentaliter, & contingenter, sed per se, & ex vi suæ formæ artificiosæ, petunt coniungi cum illis principijs, & regulis indefectibilibus, at quod essentialiter petit connecti cum regula infallibili, quamuis non sit ipsa regula ab intrinseco, & ex vi suæ formæ, est tamen indefectibile (hac enim ratione dicitur, quod beati sunt ab intrinseco imperabiles, & similiter Christus ex eo, quod supposito illo statu est necessaria exigentia coniunctionis cum regula rectificante voluntatem:) ergo. Quod vero eam coniunctionem exigant tales ascensus, & descensus: patet, quia inductio ex vi suæ formæ petit procedere ab vniuersali distributo ad singularia copulatiue, & ex particulari ad singularia disiunctiue, & ascendere disiunctiue à singularibus ad vniuersale in definite sumptum. ergo petit quod sibi coniungatur alij loci, qui huiusmodi prosecutionem, tanquā propriam materiam rectificant.

4 Tota ergo difficultas deuoluitur ad inductionem, quatenus dicit ascensum copulatiuum à singu-

laribus ad vniuersale distributū progrediendo: si enim hic progressus ex vi suæ formæ fuerit formalis consequentia, in dubium erit omnē inductionem esse ex vi suæ formæ formalem consequentiam. Et quidē supponendo; topicam consequentiam, esse consequentiam formalem ex vi formæ, quia non habet pro fine gignere iudicium infallibile in intellectu, sed solum iudicium probabile, & hoc ex vi suæ formæ infallibiliter consequi, si seruet leges consequentiæ topicæ: certissimum erit inductionem sumptam pro ascēsu copulatiuo esse consequentiam formalem; quia reuera ex se consequentia topica est: eo, quod cū omnia singularia, quæ ad sensum habentur eodem prædicato gaudeant, nec sensus oppositum expertus est, nec adest ratio dubitandi de alijs intellectus, topicè attribuere vniuersali illud prædicatur; absque dubio poterit.

5 His positis prob. quod inductio sumpta pro ascensu copulatiuo, sit consequentia formalis: supponendo prius quod ad hoc; quod aliqua sit consequentia formalis nō est curandum de antecedentis veritate, quia argumentum non est instrumentum ad cognoscendam veritatem antecedentis, sed supposito antecedenti disponit intellectū, vt eo dato, vel posito consequentia sit euidentis; ideoque consequentia ex falsis constans potest esse priorissime consequentia formalissima. Inquirimus ergo, an inductio ex vi formæ,

me, & dispositionis prioritice sit formalis consequentia. Et prob. quod sic; tum, quia ut ait Arist. 1. poster. cap. 14. & D. Tho. ibi lect. 30. inductio est instrumentum medio, quo ex notitia sensuum approbata ab intellectu cognoscuntur prima principia; & loquimur de illis principiis, quæ non sunt dignitates; quia intellectus omnem notitiam habet à sensibus, & sensu deficiente nequit cognoscere illa principia, atqui cognitio principiorum est evidentissima: ergo si illam habet intellectus ex inductione acquisita per sensus, instrumentum inductionis debet esse evidentissimum, & notissimum apud nos, ex vi sue formæ. Prob. consequens veritas conclusionis nequit esse evidens, & certissima, nisi instrumentum, quo acquiritur sit evidentissimum, & connexio cum antecedenti sit evidentissima. Quod vero cognitio principiorum in intellectu fiat ex præexistente cognitione inductionis habitæ per sensum, docet Arist. tum 1. post. cap. 1. secundum primum interpretationem, ibi, *omnis cognitio, omnisque disciplina intellectualis ex præexistente fit cognitione*. Tum 2. poster. cap. ult. & 6. ethic. cap. 3. clarius docet quomodo experientia plurium singularium sit principium per se notum in intellectu, sicut ex pluribus qui se adiungunt in unam cuneum, uno post alterum veniente sit principium belli: omnis ergo cognitio principiorum ex inductione sumpta pro ascensu copulatio fit; vera est ergo mai. min.

certa, & consequentia ex dictis nota.

7 Sed resp. quod inductio non est instrumentum, ex quo per se fit cognitio principiorum, sed est conditio, sine qua non; & ideo non est necesse, quod sit consequentia formalis, sed ad hoc, quod termini sint noti, ponitur antecedenter experientia sensuum, at assensus non fit ex inductione, sed ex ipsa terminorum per se manifesta connexione, & immediata habitudine. Sed contra est: nam esse sit verum, quod assensus principiorum non pōdeat ab inductione, tanquam à ratione probatiua, alioqui iam inductio esset perfectior in ratione modi sciendi, quam syllogismus, & demonstratio, siquidem communicaret certitudinem ipsis principiis, quæ certiora, & evidentiora sunt, quam omnes conclusiones demonstratae, & iam ratio assentiendi principijs non esset immediata, & seipatens connexio terminorum, & assensus principiorum esset actus discursus, & non secundæ operationis, siquidem ex motu, seu cognitione intellectuali singularium acceptorum à sensu, tanquam ex antecedenti ferret ille assensus. Tamen est per se conditio requisita essentialiter ab assensu principiorum, quod est certum (alioqui posset esse in intellectu cognitio alicuius principij, cuius non fuisset inductio accepta à sensibus, & perinde deficiente sensu aliquo à principio natiuitatis posset esse scientia circa illud obiectum) at cognitio per se evidens nequit per se

se pendere, nisi à cognitione euidēte, & infalsificabili, quia necessariū non pendet per se, etiam tanquam à conditione ab eo, quod est contingens: ergo si non esset euidens, & necessaria consequentia, ipsa inductio non per se penderet ab illa cognitione principiorum; & dato, quod penderet à noticia vnus singularis, vtdaretur species impressa, tamen non penderet à cognitione inductiua; vt quid enim per se exigeretur cognitio inductiua plurium, si certitudo, & euidencia principiorū, non penderet, tāquam à conditione per se exacta, saltim ab illatione, quā habet cognitio experimentalis singularium ad colligendam veritatem vniuersalem in intellectu? Si enim esset incerta, & fallibilis illa collectio vniuersalis ex singularibus, per accidens se haberet, & nō per se, ac perindē etiam si non præcederet inductio, dūmodo præcessisset cognitio vnus singularis, equē bene se haberet intellectus ad cognitionē principij vniuersalis.

8 Si dicas primo. Depēdere per se connaturaliter, sicut fides pendet ex auditu non per se essentialiter, sicut etiam sine auditu fides infundi potest à Deo. ¶ Secundo dato, quod inductio sit consequentia euidens, & quod ab illa pendeat intellectus, tanquam à consequentia euidenti materiali, non tamen pendet ab illo, tanquam à consequentia formali.

9 Sed cōtra primum est, quod fides per se est habitus infusus; &

ideo non pendet per se, nisi à Deo, non tamē à speciebus immixtis per auditum, nisi ad seruādum modum connaturalem: at cognitio intellectus nostri per se est acquisita per sensus, & per accidens solum potest acquiri sine sensibus (Deo miraculose infundente species) at quidquid per se requiritur ad acquisitionem ex sensibus, per se essentialiter exigitur à cognitione intellectus, & oppositum est per accidens: ergo inductio quæ per se requiritur ad acquisitionem cognitionis principiorū, quantum ad notitiam terminorū, & assensus principiorum per se pēdet ab inductione, tanquam à conditione essentialiter exacta, vnde, & Arist. 1. post. cap. 33. dixit, quod *ad discimus, aut demonstratione, aut inductione: impossibile autem est vniuersalia speculari, nisi per inductionem, quoniam, & quæ ex abstractione dicuntur erunt per inductionem nota, si quis voluerit nota facere, &c.* Vbi est aduertendum, quod sicut docet Arist. esse impossibile speculari vniuersalia, nisi per inductionem, ita verbis proximē antecedentibus dixerat, quod impossibile est habere scientiam de aliquo sine sensu, sed hæc secūda impossibilitas est per se, & infert per se necessitatem sensus in scientia per se acquisita: ergo secunda impossibilitas etiam est per se, & infert necessariam dependentiam intellectus ab inductione quoad specularanda principia.

10 Contra secundam vero solutionem est. Quod si inductio quatenus

tenus est enumeratio singularium, & infert notitiā vniuersalem, est euidens consequentia, hoc non habet ratione materiæ, sed ratione formæ: ergo est cōsequētia formalis. Prob. antec. Tum, quia enumeratis sufficienter singularibus, nequit ea consequētia infiri. Tum, quia eam euidētiā consequentis nō infert ex materia, siue enī sit in materia remota, siue in contingenti, siue in necessaria: dato aut. quod hic, & hic homo est albus, & dato, quod idem sit de singulis, ex vi huius modi argumentandi, negari, aut falsificari non potest, quin omnis homo sit albus, vel quin propositio vniuersalis sit vera.

Quod autem ea consequentia inferatur ex vi artificiosæ dispositionis antecedentis, docet Arist. 1. lib. prior. cap. 29. vbi ait, quod ex inductione est syllogismus, quia ex quo inductio monstrat medium in esse extremis, sicut syllogismus medium vni cum extremis, & media ea vniōne extrema conuenire inter se: ergo sicut euidētia syllogismi est consequentia formalis, quando ex vniōne mediij cum extremitatibus infert extrema vni inter se, ita etiam erit consequentia formalis, quando inductio ex eo quod mediū conuenit singularibus, infert, quod media conuenit omnibus in vniuersali. Es ergo ipso ac conceditur inductionem esse consequentiā euidētem, debet etiam cōcedi, quod est formalis.

II Dices, inductionem in-

niti principio fallibili. quia non valet consequentia, nisi omnia singularia enumerentur, & hoc est impossibile cuiuscumque homini in singulari.

Sed contra est, quod nulla formalis consequentia pendet ex veritate antecedentis, sed solum ex connexionē antecedentis, si detur, cum consequenti; ita vt nequeat esse verum antecedens, & consequens falsum; vel dari, & concedi antecēdēs vt verum, & negari consequens tanquam falsum: & hoc in nitendo in aliquo principio infallibili, & per se noto à quo reguletur bonitas illius illationis, sed hoc habet inductio: est ergo cōsequētia formalis. Prob. min. quia nequit dari, quod hic, & hic ignis calefacit, & sic de singulis, & negari simul, quod hoc dato sit falsum, quod omnis ignis calefacit. Aliās hoc regulatur principio infallibili; nam sicut est certum, quod que sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se. Ita est principium præscriptū ab Aristot. hoc lib. 1. prior. cap. 29. quod medium, quod est idem cū singulis subiectis in singulari, est idē etiam cum subiecto concepto in vniuersali. Per accidens autem est, quod hic homo nequeat numerare singularia omnia, nec ad hoc attendit forma consequentiæ, quæ nō curat de antecedenti quātum ad vim prioriticam. Et reuera cum plurima enumerantur, & non apparet maior ratio de alijs, non est cur non assentiatur alijs, dicendo, hic ignis calefacit, & hic, & sic de alijs.

Vel reddatur ratio, vnde scit intellectus modo, quod omnis ignis calefacit, vel cur hoc sit principium immediatum nisi quia ab experientia singulorum, & ab eo, quod non est maior ratio in alijs colligit, quod sic est de alijs; quos non est expertus, & deinde assumit tanquam principium, quod omnis ignis calefacit?

12 Tum etiam ad hoc, quod à diuiso ad mēbra diuidentia sit consequentia formalis, & à negatione, aliorum ad positionem vnius; non requiritur omnia illa quæ negantur, sygillatim cognoscere; quippe cum hoc sit difficile, aut fere impossibile nobis omnes differentias, quæ latent sub genere animalis, sygillatim cognoscere, vt docet Arist. 2. poster. text. 20. cap. 8. sed sufficit per æquiuocitatem eas numerare dicēdo hoc est animal, & non est irrationale: ergo rationale, non quia ea negatio differentię locum habeat cum diuisum debeat includi in membris diuidentibus (cum tamen in negatione non contineatur diuisum posituum, vt notat Arist. 6. topic. cap. 3. & 2. lib. de part. anim. c. 3.) sed quia negatio illa ponitur pro posituo æquiuocanti, & loco omnium differentiarum, quæ non cognoscuntur, & remouentur: ergo vt in dictio ut consequentia formalis non requiritur experiri singularia omnia in se, sed sufficit plura cognouisse, & loco aliorum, quæ experiri non possunt ponere, *Sic de negatis*; cum enim est eadem ratio de alijs, nec apparet vl

la ratio dubitandi, non est cur non admittatur. Prob. cōseq. nam sic admissa notitia singularium, dari non potest antec. verum, & consequ. falsum, & antec. continet consequens, & infert infallibiliter vniuersalē: ergo ex vi talis formæ est consequentia formalis.

13 Prob. tandem (ad suadendū ratione non ineficaci;) nam illa toties commendata ab Arist. inductio ad speculanda principia vniuersalia ad inueniendam eorum veritatem, aut est consequentia omnino inuutilis negatoria, & sophistica, aut est consequentia formalis, sed nō est credibile, quod sit cōsequentia omnino vitiosa cum sit commendetur ab Arist. & ab aduersarijs admittatur, tanquam utilis: ergo est consequ. formalis. Prob. consequ. eo non euet cōsequentia formalis, quia nullus experiri potest omnia singularia, & per consequens nequit inferre veritatem vniuersalem, & quia potest dari antec. verum, & consequens falsum. Sed hoc probat esse sophisticā, & manifeste vitiosam: ergo. Prob. min. quia si solum procedit à singularibus expertis ad vniuersale, nec sufficit pro non expertis ponere, *Sic de singulis*, cum est eadem ratio de alijs non expertis, & non est ratio cur non sit idem de illis: ergo arguitura particulari ad vniuersale; at qui consequentia sic procedans, non est topica, sed manifeste vitiosa, & inuutilis negatoria, & sophistica: ergo cum hoc non possit dici, tenendum erit, quod est cōseq. formalis.

*Solvantur argumenta.*

14 Pro opposita sent. quæ validos habet, & doctos propugnatores arg. 1. Inductio non procedit ab adæquata singulariū omniū numeratione, cū hæc sit cuilibet homini impossibilis, sed solā procedit à singularibus numeratis per sensum ad vniuersale distributū, sed sic est mala consequentia, vel ad minus non est bona, & formalis, sed tantum topica: ergo. Prob. min. consequentia formalis est in qua ex vi formæ repugnat dari antec. verum, & consequens falsum; at non repugnat metaphysicè (quamuis topicè, & regulariter bene inferatur) quod etsi verum sit, quod prædicatum aliquid à nobis attributum alicui singulari, vel omnibus, & singulis à nobis notis per experientiam deficiat id, ali quo à nobis non experto: ergo non repugnet metaphysicè dari antecedens, verum, & consequens falsum. Maior autem, quod scilicet inductio, seu huiusmodi ascensus copulatiuus à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale distributū solum procedat à singularibus notis per experientiam, & nō ab alijs omnibus. Prob. quia in hac consequentia proceditur ab antec. noto per sē suū, seu noto quoad nos, at qui in nobis nequit esse notitia certa de singularibus; nisi per experientiam sensuum: nam notitia singularium, quæ non est per sensum, fides humana est, quæ est incertissima: ergo solum procedit à singularibus notis

per sensum. Tū etiam, quia ab omnibus admittitur, quod non est idem, antecedens inductionis, ac adæquata resolutio vniuersalis: ergo nō est adæquata numeratio singularium, sed solam eorum quæ sunt nota per sensum.

15 Resp. quod etsi inductio formaliter non procedat ab omnibus, & singulis singularibus: æquivalenter tamen procedit, addita illa constantia, & sic de singulis.

Sed contra est: tum, quod inductio est consequentia innitens experientia, sed illa constantia nō addit experientiam omnium, nec est medium quo sit certum metaphysicè, sic contingere in alijs: ergo.

Dices, quod cum natura semper operetur eodem modo: si sint eadē circumstantia: sufficiens est principium ad certificandam notitiam de alijs quando longa experientia testatur, quod hic, & hic ignis calefacit, nec est ratio, cur non sit idem de alijs. Quod patet in medicina, & in scientijs naturalibus, quorum principia innituntur tantum inductioni, quia lumen principiorum nō est determinatum ad hoc, quod omne raubarbum purgat coleram, & quod omnis ignis calefacit, sed quia sic testatur experientia, & hos effectus operatur a natura talis herbae, & a natura ignis, quæ eadem est in omnibus singularibus, & sic, quavis ea consequentia procedat ab experientia aliquorum, & non omnium singularium formaliter: æquivalenter tamen procedit à notitia aliorum

omnium; in quibus natura est eadē, & ideo ponit illam constantiam, & *hōde singulis*; ita quod nec metaphysicē possit dari antecedens verum, & consequens falsum: nam si hoc non esset ita, nulla esset scientia naturalis, si quidem principia, quæ inniuntur inductioni, non essent certa metaphysicē.

16 Sed contra est, non esse euidēs per sensum, & eius notitiā; qua tanquam ab antecedenti procedit inductio, quod natura eodem modo operetur in omnibus indiuiduis: ergo nunquam potest esse euidens, quod sit idem de alijs singularibus, quæ non sunt nota per experiētiā. Tum etiam, quia lumina principiorum etiam in scientijs naturalibus, non inniuntur inductioni, tanquam rationi assentiendi, sed solum indiget illa vt conditione ad cognoscendos explicitē terminos, quibus notis quoad significationem, ratio assentiendi est immediata eorū terminorum connexio, quæ statim penetratur ab intellectu sine medio.

17 Resp. quod illa prædicata, in quibus tot singularia cōueniunt, non sunt indiuidualia: nam accidētia indiuidualia semper variantur; cum ergo sint prædicata orta à natura, rectē colligit intellectus, quod idem est de alijs, cum natura semper eodem modo operetur quoad prædicata propria, & sic facit inductionem, notādo plura indiuidua sub his circūstantijs, quod prædicatum est cōmunes pluribus eiusdem spe-

ciei indiuiduis, & quod non est cōmune alijs speciebus, & sic certissimē colligit idem esse de alijs, neque hoc posse esse falsum, etiam metaphysicē, & inde optimē infert vniuersaliter conuenire tale prædicatū toti naturæ: & sic facit principium.

Ad 2. impugnationem resp. quod principia vniuersalissima qualia sunt illæ dignitates, *quodlibet est, vel non est*: non inniuntur inductioni, nisi vt conditioni concomitanti, media qua recipit species, & notitiam terminorum, quia cum continent ipsum per se obiectum intellectus, quod est ens; & ideo se ipso ex habitudine terminorum determinatur intellectus ad assensum: at principia alia remota, qualia sunt principia medicinæ, & aliarum scientiarum, quæ probari possunt per metaphysicam à causis extrinsecis, quæ que etiam à doctissimis solent ignorari, & negari, & disputari non ita, quia cum statim non appareat connexio immediata terminorum, adhuc cognita significatione terminorum. Ratio assentiendi, & conuincendi illa, quia remota sunt prouenit ab inductione; & ideo necesse est, quod illa sit consequentia formalis, vel talia principia incerta sunt, & nulla detur scientia naturalis, vel ad minus pendent ab inductione, tanquam à conditione per se.

18 Potest ad totum hoc argumentum responderi, quod etiam per sensum nequeat haberi notitia certa aliorum singularium, quæ non ex  
peri-

peritur, tamen dato, quod hic, & hic ignis calefacit, & sic de alijs. Consequentia est nota, quia procedit ex parte notis, & infalsificabilibus, non absolute, sed ex positione, & hoc sufficere ad hoc, quod illa sit formalis consequentia, patet, quia ad formalem consequentiam prioristicam non spectat veritas antecedentis, seu necessitas materiæ eius: hoc enim spectat ad posterioristicam, sed quod ex vi formæ antecedens non possit esse verum, aut dari, ut verum: & negari consequens: nam dato, quod sit falsum in re, quod omnis homo sit albus: hæc tamen est formalis consequentia: *Omnis homo est albus, Petrus est homo: ergo Petrus est albus*; nam alia est ratio demonstrationis, alia consequentia formalis. Et Arist. 1. post. cap. 10. docet fieri bonam consequentiam ex præmissis, quæ etsi in se veræ non sint, tamen admittuntur ut veræ à respondente. Et hæc de hac difficili questione.

*Dub. 5. An regule bonæ consequentiæ assignentur recte à M. Soto.*

**T**res regulas assignat M. Soto in præsentia. Prima est in bona consequ. non potest dari antecedens verum, & consequens falsum: nam etsi ex falso aliquando verum, tamen ex vero semper verum inferitur. Unde sequitur, quod si consequ. est bona, & consequens est falsum, antec. est falsum, & quando antec. habet duas partes, si consequens est falsum, & altera pars antecedentis est vera, altera erit falsa. Secunda reg. in bona consequ. si antec. est possibili-

le, consequens est possibile, ex quo sequitur, quod si consequens est impossibile, antec. vel eius altera pars debet esse impossibilis. Tertia reg. in bona consequ. si antec. est necessarium, consequ. debet esse necessarium, ex quo sequitur, quod si consequens est contingens, antecedens non potest esse necessarium. Quæ omnia fundantur in eo, quod ex vero semper verum, & quod non potest esse antec. verum, & consequ. falsum, in bona consequ. unde oritur veritas secundæ, & tertiæ regulæ.

*§. 1. Prima regula recte assignatur.*

2 Est hæc regula desumpta ex Arist. toto lib. prior. & post. ubi eam reperit passim; & commune principium est apud omnes. Cuius ratio est, quia antecedens est causa consequentis, & nihil infert, nisi quod in se continet, sed verum est de genere bonorum: bonum autem est ex integra causa, & ideo si antec. est verum, nihil continet falsi; & ideo non potest sequi falsum ex vero: at falsum est de genere mali, quod contingit ex quocumque defectu: & ideo potest continere aliquid veri, sicut ex malo potest causari bonum aliquod, quia nihil ita malum, quod non contineat aliquid boni.

*Soluuntur argumenta.*

3 Sed contra arg. Antecedens est causa consequentis; sed non potest falsum esse causa veri: ergo ex falso non potest sequi verum. Prob. min. verum, & ens convertuntur, sicut falsum, & non ens: sed non ens

causa esse non potest entis: ergo neque antecedens falsum potest esse causa consequentis veri. Præterea, consequens est verum propter antecedens, sed verum nequit esse verum propter falsum, cum vnum oppositorum nequeat esse propter aliud, nisi ad summum in re lativis: ergo. ¶ Resp. quod verum nunquam potest causari ex falso, aut manifestari per illud; sed se habet permissiue, quia cum falsitate præmissarum potest stare veritas conclusionis.

Contra est, tum, quod verum, & falsum æquè opponuntur: sed falsa conclusio nequit stare cum veritate antecedentis: ergo nec veritas consequentis cum falsitate antecedentis. Tum, quia in bona consequentia consequens, vt tale, debet inferri ex antecedenti, & causari ab illo, ita vt intellectus in genere causæ efficiens determinetur, & simul formaliter ad assentiendum conclusioni, eo ipso quod assentitur præmissis. Si ergo consequens verum nõ causatur, nec sequitur, neque manifestatur à præmissis falsis, sequitur, quod vbi ponitur antecedens falsum, & consequens verum, non saluetur essentia consequentia, in qua sit connexio extremorum inter se ob connexionem extremorum cum medio. Tū denique, quia si fiat bona consequentia, in qua consequens sit verum, ex antecedenti falso, ex eo præcisè, quod non sequitur, neque causatur ex antecedenti nec ab illo manifestatur, sit quod ibi non sit consequentia, quia vbi consequens non sequi-

tur ex antecedenti, nulla est consequentia. Et vltius fit, nullam apparere repugnantiam, quod in bona consequentia detur antecedens verum, & consequens falsum; ita quod nec causetur, nec manifestetur falsum à vero: quia in hac sententia fiat bona consequentia, sine sequela consequentis ex antecedenti.

4. Quam obrem aliter resp. non esse absurdum, quod verum sequatur ex falso, nõ quatenus falsum, sed quia ratione propositio falsa potest continere aliquid veri, v.g. cum dico, omnis homo currit, si vnus solus non currat, & cæteri currant, est illa propositio falsa, & tamen continet plures singulares veras, & sic potest aliquid veri contineri, & ex se inferre per veram illationem, saltem consequentia rationali, licet non causalit (hec enim reduplicat formalitatem vltimam antecedentis) & sic bene sequitur, quod si omnis homo est arbor, & omnis arbor est sensibilis, etiã omnis homo sit sensibilis, non tamè quod quia omnis homo est arbor, ideò omnis homo est sensibilis. Vnde nego, quod falsum, & non ens conuertantur, sicut verum absolute, & adæquate conuertuntur cum ente, quia falsum licet non in ratione falsi, tamen specificatiue continere potest aliquid entis, & veri. ¶ Ad conf. dico, quod cum antecedens falsum continere possit aliquid veri, potest consequens verum esse propter antecedens falsum, nõ qua falsum, sed qua continet aliquid veri.

5. Si insites, quod in hoc syllogismo,

mo, omnis lapis est risibilis, omnis homo est lapis: ergo omnis homo est risibilis, in antecedenti nulla continetur veritas, & tamen infertur consequens verū: ergo falsum est, quod consequentis veritas causetur ex veritate antecedentis in bona consequentia. ¶ Resp. quod licet veritas intrinseca, & posterioristica non causetur ex veritate præmissarū, tamen causetur prioristice ex vi dispositionis terminorum in præmissis, & sic præmissæ continent aliquid veri virtualiter, & possunt causare in consequenti. ¶ Si inthes, quod sic se habet contingencia ad necessitatem, & negatio ad affirmationem, sicut veritas ad falsitatem, sed ex ant. negatio, aut contingenti, non stat inferre consequens necessarium, aut affirmatiuum in bona consequentia: ergo neque ex antecedenti falsa potest inferri verum. Prob. consequ. ex eo ibi non sequitur: quia conclusio sequitur debiliorem partem, sed debilior pars est falsitas: ergo. ¶ Resp. in primis, bene sequi ex antecedenti in vna parte contingenti consequens necessarium, vt patet in hoc syllogismo, omnis Philosophus mouetur in loco, omnis deambulans est Philosophus: ergo deambulans mouetur in loco. Sed dato ant. vt iacet, dico, non esse eandem rationem de falsitate, ac de contingencia, aut negatione: Quia cum ars consequentiæ fundetur in illo principio, *que sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se*, & cū aliqua præmissa est negatiua, extrema non variantur in medio, sed

potius remoueatur à medio, debet necessario remoueri inter se quoad formam prioristicam, & idem est de vnione cōtingenti cum medio, vbi virtualiter est negatio, & remotio extremorum cum medio, quia contingenter vnita, possunt esse vnita, & possunt esse non vnita; at veritas, vel falsitas non attenditur à forma prioristica, vt dictum est dub. antec. sed ad posterioristicam considerationem spectat, & ideo non est idem.

§. 2. Regula secunda est recte assignata.

6 Et patet ex prima: nam cum antecedens possibile dicat veritatē, & ex antecedenti vero nequeat inferri falsum, non potest inferri consequens impossibile ex antecedenti possibile. Cum autem consequens impossibile necessario, & semper sit falsum, & existente consequenti falso, nequeat antecedens non esse falsum, quia nunquam falsum potest inferri ex vero, sit quod si consequens est impossibile debeat antecedens esse impossibile.

*Soluantur argumenta.*

7 Contra istam assertionem arguitur. Cuius quod solū existant Leones in mundo, bene valet, omne animal est Leo, omnis homo est animal: ergo omnis homo est Leo, & tamen maior est contingens, & minor necessario, & consequens impossibilis, & repugnans: ergo. Præterea bene valet, Deus præsciuit fore Antichristum: ergo Antichristus erit, & tamen antecedens est contingens,

& consequens necessarium: ergo si antecedens est possibile, aut contingens, non sequitur, quod consequens debeat esse possibile, aut contingens. ¶ Resp. primam consequens non esse bonam, quia arguitur à restricto ad non restrictum affirmatiue; in maiori enim ly *omne animal restringitur ad existentia*; & in consequenti distribuitur pro omni homine absque vlla restrictione. Si autem sumeretur maior non restrictè esset impossibilis. ¶ Ad conf. resp. quod illud consequens absolute est contingens, & solum ex suppositione, & secundum quod est necessarium: sicut etiam decretum, seu præscientia futuritionis Antichristi, absolute est contingens, & ex suppositione necessaria, & in vi inferendi, & sic purificatur antecedens, & consequens in necessitate, & contingencia. Vide Huet. hic q. 18. art. v. nico ad ult. & D. Tho. 1. p. q. 14. art. 13. ad argumenta.

¶ 3. *Etiam tertia regula rectè assignatur.*

8. Cuius rectitudo constat ex dictis, quia si in bona consequentia nequit dari antecedens verum, & consequens falsum: & nequit esse falsum consequens, cum antecedens sit falsum, & propositio necessaria semper, & vniuersaliter est vera, et si est impossibilis semper, & vniuersaliter est falsa, sequitur manifestè, quod si antec. est necessarium, consequens debeat esse necessarium; et si consequens

est impossibile, antecedens debeat esse impossibile.

*Soluntur argumenta.*

9. Sed contra arg. in sentent. Arist. quod mundus fuit ab æterno hoc antecedens, *homo est*, necessarium est, & tamè inde inferitur legitime hoc consequens contingens: ergo *vel hic homo est, vel hic*: ergo in bona consequens potest dari antec. necessarium, & consequens contingens: tū etiam bene valet per simplicem conuersionem: *Album est corpus*: ergo *corpus est album*; & tamen antec. est necessarium, & consequens contingens: itè bene valet *homo albus est animal*: ergo *animal est homo albus*; & tamen antec. est necessarium ex D. Tho. in 3. dist. 10. q. 1. art. 1. q. 3. & consequens est contingens: ergo. Ad hæc, quæ communiter obijciuntur ex communi responsione satisfit dicendo, quod illa disiunctiua, quæ inferitur ex illa suppositione, etiam est necessaria; et si conficitur ex partibus contingētibus. Vel dic, quod et si mundus fuerit necessario ab æterno: non tamen fuit necessarium, sed contingens, quod fuerit homo in mundo; & sic antecedens est contingens. ¶ Ad 2. & 3. resp. quod ut ex vi conuersionis fiat legitima consequentia, necesse est copula in vtraque propositione se habeat eodem modo: at hic in vna sumitur accidentaliter, ly *est*; in alia vero essentialiter; ideoque non valet consequentia.

Sed de his satis; quibus finis imponitur isti tractatui.

TRACTATUS SECVNDVS.

DISPVATIO PRIMA.

De enunciatione in communi, eiusque  
 \* \* \* diuisionibus. \* \* \*

DVBIVM PRIMVM.

*An diffinitio enunciationis sit rectè tradita?*

**A**Vthor opusc 48. tractatu de enunciatione c. 4. & M. Soto, communiter que recentiores Thomistæ sic definiunt enūtiationem. *Est oratio verū, vel falsū significans.* At D. Tho. 1. perh. lect. 7. cum Arist. aliter definiat; sic nempe: *est oratio, in qua verum, vel falsum est: aut, quæ est vera, vel falsa.* Sed in idem redit vtraque definitio, quia vt docet D. Tho. 1. p. q. 16. art. 1. *Oratio dicitur vera, quatenus est signum intellectus veri; si sit vocalis, aut scripta, at si sit mentalis declarat ibi esse verum, in quantum manifestat veritatem, vel adæquationem intellectus cum obiecto, & eius esse: vnde ibidem art. 8. ad 3. *propositio (inquit) dicitur habere veritatem speciali quodammodo, in quantum significat veritatem intellectus.* Idemque proportionaliter explicat S. D. de propositione falsa,*

ibidem q. 17. art. 1. & 3. Idem est ergo quoad sensum, quod enūtiatio, seu proposito sit oratio verū, vel falsum significans, & quod sit oratio vera, vel falsa, seu in qua est verū, vel falsum.

§. 1. *Præfata diffinitio enuntiationis bona est.*

2. Probatur facillè ex doctrina D. Tho. 1. perh. lect. 7. Diffinitio instrumenti explicans eius naturam per ordinem ad finem, ad quem instituitur, & per vsum, & exercitium, ad quem assumptibile est, optima est, vt constat in omnibus instrumentis; cum enim eius natura conueniat in hoc, quod sit medium quoddam ad consequendum finem intentum à principali agente, melius explicari nequit natura, quam per huiusmodi habitudinem ad talem finem, sed

enunciatio, qua intellectus componendo, & diuidendo intendit aliquid veritatem, vel qua fallitur, est instrumentum per se institutum ad huiusmodi veritatem percipiendam, vel falsitatem incurrendam, & hoc præstat, quatenus significat verum, vel falsum, non per modum signi simplicis, sed per modum signi complexi, seu orationis perfectæ manifestatis ignotum: ergo enunciatio optime definitur per præfatam definitionem. ¶ Præterea traditur per proprium genus, nempe per orationem, per propriam differentiam, quæ consistit in significare verum, vel falsum, quatenus significat esse, vel non esse rei, prout est, vel non est in re; sed definitio tradita per proprium genus, & differentiam est bona: ergo. Min. constabit ex solutione argumentorum. Non addidi illam particulam *indicando*, quia tracto de enunciatione, vt abstrahit a categorica, & hypothetica, & illa particula *indicando* tantum competit categoricæ.

*Soluntur argumenta.*

3. Contra arg. 1. Hæc definitio, neque conuenit omni, neque soli enunciationi: ergo non est bona. Quod non conueniat omni, prob. in hac propositione, *homo est animal est propositio*, *ly nullo est animal* est vera propositio, cum consistat subiecto, copula, & prædicato; & tamen non significat verum, vel falsum, siquidem ibi solum est una veritas ratione copulæ principalis. Tum, quia est extrema propositionis categoricæ, cui

non competit significare verum, vel falsum: ergo. ¶ Conf. 1. propositio hypothetica purè conditionalis est verè propositio, & tamē neque significat verum, neque falsum, siquidem conditionalis nihil ponit in esse: ergo. ¶ Conf. 2. Propositio se falsificans, v. g. *hæc, ego mentior*, non significat verum, vel falsum disiunctiue, sed verumque copulatiue. Nam si sic est, falso assero me mentiri, aut dicere falsum, & tamen verum est, quod dico. Si autem non est sic, verè assero me falsum dicere: ergo hæc definitio non conuenit propositioni se falsificanti. Quod verò non illi competat prob. Tum, quia hæc oratio, *hominem esse animal*, non est propositio, vt dant omnes communiter; & tamen significat verum, vel falsum, siquidem potest verè dici, *hominem esse animal, esse verum*. Tum, quia hoc complexum, *verum, vel falsum*, significat, quod sonat, & tamen non est propositio: ergo.

4. Resp. neg. ant. Ad primam probationem dico; illud complexum prout ibi, materialiter est propositionem, & formaliter est terminum complexum, & ideo non significare verum, & falsum, & hoc tantum sonat tota illa propositio, quod scilicet *ly homo est animal*, absolute, & specificatiue est propositio; non autē reduplicatiue, & prout ibi exercet munus extremi, & quia hoc conuenit illi per accidens affirmatur, quod per se est propositio; sed extra huiusmodi statum. ¶ Nec obstat, quod intentio termini est opposita intentioni pro-

positionis, & quod nulli potest, etiā per accidens, conuenire oppositum eius, quod per se conuenit. Nā resp. ex alibi dictis agendo de natura uniuersali. Quod oppositū eius, quod est per se, nec per accidēs potest per se competere, at per accidens, & nō per se, sed accidentaliter potest conuenire. ¶ Ad 1. conf. quod purā conditionalis non habet veritatem, neque eā requirit determinatē in propositionibus categoricis, vel etiā in uisitationis; at in vi hypotheticę habet veritatem hypotheticam, ut patet in hac, *si homo uolaret, haberet alas.* ¶ Ad 2. quod propositio se falsificans, cū sit reflexiua, & quasi modalis de dicto, equiualeat duabus propositionibus, quia refert se ad dictū diuinctum; & sic nō copulatiuē, sed tantum disiunctiuē gaudet ueritate, vel falsitate, quatenus est sic, vel non est sic id, de quo affirmat esse mendacium.

Ad primam prob. pro 2. p. dico, sensū illius propositionis esse, quod illud dictum, *hominem esse animal*, si debito modo proferatur, est uerum enunciabile; non uero quod sit propositio uera, etiā si solitariē proferatur: sed quod si dicas, *homo est animal*, erit uera propositio. ¶ Ad 2. quod *ly uerum, & falsum* significat, quod sonat signatē; non autem exercitē, sicut requirebatur, ut esset propositio; sicut si dicas, *cum tempore*, non est uerbum; quia signatē, & non exercitē hoc dicit. ¶ Si instes: hoc dictum, *propositio est uera, aut falsa*, signatē hoc significat; & tamen est

uera propositio: ergo etiā *ly uerum, uel falsum*, crit propositio.

Resp. quod illud dictum exercitē reflexē significat ueritatem in actu signato per uerum iudiciū, quod quia non habet *ly uerum, uel falsum*, quod solum signatē, & sine iudicio mentali hoc habet, ideo non est propositio, sed purē terminus complexus.

5 Arg. 2. Nullum diffinitum potest constitui per opposita; sed hæc diffinitio traditur per *uerum, uel falsum*, quæ sunt opposita: ergo non est bona, cum nequeat benē explicare naturam sui diffiniti. ¶ Dices, illas rationes nō esse oppositas, quia nō traduntur copulatiuē, sed disiunctiuē, & sic non repugnant diffinito.

¶ Contra est, quod constitutum rei, quod explicat diffinitio, debet illi adæquari; at res determinata non potest constitui per rationes disiunctim, & uagē sumptas, quales sunt *uerum, uel falsum*: ergo. Tum, quia eo sic diffinitur, quia manente eadē propositione, & significatione eius, potest transire propositio de uera in falsam: sed quod sic conuenit, nec est de essentia, nec propria passio rei diffinitæ: ergo hæc diffinitio sic explicans naturam propositionis non est bona, cum neque sit descriptiua, nec quiditatiua, sicut nō benē diffiniretur corpus per esse album; uel nigrum: nam cum essentia sit determinata, etiā passio debet esse determinata; ac perinde hæc diffinitio traditur per accidentia communia. Præterea, hæc diffinitio, quæ datur

per opposita disiunctiue, notius est diuisio: at talis diuisio neque conficit definitionem, neque viam ad hoc parat. Nam etsi diuisio prædicatorum superiorum viam sternat ad definitionem, quatenus sic inuenitur proprium genus; at diuisio diffinitæ speciei viam non parat ad diffinendam ipsam speciem; sed supponit definitionem: ergo. ¶ Resp. quod etsi constitutum rei omnino absolutæ debeat esse determinatum, tamen si res sit comparabilis ad diuersa, eius determinatio consistit in hac ipsa comparabilitate, quæ est determinata ex parte subiecti, & indeterminata respectu termini comparationis, vt patet in loco in ordine ad superficies, & in quantitate, cuius passio est posse esse æqualē, vel inæqualē, propositionis ratio consistit in enunciatione rei, cui si æquatur est vera, si non æquatur falsa, etsi res mutetur, vtrūque habet successiue hæc mutatione sui, & ideo optimè diffinitur per significare verè, vel falsè; & sic falsitas, aut veritas disiunctiue est propria passio eius, & radix huius est essentia eius, sicut in quantitate esse æquabilem, vel inæquabilem. Per quod ad argum. & 1. conf. Ad 2. Resp. quod si verum, vel falsum diuiderent essentialiter propositionem, non posset artificialiter diffiniri per hæc. Ceterum per esse radicem vtriusque proprietatis disiunctim optimè potest diffiniri, sicut & quantitas per radicem æqualitatis, vel inæqualitatis; et si in omnibus non teneat exemplum, quia æqualitas, vel inæqualitas est

passio passionis, nempe extensionis localis; non autem extensionis ad se, quæ est de essentia quantitatis.

6 Arg. 3. Tertia operatio intellectus est discursus, & tamē supra dixi, ibi etiam esse iudicium, & veritatem: ergo significare verum, vel falsum non solum conuenit propositioni, quæ est actus secundæ operationis, sed etiam discursui, qui est syllogismus: ergo non est bona diffinitio.

¶ Dices, quod tertia operatio habet significare verum, vel falsum, quatenus discurrendo etiam componit propositionem hypotheticam, non quatenus infert per modum syllogismi, & negatur, quod in sola secundæ operatione sit propositio.

Contra est, quod conclusio, vt illata est vera, vel falsa, & tamē vt sic, non est pars propositionis hypotheticæ, sed syllogismi; quia talis propositio componit vnam categoricam cum alia; non autem deducit vnam ex alia: at conclusio vt deducta est veritas mediata, & non alias: ergo tertia operatio vt talis gaudet veritate, & falsitate, & eam significat. ¶ Resp. quod conclusio habet tres formalitates, & est categorica, & sic habet suam veritatem, vel falsitatem ex se, & potest vera male, & falsa bene inferri, & habet esse pars motus discursui, & sic solum bene, vel male inferitur, & habet componi cum præmissis, & sic est vera inadaquate hypotheticè; & hæc omnia habet tertia operatio inadæquate, quia cū sit perfectissima præstat, quod alias præstarent prima, & secunda,

da, perfectiori modo; & cū dicitur conclusionem, vt illatam esse veritatem mediatam, ly vt sumitur specificatiuè, non verò reduplicatiuè, vel sumitur causaliter, non formaliter: quia tertia operatio, vt resolutoriè iudicet, & componat hypotheticè veritatem mediatam cum immediata, artificiosè deducit vnā ex altera, & inuoluit varias formalitates.

§. 2. *Diffinitio tradita à quodam Neotheroico defectuosa ostenditur.*

7. P. Lincus lib. 4. dialect. trac. 1. c. 3. relatis, & refutatis, nō minus quam decem diffinitionibus propositionis nouam inuenit, quam nisi attentissimè legas, vix percipies. Ait ergo. *Propositio est actus intellectus incompensibilitatis in eodem intellectu; seu oppositionis physice cum alio circa idem obiectum ex diuerso tendēdi modo capax.*

8. Sed non esse bonam constat. Tum, quia diffinitio debet esse clarior diffinito, hæc verò longè est obscurior. Tum, quia non traditur per genus proximum, quod est oratio; sed per remotum, quod est actus intellectus, & ideo est mala, sicut si hominem diffiniret per substantiam rationalem, quod reprobatur Aristot. Tum, quia conuenit orationi optatiue efficaci; hæc enim est actus intellectus, & capax incompensibilitatis cum alia ex diuerso modo tendēdi: nam si efficaciter optas vitam, non poteris efficaciter optare mortem. Tum, quia actus fidei ex

se est incapax in nostra sententia ad mittendi visionem claram eiusdem obiecti: ergo conuenit alijs à diffinito. In sententia etiam Societatis, oratio indicatiua probabilis admittit iudicium euidens de eodem per diuersa media, sicut propositio de fide, & visus intellectualis, & tamē cum sint propositiones, non conuenit illa incapax: ergo non conuenit diffinitio omni propositioni. Tum, quia capacitas incompensibilitatis cum alia re nimis remotè, & quasi per negationē explicat naturam positivam; ac si quis diceret, hominem esse substantiam incompensibilem, seu capace incompensibilitatis cum irrationali: non ergo est recta, nec perspicua hæc diffinitio.

Præterquam quod satis est probabile, imò & certum, non posse intellectum intelligere plura, vt plura, etiam per simplicem apprehensionem: ergo si semel intelligit per simplicem apprehensionem hominem, & eius quidditatem, non poterit intelligere non hominem, seu illum per quidditatem diuersam apprehendendo hominem cum predicato irrationalitatis: actus ergo ille primæ apprehensionis est incapax incomprehensibilitatis in eodem intellectu de eodem obiecto diuerso modo (quam est) intelligendi, & hoc independentē à iudicio; imò maior repugnantia est, quod simul apprehendat idē, vt hominē, & nō hominem, vt rationale, & irrationale, quam quod hoc iudicet, cuius

iudicium potest habere diuersa motiua fallacia: simplex autem apprehensio simpliciter rem attingit vt species repræsentat eam: ergo numquam fallatur, quod hæc definitio non competit simplici apprehensioni. Nec effugia, quæ tradit Lincæus oppositum suadent. Nam etsi intellectus apprehendens hominē, audiendo nō hominem, etiam hoc apprehendat; nunquam tamen potest apprehendere circa obiectum vtrumque.

*Dub. 2. An præfata definitio propositionis sit quidditatiua?*

1 **P**Lura habet in se propositio, quatenus est artificiatū quoddam rationis. Nam secundum quod est totum habet relationem ad partes: quatenus est instrumentum cognoscendi esse, vel non esse rei, habet significare verum, vel falsum; cum autem hoc esse nequeat nisi cōparando extrema aliqua inter se, necessario habet enunciare vnum de altero, & sic habet plures formalitates; vnde variæ, & discrepantes exortæ sunt Thomistarū sententiæ; quæ in re non differunt: quia quælibet sub diuersa consideratione inadæquata considerat essentiam enūtiationis.

*Vnica conclusio.*

2 Præfata definitio optimè explicat quidditatem enunciationis, & est quidditatiua. Quod probō. Tum, quia Arist. & D. Tho. hæc, & non aliam assignarunt: sed nō est

credibile, quod non tradiderint quidditatiuam, & optimam definitionem: ergo. Tum, quia in hac definitione subintelligitur, quod sit totum integrum, & perfectum in genere orationis, & per consequens, quod componatur ex terminis tanquam ex partibus: subintelligitur etiam, quod enūtiando hoc præstet, alioquin non significabit verū, vel falsum. Vteriq; explicatur, quod sit instrumentum institutum, vt intellectus cognoscat verum, & falsum: quidditas autem instrumenti in vñu, & aptitudine, in ordine ad finē habet suam specificationem: ergo est quidditatiua, & bona definitio.

3 **C**onfirmatur. Tum, quia instrumentum optimè definitur in ordine ad finem, vt ait D. Tho. 2. physic. in princ. & 1. perh. lect. 7. Tum, quia definitio, quæ datur per causā finalem, quasi includit alias, & est formalior, vt ait D. Th. 2. poster. lectione 8. q. 14. de verit. art. 5. & in 2. dist. 9. q. 3. art. 1. ad 4. de quo videri potest Bergom. in concord. dub. 5. 12. sed hæc traditur per causā finalem, siquidem finis enūtiationis est repræsentare intellectui verum, & falsum: ergo est formalissima inter quidditatiuas.

*Soluntur argumenta.*

3 Nec obstat contra obijcere. Arist. lib. 1. prior. explicuisse quidditatem enūciationis, cum dixi, quod est alicuius de aliquo affirmatio, vel negatio. Et D. Tho. 1. poster. capite 2. quod est, in qua vnum de altero enū-

stat ut: ergo prima probatio conclusionis ruit. ¶ Resp. ibi diffinisse Arist. propositionem, ut præmissa est in syllogismo, & quatenus attenditur eius qualitas ad inferendum affirmatiuè in modo, & figura, non autem in ratione enuntiationis ordinatæ præcisè ad significandum verum, vel falsum, ut modo agimus de illa, quæ autem sit differentia in his nominibus explicui in Dialectica parua lib. 2. cap. 2. nu. 1. In secundo autem loco D. Tho. potius tradidit definitionem quid nominis, quam quid rei, sicut cum Arist. diffinit qualitatem dicendo, *quod est quæ quales esse dicimur*. Vel solum tradidit sub vna ratione inadæquata enunciandi, quia ibi non agebat expressio de hac re.

4 Nec obstat 2. quod eadē numero propositio immutata manēs potest modo significare verum, modo falsum, ut ait Arist in prædicam. substant. circa finem, at essentia manet integra, & immota, & quod mutatur in mota essentia est accidens: ergo hæc diffinitio traditur per aliquid accidentale: ergo non est quidditatiua. ¶ Dices, quod licet actualis veritas, vel falsitas sit accidēs, & mutari possit, tamen radix huius, quæ consistit in significare esse, vel non esse rei, essentia est. ¶ Contra est: nam hæc diffinitio non explicat nisi significare verū, vel falsū: at hoc ipsum variatur per extrinsecā mutationem obiecti, manente essentia propositionis: ergo hæc diffinitio non explicat essentiam, & radicem,

quæ est immobilis, sed id quod est accidentale: ergo non est quidditatiua.

Resp. quod ly *significare* non debet sumi pro actu, sed pro radice significandi, quæ consistit in significare esse, vel non esse rei, & quia hoc modo significare (quod manet immotum, etiam si mutetur obiectū) quando adæquatur cum esse rei, ut est in se, cum veritate est, & cum non conformatur, cum falsitate, & hoc habere disiunctiuè essentialiter habet propositio, sit quod hæc diffinitio sit quidditatiua. ¶ Præterquæ quod etiā si finis accidat rei (ut constat in nostra beatitudine) tamē ordo ad finē (maximè in instrumento) essentialis est, & diffinitio explicans eius quidditatem per talem ordinem quidditatiua, & optima; at sic fit in præsentī: ergo diffinitio est quidditatiua.

5 Nec obstat insistere tertio; quod hæc causalis est utraque; ideo propositio significat verum, & falsum, quia enunciat, & non è contra (nisi forsā à posteriori) at diffinitio quidditatiua (cum sola positione differat à demonstratione, ut dicitur 2. posterior.) debet explicare rem per primam causam formalem omnium, quæ illi competunt: sit ergo consequens, quod cum hæc diffinitio non explicet essentiam propositionis per enuntiare; sed per significare verū, & falsum; non sit quidditatiua.

Resp. quod enunciare est causa inadæquata, non vero adæquata significandi verum, vel falsum, si-

cut solet dici, quod in Deo immaterialitas est ratio intellectualitatis; & ideo, cum vltima ratio sit, que constituit, quia continet alias, & ponit vltimum terminum: (nam hac ratione definitio dicitur terminus rei, vt docet D. Tho. cum Aristot. 1. perh. lect. 4. & 5 metaph. lect. 18.) fit consequens debuisse definiti enunciationem quidditatiue per significare verum; vel falsum. Vel dic, quod etsi enuntiare sit causa formalis significandi verum, vel falsum, tamen sic enuntiare est ob significare verum, vel falsum, cum autem in instrumentis formalior, & potior definitio sit, que traditur per causam finalem, fit nostram definitionem esse optimam.

*Dub. 3. An eadem numero enuntiatio mentalis possit transire de veram falsam?*

**N**ON procedit questio de his propositionibus, que sunt in materia naturali, aut repuganti, que sunt immutabilis, & aeternae veritatis, aut falsitatis, sed de his, que sunt de praeterito, ad quod vt non fuerit verum, vel falsum, non datur potentia: nec de his, que consistunt in mutatione de praesenti: (si non potest eadem notitia transire de intuitiva in abstractiuam) sed procedit de propositione contingentium abstractiuam de praesenti, aut de futuro.



*Vnica conclusio.*

*Affirmatiua.*

**S**ic communiter Thomistae, videri potest M. Nauarrete 10. 1 in 1. p. controu. 64. & 72. M. Ioan. Mart. 1. p. metaph. disp. 12. art. 2. §. 2. & Suar. disp. 8. metaph. lect. 2. & est expressa sententia Arist. cap. de subst. cum dicat, *eadem oratio, & opinio potest transire de vera in falsam*, quod affert, vt explicet, quod substantia eadem numero manens potest esse susceptiua contrariorum, licet cum hac differentia, quod illa intrinsece mutatur, cum transit de frigida in calidam: at oratio transit per solam mutationem extrinsecam, & sic satisfacit cuidam obiectioni: ergo loquitur ex propria sententia, & non ex aliena, vt quidam finitè interpretantur. Et hanc esse sententiam Arist. testatur D. Tho. 1. p. q. 14. artic. 15. ad 3. & Caiet. ibidem §. *de sententiam*, & q. 17. art. 4. §. *circa primum*.

Conclusionem nostram docet D. Tho. in 1. dist. 19. q. 5. art. 3. ad 5. *In propositione vt est signum rei, veritas est per adaequationem ad rem illam: mutata autem re tollitur adaequatio signi ad signatum sine aliqua mutatione signi, quod manifestum est in relatione posse contingere.*

**3** Et hinc sumitur ratio à priori: nam propositio dicitur vera per hoc, quod significet rem, vt est in se, vel falsa, si non ita est: quia veritas consistit in adaequatione; at quoties aliquid est aequale alteri potest reddi inaequale per mutationem alteri,

vt

vt patet in quantitate vna æquali cum altera: ergo similiter per mutationem rei, quæ significat vera propositio, potest reddi falsa.

Cont. Nā propositio vocalis potest transire de vera in falsam (& idē de scripta) sine mutatione sui, vt patet in hac, *Antichristus erit*, quæ eodem adueniente reddetur falsa per hoc solum, quod veniat; sed eadem est ratio de enuntiatione mentali (quæ idem significat) si permaneat in mente iudicium de futuritione AntiChristi potest eius aduentum: ergo. ¶ Dices, non esse eādem rationem, quia significatio enuntiationis vocalis, & scriptæ est ad placitum; at mentalis est naturalis: ergo.

¶ Contra est, hinc probari, quod significatio mutari non potest in enuntiatione mentali, quia mutetur & varietur ipsa: at veritas, & falsitas non est significatio ipsa, sed resultat ex adæquatione, quæ variatur illo extrinseco mutato: ergo manēte eadem numero significatione, & enuntiatione mentali, poterit mutari de vera in falsam; sicut in propositione vocali, & scripta non mutatur significatio ad placitum, sed adæquatio eius eam esse rei significatæ; & sic immota manens propositio mutatur de vera in falsam. Quod præ oculis est habendum, quia in hoc paritur æquiuocationem sententiæ opposita non distinguens inter significationem, & veritatem, aut

falsitatem propositionis.

*Soluntur argumenta.*

4. Oppositum tuetur recentiores ex Societate communiter. Hurt. disp. 9. de anima sect. 4. Arriaga disp. 4. log. sect. 2. compt. disp. 45. sect. 1. Quied. contr. 7. de anima punct. 1. & 2. Carleton disp. 40. log. sect. 6. Franc. Alonf. disp. 15. de Anima sect. 6. Lineaus lib. 10. Dial. tract. 2. à cap. 1. RR. Echall, tract. 6. log. disp. 3 l. & alij contra Suar. Salas, Amicum, Conimbric. Valent. Rub. & alios ex eadem familia. Et prob. si aliqua enuntiation possit mutari de vera in falsam, maximè ista, *Petrus currit*; sed hæc non: ergo. Prob. Vel hæc significat, quod Petrus currit in instanti A, & B, & alijs eiusdem horæ copulatiuè: vel in instanti A, vel B, vel alijs eiusdem horæ disiunctiuè, vel quod solum currit in instanti A, determinatè. Sed quocumque modo significet cursum Petri nō potest mutari de vera in falsam: ergo. Prob. mō. Si primo modo significat: ergo vel currit in quolibet instanti illius horæ, & sic non potest esse falsa, si in aliquo non currit: ergo non potest esse vera, quia ad falsitatem illius copulatiue, sufficit, quod in vno instanti non currat. Si secundum, hoc ipso, quod in vno instanti currat, etiam si non currat in alijs instantibus eiusdem horæ, non potest esse falsa, siquidem vnus instantis sufficit ad veritatem significationis disiunctiue: si autem in nullo currit non potest esse vera.

Si vero significat, quod in instanti tantum A. currit, est falsum: quia cursus non fit in instanti, & eo dato si currit in illo instanti non potest esse falsa, si non currit non potest esse vera: numquam ergo potest transire de vera in falsam illa propositio.

¶ Si dicas, eam propositionē abstrahere à duratione, & solum significare, quod pro instanti, quo profertur, seu pro eo tempore currat.

Contra est: nam si primum: ergo si aliquando cursus conuenit Petro, non potest esse falsa; si vero nūquā, non potest esse vera: (& idem in tempore, quo profertur: ) nam si currit non potest esse falsa, si nō currit, nō potest esse vera. Si sensus est, quod currit in instanti, seu tempore in definito, cū indefinita æquiualeat particulari: ergo est idem ac significare, quod tempore, quo profertur debeat currere, & redit argumentum. Præterquam quod cum non sit enūtiatio reflexiua, non facit sensum, quod pro instanti quo profertur oratio currat Petrus; sed absolute hoc dicit.

5 Respondeo. Sensum eius propositionis non esse reflexiuum, nec designatiuum horæ, & instantium eius; sed quod pro duratione quo affirmatur, currit in exercitio Petrus, & quod eo existit affirmatio cū cursu Petri: & dico, quod si daret affirmatio per duas horas, & in prima currat, & in secunda non currat, in prima est vera, & in secunda redditur affirmatio falsa immota manēs in se, per mutationem extrinseci;

& sic manet significatio, & affirmatio, & modo potest adæquari cū esse obiecti, & modo non, & sic potest mutari veritas, & falsitas manente eadem propositione. Vt quid ergo tot ambages, tot hypotheses? Vt res notissima tenebris cimerijs inuoluatur, & appareat ambiguitas, vbi nulla est difficultas: nihil ergo ex illis dilēmatibus supponendum est, sed cogendus arguēs, vt significatio ni à nobis explicatæ asringatur, & postea impugnet, si velit ad rem esse putare.

5 Arg. 2. Veritas non consistit in adæquatione iudicij cum obiecto materialiter, & in esse rei, sed formaliter, & in esse obiecti; at sic considerata veritate iudicij intellectualis, non potest idem iudicium mutare talem adæquationē: ergo nec potest eadem numero propositio mentalis transire de vera in falsam. Conseq. facile potest probari: mai. videtur vera: & prob. min. Obiectū vt terminus est formalis adæquationis iudicij, non consistens in esse entis, dicitur obiectum formaliter adæquatum, quatenus terminat iudicium vt cognitum ab intellectu; at quamvis mutetur in esse entis, manente tamen eodē iudicio, quod Petr<sup>9</sup> v.g. currit, semper manet idē in esse obiecti formalis, quāuis mutetur in esse entis: ergo si veritas consistit in adæquatione iudicij cum obiecto, non in esse entis, sed in esse obiecti formalis, impossibile videtur, quod manente eodē iudicio, quod Petrus currat, mutetur adæquatio,

& veritas; sicut qua locus ad æqua-  
tū cum superficiibus, non in esse  
entis, sed formaliter, & in esse distā-  
tiæ à polo, & centro, semper manet  
idem locus ad æquatus, & eadē ad æ-  
quatio, quamvis mutantur, & tran-  
seant entitatiuē, & materialiter su-  
perficies. ¶ Resp. ad hoc argu-  
mentum, quo conuincitur R.R. E-  
challaz, inde reuiscere errorē pris-  
corum Philosophorum, quorū me-  
minit D. Tho. 1. perh. lect. 3. lit. A.)  
dicentium verum esse aliquid, non  
quia sic est, sed quia sic videtur: sed  
tamen veritas non consistit in ad æ-  
quatione intellectus cum obie-  
cto vt cognito: (sic enim sola sig-  
nificatio saluatur) sed cum obiecto,  
quatenus est in re; sicut cognosci-  
tur: nam ab eo, quod res est, vel nō  
est: propositio dicitur vera, vel fal-  
sa, non ab eo, quod cognoscitur sic  
esse, quia veritas, licet sit in intelle-  
ctu, sicut in subiecto, est tamen in ob-  
iecto sicut in causa, vt docet Arist. c.  
de substant. & D. Tho. 1. p. q. 16. ar.  
1. ad 3. & art. 7. & q. 1. de verit. art.  
3. & 1. perh. lect. 7. Damus ergo ve-  
ritatem coalescere ex ad æquatione  
intellectus cum obiecto, vt obiectū  
est; sed non est obiectum, quatenus  
denominatur cognitum, sed quate-  
nus mouet ad cognitionem ad æqua-  
tam cum re, vt est in se; vel quate-  
nus est cognitum, non vtcumque;  
sed ita vt ad æquetur cognitio cum  
obiecto, vt est in se: quia cog-  
nitio afirmando, & negando nō cog-  
noscit vtcumque obiectum, sed afir-  
ferendo sic esse, vel non esse: si ergo

non fuerit in se, sicut affirmatur, vel  
negatur, non ad æquatur intellectus  
cum obiecto, vt tale obiectū est a-  
d æquatione veritatis, sed sola ad æ-  
quatione significat ionis: & per con-  
sequens manente obiecto signifi-  
cationis mutatur obiectum verita-  
tis, seu ad æquationis.

6 Arg. 3. Nequit icem numero ac-  
tus transire de bono in malum in ef-  
se moris: ergo nec de vero in falsū.  
Prob. conseq. nam sicut veritas con-  
sistit in ad æquatione intellectus cū  
esse obiecti, ita bonitas in ad æqua-  
tione appetitus cum recta ratione,  
& regulis moris, & sicut bonitas, &  
malitia sunt differentie per se respe-  
ctu actus voluntarij, ita veritas, &  
falsitas sunt per se differentie actus  
intellectui, vt ibi docet D. Th. sed  
quia differentie per se variant actū,  
non potest idem numero actus vo-  
luntatis transire de bono in malum  
in esse moris: ergo.

Resp. satis esse probabile, pos-  
se eundem numero actum volunta-  
tis cum variatione solū in esse mo-  
ris, & sine illa, in esse naturæ transi-  
re de bono in malum, nec amplius  
intendit docere D. T. 1. 2. q. 20. ar-  
6. & sic neg. antec. ¶ Sed eo dato,  
neg. conseq. ad 1. probat. resp. quod  
bonitas moralis nō sumitur ex qua-  
cumque ad æquatione cum recta ra-  
tione, sed ex ad æquatione volunta-  
ria, ideoque nisi mutetur volunta-  
rium, in quo consistit entitas actus,  
non variatur bonitas in malitiam.  
At veritas præcisè consistit in ad æ-  
quatione cum obiecto, vt est in se;  
&

& ideo illo variato, variatur veritas actus sine hoc, quod varietur actus. ¶ Ad 2. resp. cum Caiet. quod ibi D. Th. dicit bonitatem, & malitiam per se comparari ad actū, sicut veritas, & falsitas, nō quia sint differentiæ per se variatæ, sed quia per se, id est, non per aliud competunt, quia bonitas non conuenit dependenter ab alia potentia, sicut alijs potentijs competit dependenter à voluntate, & veritas non conuenit intellectui dependenter ab alijs potentijs, sed alijs dependenter ab intellectu, & ideo hinc non colligitur, non posse eundem numero actum transire de vero in falsum; sed quod soli actui intellectus hoc contingat. Vel dic, illud disiunctum veri, vel falsi esse per se proprietatem, non veram determinatè, vel falsū determinatè.

*Dub. 4. An vna propositio possit esse verior, falsior vè altera, formaliter?*

**L**icet materia huius dubij dicitur etiam ad metaphysicos spectet, vt notat RR. M. Araujo lib. 2. met. q. 2. ar. 3. in dub. append. & solent disputari à Theologis 1. p. q. 16. & à logicis in 1. poster. agēdo illa verba philosophi. *ex primis veris, & immediatis*, quia tamen non est in animo metaphysicam prælo dare, & hic frequenter etiam disputatur à nostris, libuit in præsentem morem gerere dialecticis.

*Vnica conclusio.*

2. **E**t si vna propositio possit esse falsior, altera formaliter, & verior radicaliter, seu fundamentaliter, tamen formaliter vna non est verior altera. Sic communiter Thomistæ. Maxime, quoad secundam partem, videatur Araujo citatus, Ferrara 1. contragent. cap. 13. §. ad euidētiam huius rationis, Soto lib. 2. Sumul. cap. 5. Huert. ibidem q. 18. art. 2. RR. M. Ioan. à S. Tho. to. 2. in 1. p. disp. 2. art. 2. in q. 16. M. Ioan. Mart. 1. p. metaph. cōtro. 1. 2. art. 1. & passim alij.

3. **S**uppono autem, quod veritas formalis propositionis mentalis consistit in adæquatione, quam dicit intellectus, cum esse obiecti cū negatione excessus, ita vt sic sit in re sicut esse dicit intellectus, vt ait D. Tho. 1. contrag. cap. 59. siue cōpleatur per relationem realem adæquationis, vel rationis, vt citati Auctores disputant, specialiter MM. Araujo, Ioan. à S. Tho. & Mart. siue in respectu transcendēti consistat. **Q**uoposito, probanda est conclusio quoad singulas partes, quibus constat.

4. **E**t quod vna propositio possit esse, altera formaliter falsior, prob. formalis falsitas cōsistit in inadæquatione intellectus ad rem vt est in se, vt ait D. Th. q. 1. de verit. art. 10. at formalis inadæquatio potest esse maior, & minor, vt patet in quantitate bicubita, quæ inæqualior est sex cubitæ, quam tricubitæ: & patet in distantia locali, quæ vna est formaliter

liter maior altera, quia consistit in discessu: ergo falsitas propositionis, suscipit etiam magis, & minus formaliter ob eandem rationem.

Conf. Nam ut ait Augustinus *epist. 19. Licet omnia recta equaliter sint recta, non tamen sunt equaliter curua; vel ut alij aiunt quavis adæquatio cum puncto sit indivisibilis, tamen recessus ab illo potest esse maior, & minor; sed falsitas est obliquitas intellectus ad rem, & recessus à puncto indivisibili veritatis: ergo suscipit magis, & minus formaliter. Et quidem tere negari nō potest majus mendacium, & maiorem falsitatem esse dicere (cum viginti ceciderint in pralio) quod duo millia perierint, quam quod viginti & unus milites occisi fuerint; minus enim distat hoc secundum à veritate quā primam, at in hac distātia, & discrepantia à vero consistit falsitas: ergo. ¶ Nec valet dici, quod hæc probāt magis, & minus in fundamento, nō in ipsa falsitate formaliter; nam falsitas consistit in non adæquatione, quæ eā indivisibilis. ¶ Sed contra est, quod falsitas non consistit in negatione veri, aut in negatione attinentiæ veri, ut optimè aduertit D. Tho. 1. p. q. 17. art. 4. Sed in contraria in adæquatione ad veritatem, sicut curvitas opponitur rectitudini, aut ægritudo sanitati, & in recessu à puncto indivisibili, seu à loco per modum defectuosæ tendentiæ; ac proinde optimè potest suscipere magis & minus, ne dum pro fundamento, sed etiā pro formali, ut patet ab exemplis propositis.*

5 Quod veritas pro fundamento possit suscipere magis, & minus, facile constat ex D. Tho. 1. p. q. 16. art. 1. in fine corp. & q. vnic. de charit. art. 9. ad 1. Et prob. quia eā maiorem veritatem ex parte fundamenti, nihil aliud est, quam quod habeat firmiores causas ex parte obiecti ut sit, & cognoscatur, ita ut nulla appetentia falsitatis possit occurrere, & ut non possit mutari, vel ex parte intellectus non possit falsificari assensus: at prima veritas, tam formalis, quā obiectiva, habet firmiores causas, ut sit, quam veritas creata, & dignitates principiorum firmiora motiva, ut non possint apparere falsa, quam conclusiones, & veritates divinæ, seu diuinitus reuelatæ, quæ non reuelatæ: quæ propter dixit Petrus: *Habemus firmiorem propheticum sermonem*; & veritates necessarie maiorem causam habent ut sint, quam contingentes ex parte obiecti: ergo veritas ex parte fundamenti, & obiecti suscipit magis, & minus. Et hac ratione plures Thomistæ cum Arist. 2. Metaphys. text. 4. & lib. 4. text. 8. & cum D. Thom. ibidem lect. 9. & 16. & 3. Contragent. cap. 13. & 1. p. quasi. 3. art. 3. & citato loco quasi. de charit. & cum Soto loco citato, & cum Huertos, & cum alijs absolute cōcedunt unam propositionem esse veriore altera, attendendo ad fundamenta à quibus artificiata rationis solent sumere denominationem, ut dixi agendo de signo ad placitum, & sic evitentur plura argumenta adversariorum.

6 Quod una veritas nō possit esse maior aliter a formaliter. Prob. ex doctrina D. Th. q. 2. de verit. art. 9. ad 1. & q. 2. de virtut. artic. 9. ad 1. vbi expressè, & 1. p. q. 85. art. 7. ad 2. & quod dicitur de charit. ait, quod veritas consistit formaliter in adæquatione medi cum re prout est, cum negatione excessus, vel defectus: nā si minus, vel amplius dixerit, quam est in re, statim propositio redditur falsa: ergo veritas non suscipit magis, & minus, sed consistit in indivisibili: hæc enim ratione omnis alia æqualitas consistit, etiam in indivisibili, quia per minimum defectum, vel excessum tollitur. Vnde D. Th. 1. 2. q. 22. art. 2. ad 1. hæc regulam tradit, quod tollitur per quēlibet excessum, vel defectum est indivisibile, vt patet in essentijs: quod autem consistit in accessu, vel recessu ad aliquid perfectissimum, potest suscipere magis, & minus, vt patet in sanitate, & agitudine, inquit D. Th. ergo si veritas tollitur per excessum, vel defectum asserendi, quod est in re, eius formalitas est indivisibilis. ¶ Conf. ex doctrina D. Th. 1. p. q. 42. art. 1. ad 2. eo enim similitudo suscipit magis, & minus (sumpta non pro relatione, sed pro convenientia) & æqualitas non suscipit: quia illa consistit in participatione forme eiusdem rationis in duobus extremis; cum autem forma possit magis, & minus participari (si sit intensibilis) potest dari maior, & minor similitudo formalis: at æqualitas, præter similitudinem, dicit negationem excessus, & defectus,

& sic non potest suscipere magis, & minus (sumpta æqualitate nedum pro relatione, sed etiā pro quātitatibus cōparatis) sed veritas importat formaliter, nedum similitudinē intellectus ad rem intellectam; sed etiam negationem excessus, & defectus inter dictum mentale, & rem dictam prout est in se (nam dictum non affirmat esse, quod habet res in intellectu, sed esse quod habet in se) ergo veritas formalis non suscipit magis, & minus.

7 Si testes contra Veritas creata est participatio increata, & veritas cōclusionis est participatio principiorum: at quoties aliquid dicitur tale per participationem, & accessum ad aliquid perfectissimum, potest suscipere magis, & minus, secundum D. Thom. ergo veritas potest suscipere magis, & minus.

Resp. intiendo in essentijs creatis, quæ sunt entia per participationem, & tamen sunt indivisibiles, & in paternitate creata quæ denominatur ab ea, quæ est in celo, vt ait Paulus ad Ephes. 3. quod idem est, quia solum sunt talia per participationem fundamentaliter, non formaliter: idem autem contingit in nostro casu: nam veritas creata, licet sit per participationem, quoad entitatem; tamen adæquatio formalis non est per participationem; & idem est in cōclusionem, vbi extrema ratione medi pendet à principijs; sed in esse adæquationis inter intellectum, & rem, non pendet in genere causa formalis; & idem veritas

ritas creata, & immediata, pro formaliter, non suscipiunt magis, & minus.

*Soluntur argumenta.*

8. Contra primam partem nostre conclusionis militat P. Arriaga disp. 14. Log. lect. 3. Et probat: quia licet si obiectum sit diuisibile, vt si mille mortui sunt, & asseratur quinque milia, aut mille & vnum cecidisse, possit esse magis, & minus in falsitate; tamen si obiectum non sit diuisibile (sicut si currente Petro, negetur) non potest falsitas suscipere magis, & minus: ergo non omnis falsitas suscipit magis, & minus.

Resp. non stare conclusionem in eo, quod qualibet falsitas suscipiat magis, & minus; sed in eo quod falsitas comparatur ad aliam falsitatem, possit vna altera esse maior, vel minor, & sic minus falsum est Petrum non currere, eo currente, quam negare quod Deus est. ¶ Præterquã quod minus falsum esset si diceret, quod non ambulabat Petrus, quia magis accedebat ad verum, quã si absolute negetur non moueri.

9. Contra tertiam partem conclusionis arg. ex dictis. Vna propositio potest esse falsior altera formaliter: ergo & verior formaliter. Prob. consequ. secundum D. Tho. 1. p. q. 17. art. 4. verum & falsum non sunt contraria; sed contraria æque distant sub eodem genere, & distantia debet pertransiri diuisibiliter, vt insinuat D. Tho. 3. phisic. lect. 3. & 1. 1. meth. lect. 12. ergo. Tum, quia contrariantur, vt motus oppositi; sed falsitas consistit

in recessu ab eo quod est, cum diuisibilitate, & latitudine: ergo & veritas consistit in accessu habente latitudinem.

Resp. non esse proprie contraria cum latitudine reciproca, sed improprie, sicut par, & impar, & æquale, ac inæquale: quorum prima non suscipiunt magis, & minus, sed secunda: nihil enim potest esse par alteri, nisi sub ratione indiuisibili, & tamen multis modis potest esse impar, quod & docet D. Tho. 1. phisic. lect. 9. & 1. lib. de celo lect. 8. quod maxime contingit inter improprie contraria, quando vnum consistit in adæquatione, alterum in inadæquatione.

¶ Ad secundam prob. nego, quod veritas, & falsitas compareretur, sicut accessus, & recessus; seu sicut motus diuisibiles, sed comparantur sicut ad æquata attingentia per modum status, & recessus à tali adæquatione, & ideo non sequitur intentum argumenti. ¶ Si insites. Tum, quod falsitas consistit in priuatione adæquationis in facto esse: at hæc priuatio non suscipit magis, & minus, vt docet D. Thom. 1. 2. quasi. 73. artic. 1. & quasi. 82. art. 4. & quasi. 2. de malo art. 9. ergo vel falsa est prima pars conclusionis, vel si est vera, non est negetur tertia. Tum etiam, bonitas moralis consistit in carentia defectus, & excessus, & in adæquatione cum regulis morum, & ideo malum ex quocumque defectu; & nihilominus, quia malum contrariatur bono, vtrumque suscipit magis, & minus: ergo similiter, & idem est

de vitio, & virtute; quod autem contrarietur bonum, & malum, sicut verum, & falsum docet D. Tho. citata q. 17. art. 4. ¶ Resp. negando antecedens, vt expresse docet D. Tho. citata q. in corpore: nam falsum aliquid ponit, nempe assensum inadæquatum, & ideo nō priuat veritate, nisi ex consequenti, sicut vna forma priuat subiectum altera; sed est oppositio contraria, licet impropria. ¶ Ad 2. quod sicut veritas transcendentalis suscipit magis, & minus, ita bonitas transcendentalis, quia non consistit in adæquatione: at bonitas formalis quatenus consistit in adæquatione, & dicit negationē excessus, vel defectus, non suscipit magis, & minus nisi pro fundamento, & sic actus charitatis est magis bonus, quā actus temperantiæ; fundamentaliter scilicet: sed hoc facit pro nobis vt intuenti constabit, bene verum est, quod nō tenet exemplum in omnibus quia bonitas moralis non consistit in adæquatione cum obiecto, sed potest magis, vel minus bene attingere; & quo perfectius est obiectum magis bonus est actus moralis, & adæquatio cū regulis non est stricta, sed moralis; moralitas autem nō consistit in indiuisibili; & negatio excessus, vel defectus est solū quatenus non transgrediuntur limites rationis, quæ cum sunt morales habent latitudinē; & sic potest reddi disparitas: nam veritas dicit adæquationē strictam, & indiuisibilem metaphysicā; & non tantum moraliter, & ideo

non suscipit magis, & minus, sicut bonitas moralis actus.

10. Secundo arg. vna propositio est verior altera fundamentaliter: ergo formaliter. Prob. consequ. fundamentum dicit causam veritatis; sed maior causa maiorem effectum producit, sicut maior lux maiorem splendorem: ergo. Tum etiam veritas formalis fit per adæquationem cum obiectiua, quæ est causa, & fundamentum eius: ergo datur vna veritas formalis maior altera. Prob. consequ. vna veritas obiectiua est maior altera; ex se enim, & ex parte obiecti verius est Deum esse in se, quam quælibet veritas contingens, quod est idem ac dicere, quod veritas transcendentalis, quæ est obiectum formalis suscipit magis, & minus; at cum est inæquale alterū extremum, & suscipit magis, & minus, non potest nō suscipere magis, & minus id, quod habet esse per æqualitatem cum illo: ergo.

Resp. quod cum effectus est indiuisibilis, vel consistit in adæquatione cum aliquo extrinseco ex maiori perfectione causæ, non colligitur maior perfectio in effectu, vt patet in paternitate, quæ indiuisibilis est, etiam si actio, & potentia generatiua, in qua fundatur, sint perfectiores, & etiam in æqualitate bicubita auri, vel ferri, quæ eadem est, etiam si altera quantitas esset terrestris, & altera celestis.

Ad 2. resp. quod sicut æqualitas tricubita non est maior, quam bicubi-

ta, etiam si sit minor quantitas in extremis vnius, quam alterius, quia æqualitas non attendit ad hoc, sed tantum quod vnum extremum neque excedat, neque excedatur ab alio; sic in præsentia non est maior veritas, quod Deus est vnus, & trinus formaliter, quam quod Petrus currat, si currit, quia etsi sit certior, & perfectior, tamen non minus adæquatur vna affirmatio cum esse rei, vt est in se, quam altera, & in hoc consistit formalitas veritatis. Cætera autem se habent ex parte fundamenti, vnde neque ex parte intellectus, neque ex parte obiecti est vna veritas maior altera, quatenus dicit mutua adæquationem, sed tantum fundamentaliter. An autem detur vna veritas transcendentalis maior altera, dicemus infra, sufficit modo scire, quod veritas obiectiua, seu quæ est terminus veritatis formalis, quæ est in intellectu, non est veritas transcendentalis formaliter, & reduplicatiue, sed materialiter, & specificatiue, quia altera sumitur per coaptationem cum intellectu nostro; altera autem per correspondentiam ad diuinas ideas, & adæquationem cum illis.

11 Arg. 3. Vna propositio est certior altera formaliter: ergo verior. Prob. conseq. Certitudo sequitur ad veritatem, & eam supponit; nihil enim est certum, nisi quia verum; sed effectus consecutus nequit esse maior, & minor, quam ratio ad quam sequitur naturaliter: ergo. Maior est a nobis late asserta in posterioribus, estque D. Thom. in 3. di-

stinct. 23. q. 2. ar. 2. quæst. 3.

Conf. Eò præmissæ sunt certiores conclusiones, quia hæc est certa propter illas, & propter quod vnum quodque tale, & illud magis, sed etiam conclusio est vera propter præmissas, siquidē eò dicitur certa propter præmissas, quia deducitur ab illis, & probatur per illas, sed etiā veritas conclusionis deducitur ex veritate immediata præmissarum, & probatur per illas: ergo.

Resp. instando: nam diuisibilitas est passio essentiaë quantitatis, & cum essentia non suscipiat magis, & minus, hoc tamen admittit diuisibilitas, & extensio: ergo etsi veritas sit indiuisibilis poterit consequi ad veritatem certitudo suscipiens magis, & minus. Sed tamen dicendum, quod sicut gratia etiam si sequatur ad significationem sacramenti, non tamen causatur ratione illius, sed ratione virtutis physice (est enim ibi significatio aliquid rationis) sic certitudo etiam si subsequatur ad veritatem, non tamen causatur ratione illius, vel ratione firmitatis causarum, quæ se tenent ex parte fundamenti, quæ cum possint esse maiores, vel minores, etiam hoc possunt causare incertitudine. Vel nego formaliter consequi certitudinem ad veritatem, non enim sequitur nisi concomitantem, licet inseparabiliter, scilicet, ratione fundamenti veritatis.

Ad 2. dico, quod veritas conclusionis non est formaliter vera propter præmissas, sed propter adæquationem cum obiecto; ac proinde so-

lum deducitur, & probatur per præmissas fundamentaliter, & ratione certitudinis: quia veritas mediata cognoscitur per præmissas rãquam per causam; causæ autem assentiendi fundant veritatem, & causant formaliter certitudinem, non vero veritatem.

12 Arg. 4. Etiam si vna veritas esse, & ex sua specie non suscipiat magis, & minus, sed sit indivisibilis, nõ sequitur, quod in individuo hoc non admittat: ergo. Prob. etiam, si essentia caloris, sicut & quælibet alia ex sua specie sit indivisibilis, non sequitur, quod in individuo non admittat diuisibilitatem: ergo.

Resp. quod res, quæ etiam in individuo consistunt in adæquatione cū altero, & in negatione excessus, vel defectus, vel in indivisibili, sicut æqualitas, relatio, substantia, & punctum, nec in individuo possunt suscipere magis, & minus; & ideo veritas hoc non admittit in individuo: quia consistit in adæquatione quadam, quod quia nõ habet calor; sed potius habet esse in subiecto, in quo magis, vel minus potest recipi, & intendi, & extendi potest magis, & minus a illo suscipere; cum autem habeat esse à subiecto, sequitur, quod quatenus magis, vel minus radicatur in individuo caloris in illo, suscipiat magis, & minus; quod non habet veritas ex ordine ad subiectum, sed per adæquationem cū obiecto.

13 Arg. 5. (& potest esse replica) nam eo calor in individuo suscipit magis, & minus: quia magis partici-

patur ab vno subiecto, quã ab alio; & hoc cognoscitur in eo, quod ratione caloris vnum magis resistit frigiditati, quam alterum, & inferiori vi redditur calidum: at vnus intellectus intensius alio penetrat veritatem, & quia sic penetrat, magis resistit falsitati, quam alter: ergo etiam, veritas habet respectum ad subiectum, & ab illo sumit esse suum, & habet magis, vel minus recipi, & intendi, & remitti in illo. ¶ Res. quod veritas comparata ad subiectum nõ exercet munus veritatis, sed certitudinis cum certitudo sit firma adhæsiõ intellectus; ac perinde intenditur, & remittitur certitudo: at veritas non pendet à subiecto formaliter, sed ab adæquatione cum obiecto; & quod penetretur, vel resistatur contrariis, nõ habet ratione sui, sed ratione certitudinis, quam causat, vel affert assensus verus in intellectu.

14 Arg. 6. (& potest esse replica ad resp. 4.) eo veritas non susciperet magis, & minus, quia consistit in adæquatione cum esse, vel non esse obiecti; sed hæc ratio est nulla: ergo. Prob. min. etiam veritas transcendentalis consistit in adæquatione cū diuinis idæis, ex D. Th. 1. de ver. art. 4. & 1. p. q. 16. ar. 1. & sparsim per varios art. & tamen suscipit magis, & minus, siquidem conuertitur cū ente, & solū addit esse cognoscibile, vt docet D. Th. eadem 1. p. ar. 3. certum autem est vni esse magis cognoscibile alio, quatenus magis habet de entitate quã aliud: ergo. Præterea ad idem etiam si veritas consistat in adæquatione-

quatione, & hæc in negatione excelsus, & defectus, potest suscipere magis, & minus ipsa negatio: ergo & veritas. Prob. ant. etiã si infinitũ dicat negationẽ principij, & finis, tamẽ ipsa negatio suscipit magis, & minus, siquidẽ datur vnũ infinitum maius alio, fingendo multitudinẽ infinitã hominũ capillatorũ, maior esset infinitas capillorum, quam hominum, saltim extensiuẽ: ergo.

Resp. quod veritas transcendẽ talis duos habet respectus, & ad idẽas, cum quibus adæquatur, & ad intellectum, cuius veritatem causat media cognoscibilitate sui: primo modo nõ suscipit magis, & minus, etiã si sequatur ad ens, quia addit respectum adæquationis: secundo modo suscipit magis, & minus, & fundat maiorem cognoscibilitatẽ, quo est magis ens; sed hoc non arguit, quod causet maiorem veritatẽ formale: quia hæc prætercognoscere rẽ, addit etiã adæquationẽ, nec est capax suscipiendi magis, & minus. Nec est idẽ de bonitate, quæ suscipit magis, & minus, sicut entitas ad quã sequitur, quia hæc est ad se, nec dicit respectũ adæquationis. ¶ Ad cõf. dico, nullũ infinitum esse maius alio formaliter, & in ratione negationis principij, & finis; sed materialiter ratione materiæ, qua constat, & sic etiã admitto vnã veritatem alia maiorem.

15 Arg. 7. vno currente homine, licet hæc propositio omnis homo currit sit absolutè falsa, tamen in adæquatè est vera, siquidem vere in

fert hanc, quæ est vera: ergo quidam homo currit: si tamen omnes currerẽt adæquatè esset verũ dicere, quod omnes currunt: ergo vna veritas est maior altera. Prob. cõseq. veritas inadæquata minor est quam adæquata, & ea quæ minus consentit cum falsitate maior est, quam quæ magis cõsentit, sicut calor, qui min<sup>9</sup> admittit de frigiditate, maior est quã qui magis de frigiditate admittit: at illa, omnis homo currit, magis admittit de falsitate, etiã minus quatenus citra omnes plures, vel pauciores currunt: ergo datur vna propositio verior altera formaliter.

Resp. nego quod illa propositio in eo casu aliquid veritatis formalis habeat, siquidẽ est quasi copulatiua, & per illã resoluitur, & idẽo tota est falsa; sed tamẽ continet virtualiter aliquid veri, quod posse cõtineri in falso, certũ est, cũ nihil sit ita falsũ, quod nõ cõtineat aliquid veri: sed hinc cõtra nos nihil.

Dub. 5. An mentalis propositio categorica sit simplex, vel composita qualitas?

1 Non idẽo inquiri, an propositio sit simplex qualitas, vel composita, quia existimẽ, quod conceptus est qualitas, & non actio: sed ab hoc supersedeo, & loquor cum pluribus; & tenus est, an cõstet vnico, vel pluribus cõceptibus propositio mentalis?

2 Suppono primã operationẽ intellectus nõ vltimatè posse apprehendere per modũ vnus propositio

nis, quas auris percipit, quia omnes illae per modum unius termini, seu rei apprehenduntur, & ibi non est attributio unius obiecti ad alterum, si non est ultimatus conceptus. Suppono etiam, quod in secunda operatione possunt formari ultimatae propositiones pure apprehensivae, in quibus est vera compositio, & attributio suspendendo iudicium, ut cum quis format interrogatoriã propositionem. Vel aliquid alicui attribuit suspendendo omnino iudicium. Potest etiam formari purum iudicium sine compositioe, ut cum quis facta aliqua propositione, reflectitur supra se, & supra compositioem iam factam, & dicit, *bene, ita est sicut dixi, & bene iudicavi*. Hoc enim iudicium totam propositionem antecedentem habet pro obiecto, & simpliciter iudicat de illa. Etiam suppono, tanquam mihi certum, quod iudicium illud pure reflexivum est unus simplex conceptus, & non plures, cum D. Th. 1. p. q. 58. art. 2. dum ait, quod plura ut unum possunt unico actu cognosci, & attingi, sicut partes continui, ut sunt unum in illo. *Et sic intellectus noster simul attingit subiectum, & predicatum, ut sunt partes unius propositionis, & duo comparata, secundum quod conveniunt in unica comparatione*; at non potest attingere subiectum, & predicatum, ut sunt unum in toto, seu in propositione, nisi supponat totum iam factum, & reflectatur supra illud: tunc enim est unica comparatio ad totam propositionem, & eius partes; non vero quando actu fit propositio; tunc enim sunt duae comparationes, subiecti scilicet

ad predicatum, & predicati ad subiectum, & tunc non attinguntur partes in toto, sed potius ordinantur ad totum conficiendum, & fabricandum. Sentit ergo D. Tho. hoc iudicium reflexivum, seu signatum esse unicum actum; & hoc idem explicat 1. contragentes cap. 55. & innumeris alijs locis, quos refert M. Ioã. Mart. de Prado 1. p. Metaph. q. 12. art. 7. à num. 178. Et ratio suadet, quia quando cognitio fertur super aliquod totum, & ratione compositionis illius attingit partes, unicus actus sufficit, sicut ratio obiectiva motiva est unica; sed intellectus in iudicio illo signato, & reflexo attingit totam propositionem, & iudicat de illa, & ratione compositionis eius attingit connexionem predicati, & subiecti: ergo hoc facit unico actu.

3 Sed inquiri, an propositio mentalis, quam vocant enunciatiivam, qua enunciando unum de alio attribuit unum alteri intellectus, & mediante copula in exercitio affirmat, quod in re predicatum convenit subiecto, illa inquam propositio mentalis sit simplex actus, an plures ad invicem ordinati, quibus componatur illa propositio? Et an praeter eiusmodi enunciationem mentalem requiratur actus distinctus, qui sit iudicium? An vero hoc ipso, quod

sic componit, vel attribuit iudicium dicitur in exercitio, ita esse, vel non esse in re?

*Prima conclusio.*

4 Dicendum primo. Enunciatio mentalis, qua prædicatum affirmatur de subiecto, est in exercitio iudicium mentale, indicatque tunc intellectus, ita esse, vel non esse, sicut mentaliter affirmat, vel negat; nec requiritur actus superadditus ut percipiat esse verum, quod sic mentaliter affirmat. Sic D. Thom. 1. p. q. 16. art. 2. dum docet, quod *quando iudicat rem ita se habere, sicut est forma quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit, & dicit verum, & hoc facit componendo, & diuidendo.* Nã in omni propositione aliquam formam significatam per prædicatum, vel applicat alicui rei significatæ per subiectum, vel remouet ab ea. Ecce iudicium docet esse, & veritatem in intellectu quando actu componit, vel diuidit, vel quando actu applicat, vel remouet prædicatum à subiecto: ergo non requiritur actus diuersus ad iudicium.

5 Et ratio suadet: nam hoc ipso quod intellectus mentaliter dicit, vel affirmat hominem esse album, vel non esse lapidem percipit intellectualiter prædicatum in esse subiecto, vel non esse in illo, & affirmat hoc ipso, quod ita est sicut dicit, nam conceptus copulæ hoc significat: ergo hoc ipso iudicat; iudicium enim nihil aliud est, quam affirmatio, vel negatio, quod ita est sicut dicit. Vel dicatur, quid aliud sit iudicium, quam cognoscere affirmatiuè convenientiam prædicati, & subiecti dicendo

in exercitio ita esse, vel negando hoc in exercitio?

*Secunda conclusio.*

6 Huiusmodi propositio mentalis enunciativa non est vnicus actus, sed plures. Sic plures, & graues Thomistæ. Zum. 1. p. q. 16. artic. 2. RR. Araujo 6. Metaph. q. 1. ar. 2. Ortiz tract. 6. dialect. confer. 1. Nazari. 1. p. q. 58. ar. 2. contr. vnic. Bañ. 1. p. q. 84. ad 3. & Rub. 1. perh. q. 4. c. 4. Probabiliterque defenditur à Soto, & Huert. Estque sententia D. Th. 1. post. lec. 1. vbi ait, quod *veritas, & falsitas nunquam inuenitur in intellectu, nisi per hoc, quod vnus simplex conceptus comparatur alteri.* Et 1. p. q. 58. ar. 4. vt neget Angelo, quod componat, & diuidat dicit, quod ex eadem radice prouenit componere, & diuidere, ac ratiocinari, & quod sicut comparatur subiectum ad prædicatum, sic cõparatur cõclusio ad principia, quod etiam ait q. 85. ar. 5. Sed intellectus discurrit per plures conceptus attingendo diuersis actibus principia, & conclusiones, & se mouendo à principijs ad conclusionem: ergo etiam componit per plures actus à subiecto ad prædicatum, se mouendo ab vno in aliud: sed hoc spectat ad propositionem mentalem enunciativam, qua applicat in exercitio prædicatum subiecto: ergo illa est composita qualitas.

7 Confirmatur, & ratione probatur. Intellectus humanus vt distert ab Angelico, tunc intelligit componendo, & diuidendo, quando prædicatum

carum attribuit subiecto formando mentaliter enuntiativam propositionem: ergo illa non est actus simplex, sed compositus. Prob. conseq. Si esset simplex non distingueretur ab Angelo. ¶ Dices distinguitur quia complexa cognoscit, non utcumque, sed componendo ea, quæ prius per plures actus apprehenderat, quod non facit Angelus.

Sed contra est; quod in secunda operatione verificatur, quod intellectus humanus formaliter componit, & dividit, sicut in tertia verificatur, quod formaliter discursit, at sicut non saluatur formalis discursus per hoc, quod unico actu cognoscat principia, & conclusiones; sic nec saluatur, quod formaliter componat, si cognoscit enuntiable, & complexa simplici actu incomplexo: ergo independenter à multitudinis apprehensione debet dari formalis compositio conceptuum in propositione mentali enuntiativa, quam conficit secunda operatio intellectus. Min. præterquam quod iam est probata à paritate, reperitur in D. Tho. 1. p. q. 58. art. 4. ad 1. sic: *Nō quāviscumque multitudo intellectuum (seu conceptuum) compositionem causat; sed multitudo illorum intellectuum, quorum unum attribuitur alteri, vel remouetur ab altero: at ex parte obiecti est multitudo rerum intellectarū, & attributorum in Angelo, ut ipse ibi concedit: ergo ibi loquitur de multitudine conceptuum formalium.* At per solam secundam operationem unum attribuitur alteri; & hoc

fit exercitè in propositione enuntiativa: ergo ut saluetur, quod hæc compositio formaliter requiritur multitudo subiecti, & prædicati mentalis.

Præterea 1. p. q. 13. art. 12. expresse docet, quod cum intellectus non iter format propositiones de Deo, tota compositio non se tenet ex parte obiecti, quod est simplex, sed oritur ab intellectu, quatenus ratione distinguit illa prædicata, & sic datur pluralitas prædicati, & subiecti, & intellectus noster secundum plures conceptiones id ipsum cognoscit. At prima operatio, cum intelligat obiecta absolute non tribuit actu denominationem subiecti, & prædicati; aliàs in exercitio componeret; aliàs etiā illæ diuersæ intèntiones attributæ per secundam operationem cum diuersæ sint, inesse cognitio non fiunt vnicæ cognitione, & plures conceptiones, quibus dicit D. Tho. hanc diuersam rationem subiecti, & prædicati cognoscere nostrum intellectum plures conceptus sunt: ergo secunda operatio, quæ formaliter componit, & dividit in propositione enuntiativa: hoc non præstat vnicò conceptu, secundum D. Thom. sed pluribus: ergo illa est composita qualitas. Vide 2. 2. q. 1. art. 2.

8 Quod vero non saluetur differentia intellectus nostri ab Angelico in componendo, & dividendo, si non consistat huiusmodi compositio in pluribus conceptibus formalibus, etiam si præsupponantur plures apprehensiones. Prob. quia quando Angelus intelligit res diuersi ordinis,

dinis, vt quod lapis non est grātia, præsuppositiue ad huiusmodi iudicium habet plures species, & plures cōceptus, de quidditate cuiuslibet: ergo præsupponit plures apprehensiones; & tamen, quia vnico simplici iudicio attingit hoc complexum dicitur non componere formaliter: & dicitur distingui ab homine in nō componendo, & diuidendo: ergo vt homo distinguatur ab Angelo in cōponendo, & diuidendo, non sufficiunt plures apprehensiones, nisi ipsa compositio constet ex plurib<sup>9</sup> formalibus conceptibus.

9 Prob. 2. ab exemplo. Propositiono vocalis, quæ in exercitio significat verum, vel falsum, & intinnat iudicium intellectus est cōposita qualitas, & signum complexū: ergo etiam mentalis propositio enuntiatiua est composita. Prob. consequentum, quia terminus complexus vocalis secundum M. Scotum, eo est complexus, quia significat conceptum complexum; ita quod si nō esset vocaliter complexus; dialecticè tamen esset complexus, si significaret conceptum complexum, et si representaret conceptum incomplezum non esset dialecticè cōplexus; et si pluribus vocibus constaret, quia non correspondebat complexio in mente, sed propositio vocalis formaliter est signum quoddam cōplexum, & totale artificiatum mentis in linea dialectica: ergo quia in secunda operatione (cuius est instrumentum, & non prima, ad quam solum termini spectant) est compositio

conceptuum. Tum etiam. Significatio mentalis est causa significationis vocum: ergo optimè colligitur a posteriori, quod si propositio vocalis est signum formaliter cōplexum, & compositum, etiam hoc habet propositio mentalis. Ant. est D. Tho. 1. perh. lect. 3. per hæc verba. *Conceptiones intellectus præambula sūt ordine nature vocibus, quæ ad eas exprimendas preferuntur: idè, ex similitudine differentie, quæ est circa intellectum, assignat differentiam, quæ est circa significationem vocū, vt scilicet hæc manifestatio, non solum sicut ex simili, sed ex causa quam imitatur effectus. Cetera satis patent consideranti.*

10 Prob. 3. In prima operatione intellectus non datur mentale verbum, vt exercet rationem copulæ, & significat vñionem 1 radicali cum subiecto, sed ibi solum cōcipitur vt nomen significans actionem, vel passionem, quod docet expresse Arist. 1. perh. lect. 3. in fine, & lect. 5. litt. F apud D. Tho. qui vñionem dicitur est. At in propositione mentali datur cōceptus verbi, vt copula est, & vt vñit extrema, vt docet expresse D. Tho. quodiib. 5. art. 9. & lib. 3. de anima lect. 15. ergo propositio mentalis vt in exercitio enunciat vñionem de alio est composita qualitas. Prob. consequentem, quia conceptus, & representatio vñionis, & copulæ nō est representatio extremorum, cum hæc fiat in se ipsis significata distincta; aliàs representatio actualis, & exercitæ vñionis non fiat, nisi extrema represententur, & concipiatur.

tur: ergo in compositione mentali tres concurrunt conceptus, alter copulæ, alter subiecti, & alter prædicati. Nec valet dicere, quod conceptus copulæ vnit illa extrema, vt repræsentata per primam operationem; quia vnit illa sub intentione subiecti, & prædicati: & non alias: at vt sic non repræsentatur per primam, quia illæ intentiones consequuntur ad actuale exercitiū attributionis, & referuntur mediante copula: ergo solum in secunda operatione reperiuntur. Nec valet dicere, quod conceptus copulæ, & vniōis tribuit illas intentiones subiecti, & prædicati illis extremis. Quia eatenus posset intellectus illa simul intelligere, quatenus sub ratione totius propositionis, etiam conciperet extrema: at cognitio qua tribuitur propositioni ratio totius in esse cognito, nō potest attribuere cui libet extremo rationem subiecti, & prædicati cum istæ sint intentiones oppositæ in esse cognito: nam altera est partis ad totum, altera totius ad partem: ergo.

*Soluuntur argumenta.*

11 Oppositum tuentur Fland. 2. metaph. q. 4. art. 2. ad 4. & lib. 4. q. 7. art. 2. ad 2. & lib. 5. q. 4. art. 7. ad 5. Ferrar. 1. contragent. cap. 59. §. secundo a uerrēdum. Caiet. 1. p. q. 58. art. 4. in fine. Soto lib. 2. Sumul. cap. 5. & Huert. ibidem q. 19. art. 3. Mas. 1. per. cap. 4. q. 4. Soncin. 6. metaph. q. 13. Greg. q. 2. prolog. q. 3. R.R. M. Ioan. a S. Tho. quest. 11. de anima. R.R. Echallaz disp. 16. de anim. tra

ctatu 5. cap. 1. Et Linæus lib. 7. de anim. tract. 4. c. 2. cum alijs. Et arg. 1. quod repræsentatur vnica specie, cognosci potest vnica cognitione: at quod homo sit animal, vel quod sit risibilis vnica specie repræsentatur: ergo vnico actu cognoscitur ab intellectu. ¶ Dices: quod imò potius secundum D. Tho. ideò intellectus humanus componit, & diuidit, & in hoc distinguitur ab Angelico, quia primo aspectu, & vnico conceptu non potest omnia cognoscere, quæ repræsentantur per vnā speciem, & ideò componit, & diuidit, & discursu percipit plura prædicata connexa cum aliquo subiecto, quæ primo aspectu non cognouerat etiam si repræsentarentur in eadem specie; & plures dicunt passionem repræsentari specie essentie.

Sed contra est, quod intellectus per primam operationem mediante conceptu quidditatis cognoscit hominem vt animal rationale, quāuis hoc non præstet per affirmationem, & negationem: ergo si secunda operatione velit facere hanc propositionem, *homo est animal*, etiā poterit facere vnico conceptu. Prob. consequ. nam secunda operatio perfectior est, quam prima; sed prima cognoscendo quidditatem, cognoscit animalitatem in homine: ergo idem poterit cognoscere secunda affirmando, vel negando, quod est componere propositionem. Tum etiā. Probabile est, quod non datur conceptus copulæ distinctus a conceptu prædicati (maximè si verbum

fit substantiuum: nā hoc ipso, quod concipitur intellectus animalitatem, ut prædicatum hominis attribuitur illi, nec aliquid addit copula, nec repræsentat nisi talem attributionem, sed cognoscendo quidditatem in prima operatione, cognoscit intellectus animalitatem in homine, licet non facit attributionem formalem: ergo potiori iure hoc præstabit secūda operatio vnico conceptu. ¶ Resp. quod si intellectus noster cognoscit quidditatē explicitē cognoscendo prædicatū genericum, & differentiale, nō potest hoc præstare, adhuc in prima operatione per vnicum conceptum incomplexū; sed requiritur conceptus complexus, seu compositus ex duobus in complexis, quia tunc format mentaliter definitionem quidditatis, & definitio est terminus complexus, & oratio mentalis constat partibus significatiuis, ac perinde cū propositio mentalis sit oratio perfecta, necessario debet constare pluribus conceptibus significatiuis, & adinuicē componentibus, siue detur conceptus copulæ distinctus, siue non.

12 Si obijcies 2. D. Th. 1. cōtra gēt. c. 5. rat. 1. docet, quod sicut intellectus vnica cognitione cognoscit continuum, & eius partes, sic simul intelligit totam propositionem, & non prius subiectum, & postea prædicatum, quia vnica specie totius extrema intelligit. At continuum, & eius partes intelligit vnico conceptu simplici: ergo etiā vnico conceptu intelligit totam propositionem. Quod &

ferè repetit D. Tho 1. p. q. 58. art. 2. vbi ait, quod quando plura cognoscuntur vt vnum, possunt simul cognosci, tam per sensum, quam per intellectum: Et sic intellectus noster prædicatum, & subiectum, vt sunt partes vtriusque propositionis simul intelligit. Sed quando sensus v. gr. visus plura cognoscit vt vnum, v. g. quando videt speculum, & in eo plura, vnica actu videt, sicut cum videt exercitium: ergo & intellectus vnico actu simul cognoscit totam propositionem, & subiectum, & prædicatum, sed cognoscendo facit, quia est arte factum rationis: ergo propositio enuntiatiua mentalis est simplex qualitas, seu actus. ¶ Nec valet recursus aliquorum dicentium, quod D. Th. solum docet simul, & vnico actu cognosci subiectum, & prædicatum simultate, & vnitatem ordinis, non vero vnitatem simplicitatis: nā vt docet 1. p. q. 58. art. 7. quæ ordinata sunt quodammodo vnum sūt. Non inquam valet; quia vnitatis ordinis consistit in hoc, quod vnum sit prius, alterū posterius; at docet D. Tho. quod intellectus ita simul cognoscit subiectum, & prædicatum, vt non prius vnum, & postea aliud: ergo non loquitur de vnitatem ordinis, sed de vnitatem simplicitatis.

Præterea, ea vnitatem cognitionis attingit intellectus subiectū, & prædicatū, qua attingit partes continū: dū continū cognoscit, & qua sensus cognoscit plura in vno, vt cum visus cognoscit vnico intuitu totum exercitium, vel videt plu-

ra in speculo: sed tunc est unitas simpliciter in cognitione: ergo etiam in nostro casu. De quo vide Ortiz loco cit. n. 107. & 112. ubi pluribus hanc euersionem refellit.

13. Qua propter melius resp. (meo videri) dicendo. Ibi loquitur D. Tho. de iudicio reflexo, & signato, quo totam propositionem vt vnū quid intelligit, & sic vnico conceptu partes eius cognoscit sicut cū in continuo cognoscit partes, & sicut sensus plura in vno cognoscit; non tamen loquitur de iudicio purè enuntiativè exercito, quando constituit ipsam propositionem mentalem: tunc enim non cognoscit plura in vno; sed potius vnum in pluribus, quatenus ordinat subiectum, & predicatum vt faciat vnā propositionem. Et de isto iudicio reflexo, quod sepe intemere loquitur D. Thom. 6. met. lect. vlt. Quod patet, quia D. Tho. docet, quod tunc cognoscit illa simul per speciem totius; at non habet speciem totius nisi propositio iam sit facta: & tunc iam cognoscitur reflexè, non vero dum accurrit: non ergo cognoscit simul subiectum, & predicatum per speciem totius quando facit illud totum enuntiando vnum de alio in exercitio, sed quando reflectit, & per speciem totius propositionis cognoscit partes.

13. Arg. 3. etiam si propositio enuntiativa mentalis sit simplex conceptus, dum tamen precesserint plures conceptus in prima apprehensione, ex quorum collatione intel-

lectus simul apprehendat compositionem propositionis saluatur differentia intellectus humani ab Angelico in componendo, & diuidendo: ergo eum natura semper inclinaret vt per pauciora operetur, sequitur nostram enuntiationem esse simplicem qualitatem. Prob. antec. nam et si in Angelis possint precedere plures conceptus, tamen non precedit eorum collatio ad percipiendam veritatem, sed simplici intuitu eam penetrant: ergo.

Resp. quod vel illa collatio precedit in prima, vel in secunda operatione nostra; non prima; quia illa simpliciter intelligit, & non comparatiuè, neque in exercitio formando intentionem subiecti, & predicati, vt probatum est: nam hoc esset componere in exercitio: ergo precedit in secunda, vbi comparat predicatum subiecto, vel vnā rem mouet ab altero: hæc autem collatio, per quam homo differt ab Angelo in secunda operatione; nequit esse per vnicum actum, siquid tribuit extremis oppositas intentiones subiecti, & predicati in esse cognitio, ac per consequens eo ipso, quod ex collatione plurium conceptuum iudicat intellectus, & significat mentaliter verum, & falsum, sequitur, quod enuntiatio mentalis, qua hoc ipsum exercitè facit, sit composita, & non simplex qualitas. Si autem ea collatio, nec est in prima operatione, nec in secunda, non est composita ex parte actuum intellectus, sed solum obiectiuè, & sic non esset per

per quid intellectus noster differret ab Angelico in modo intelligendi; quia etiam in Angelo potest præcedere multitudo conceptuum simplicium ante iudicium ( vt iam supra ostendi ) & in ipso iudicio, & cognitione veritatis interuenit in eo collatio obiectiua, quamuis non compositio intellectuum.

15 Arg. 4. & potest esse replica. Intellectus humanus vnico simplici conceptu secundæ operationis potest in exercitio conferre prædicatum subiecto, & vnum alteri attribuere, & tribuere illis intentiones subiecti, & prædicati; sed hoc est actu componere propositionem enuntiativam: ergo hæc est simplex qualitas. Prob. mai. cum format hæc propositionem identicam, *homo est homo*, idem numero conceptus est, cum idemmet representetur ex parte vtriusq; extremi, vel si sunt duo, erunt solo numero distincta, quæ simul non possunt esse in eodem subiecto, & intellectu. ¶ Si dicas; tunc saluari compositionem ex eo, quod eisi conceptus sit idem ex parte vtriusque extremi, tamen conceptus copulæ est diuersus. ¶ Sed contra est; conceptum copulæ substantiue non esse diuersum à conceptu prædicati.

Tū, quia cōceptus prædicati representat eius significatum, vt attributum subiecto; ergo in exercitio attribuit: ergo copulat; ergo non requiritur diuersus conceptus copulæ. Tum etiam, sicut *ly ergo*, vt copula vocalis est nota illationis, ita *ly est*, vt copu-

la vocalis est nota attributionis mentalis: quod satis innuit D. Tho. 1. p. quæst. 58. art. 4. sed notæ illationis non correspondet in mente diuersus conceptus præter exercitiū colligendi mentaliter conclusionem ex principijs: ergo nec verbo substantiuo correspondet diuersus conceptus ab illo, quo prædicatum concipitur, vt attributum subiecti.

Tum etiam non est diuersus conceptus, cui non correspondet diuersa significatio: at in hac propositione *Petrus scribit, Petrus est scribēs*, non correspondet in mente vltimata diuersum significatum: ergo idē est cum *ly scribit*, est prædicatum de secundo, vel de tertio adiacente: et *go ly est* non habet diuersum conceptum.

16 Resp. quod in propositione identica non est idem conceptus numero ex parte subiecti, & prædicati, nec duo solo numero diuersi, quia licet idem significant, tamen sub diuerso modo, & sub diuersa intentione: vt ait D. Tho. 1. p. q. 13. artic. 12. quia subiectum representatur vt habens, & prædicatum habitum. Et dato, quod solo numero differrent, non esset absurdū, quia non sunt simul, sed vnus succedit alteri, sicut contingit in prolatione oratione vocalis, quæ habet eandem veritatem entis successiuam, sicut mentalis, quia vtrouque est species quantitatis discretæ cum vtraque sit vere oratio. Et quamuis hoc sufficeret ad argumentum, nihilominus, quia est probabilis, quod copula, seu ver-

huiusmodi proprie, & diuerso conceptu: quia representat esse, seu compositionem totalem; predicatum vero significat compositionem formalem; unde sicut forma, & humanitas differunt, sic id, quod significat predicatum, & copula; unde significatum copule representat ipsam compositionem in recto, quam non in recto, sed quasi in obliquo representat predicatum. Diuersum autem quid est, quod forma componat cum materia, & ipsum compositum, seu compositio: nam illa est forma partialis; hæc vero totalis, & hoc est, quod ibi docet Arist. 5. metaph. cap. 7. quem citat D. Tho. in 3. dist. 6. q. 2. art. 2. dicit, quod est significat veritatem, quia significat conjunctionem, seu compositionem. ¶ Ex quo ad 2. dico, non esse eandem rationem de verbo, ac de nota illationis; illa enim solum denotat motum in intellectus, qui cum sit discretus solum consistit in successiva attingentia antecedentis, & consequentis, ac per consequens non correspondet in mente conceptus medius: at verbum significat veritatem, & compositionem totalem propositionis, & non solum successionem conceptuum; & ideo illi correspondet conceptus specialis in mente. ¶ Ad 3. dico, quod in mente ultimata idem significat verbum, & participium, & ideo idem est Petrus scribit, & Petrus est scribens: & in mente ultimata tam est de secundo adiacente vna, sicut altera: quia tantum constat duplici conceptu. Et ideo non mirum, quod ibi

non habeat copula specialem conceptum cum copula, habeat rationem predicati, nec habeat extrema que copulet. At cum predicatum est diuersæ rationis, & est propositio cum proprietate de tertio adiacente, tunc copula est in mente conceptus medius inter subiectum, & predicatum, ut dictum est.

Vel dic, quod omne verbum adiectiuum implicat substantiuum, unde quoad mentem ultimata idem est Petrus scribit, & Petrus est scribens: ac per consequens omnis propositio de verbo adiectiuo est de tertio odiacente in mente ultimata: quæ doctrina aperte traditur à D. Thom. 1. perh. lect. 5. lit. K.

17 Arg. 5. Propositio mentalis est illa, quæ significat verum, & falsum cum assensu, & iudicio; sed hoc saluari non potest, nisi in unico simplici conceptu: ergo propositio etiam enuntiativa mentalis est simplex qualitas. Prob. min. non est signum veritatis in intellectu, nisi sit in illo, tanquam indiciente, & proferente verum, id est, nisi dicat ita esse significat concipit, ut docet D. Tho. 1. p. q. 16. ar. 2. Sed hoc non facit intellectus, nisi vnica prolatione, seu actu: ergo. ¶ Resp. quod intellectus per copulam mentalem, qua cognoscit compositionem predicati cum subiecto, quæque sine compositis stare non potest, ut docet D. Tho. 1. per. lect. 5. lit. M. in exercitio profert ita esse sicut dicit, quamuis hoc non dicat reflexè; & in actu signato, ac per inde propositio mentalis est composita

ta qualitas; significatque verū, & falsum cū iudicio, & assensu; sed perficitur in conceptu copulæ vniuentis extrema conformiter ad ea, quæ in re esse intelligit, ad quod non requiritur, quod tota propositio sit simplex actus, sed quod conceptus copulæ sit simplex; at ille cōceptus cū sit vniuentis, & coniunctionis cōceptus, seu compositionis totalis affert secum cōceptus subiecti, & prædicati tanquam partium componentium, & hac ratione tota enūciatio est cōposita qualitas, quibus attentè consideratis plurima iugulantur argumenta, quæ hic molestiam afferunt respondentibus.

15 Si infes, quod propositio mentalis debet significare verū, & falsum, & hoc significat quatenus affirmat totum hoc coniunctum; non vero quatenus mentaliter dicit homo aut est, aut animal; sed hoc nō potest fieri nisi detur vnus simplex conceptus, quo tota illa propositio repræsentetur simul, sicut vnico intuitu repræsentatur totum continuum, & eius partes; aut sicut simul repræsentatur, & cognoscitur speculum, & quæ in eo sunt: ergo propositio mentalis est simplex qualitas. Prob. min. nam si dantur illi tres conceptus successiui subiecti prædicati, & copulæ, quando adest conceptus prædicati, iam pertransijt conceptus subiecti, & quando adest conceptus copulæ, iam non subsistunt extrema, neque repræsentantur. Quid ergo vnit copula? Quid affirmat? Quomodo dicit ita esse totum illud coniunctū, quod nec repræsentatur

à copula, nec extrinsecam pro illo tunc. Nec valet recursus ad propositionem vocalem, aut ad discursum, quæ consistit in successiua attingentia antecedentis, & consequentis. Tum quia propositio vocalis non repræsentat intellectui suam veritatē, donec tota ea audita formet intellectui vnum conceptū de toto illo coniuncto, in quo tantū est veritas. Discursus autē non manifestat veritatem, donec in termino eius formetur iudiciū resolutiuum de toto sillogismo, reducēdo cōclusionem ad principia, in qua reductione quiescit intellectus contemplando veritatem demonstratā, & donec formet hoc iudiciū simplex, procedit via originis, & inuentionis, nec dicitur attingere veritatem demonstratiuè: ergo idem dicendum est in nostro casu, quod propositio mentalis, licet præsuppositiuè dicat cōpositionem plurium conceptuum; formaliter tamen non datur propositio significativa veri, vel falsi, taliter, quod percipiatur ab intellectu, donec formet conceptum simplicem iudicatiuū, & repræsentatiuū totius cōpositionis. ¶ Resp. tamē ex dictis, quod cū oratio mentalis sit ens successiuum, sicut & tēpus, quasi existunt eius partes, nō in se, sed in termino cōtinuatiuo, quod est copula, & media illa repræsentantur quasi in termino cōtinuatiuo, & diiudicat intellectus in exercitio de convenientia prædicati cū subiecto, & quod ita est in re, quā ob rē, non requiritur illud iudiciū simplex, nisi velit intellectus signatè hoc cogoscere, & reflexè, si-

cut etiā cōtingit in discursu, qui quidē ad maiore firmitatē, & quierem terminatur ad iudiciū simplex resolutionū. Sed tamen ante illud iam cōuictus est intellectus in exercitio ad assentiendum demonstratiuē cōclusioni, & cōnexioni prædicati, & subiecti in cōclusionē ex assensu principiorū, & ex euidētia cōnexionis eorundē principiorū cū medio in præmissis. Et cōsequenter etiā dicendū est, quod intellectus audiens aliquā propositionē ad cognoscendā veritatē, nō spectat habere iudiciū simplex, reflexum, & signatū, sed simul ac audit & percipit vltimā rē propositionē vocalē, assentitur illi, & in exercitio iudicat verē, vel falsē cōcipiendo plures cōceptus, subiecti, copulæ, & prædicati eodē ordine quod audit. Quod experientia ipsa constantissimū est, sicut & quod post iā formatū assensum exercitiū, potest reflecti circa audita, & circa assensum præstitū approbando, vel reprobando illū. Et ratio omnium horum est, quia intellectus humanus, secundū quod distinguitur a diuino, & Angelico, procedit modo cōpositiuo, ac perinde cōpositione ipsa format iudicium.

16. Si instes ad hæc omnia, quod passionēs propositionis, vt veritas, vel falsitas, & alia huiusmodi sūt aliquid simplex: ergo & ipsa propositio, si quidē passionēs cū essentia debent proportionari. ¶ Resp. instando in risibilitate, quæ est quid simplex, & tamē sequitur ad essentiam hominis, quæ est cōposita tam phisi-

cè, quam metaphysicè. Alia multa congerunt in præsentī manu scripta nostratum, quæ minoris difficultatis sunt, & ideo libentissimè omitto.

*Dub. 6. Quales sint diuisiones propositionis in categoricam, & hypotheticam, affirmatiuam, & negatiuam, vniuersalem, & particularem?*

**I** Num, & idem ratione diuersorū posse pati plures diuisiones: notius est apud peritos, quā vt egeat probatione. Tria habet propositio, copulam, prædicatum, & subiectū: ratione primi diuiditur in categoricā, & hypotheticam: ratione secundi in affirmatiuam, & negatiuā: ratione tertij in vniuersalem, particularem, &c. Ratione primi attendit diuisio cōpositionem ipsam, quam significat copula. Secunda sequitur qualitatem, quia prædicatum est forma, & qualitat. Tertia, quia fit ratione subiecti, quod quantificat, dicitur diuisio penes quātitatem. Notat autem D. Th. 1. per 1. lec. 8. lit. E. quod propositio vt sic, nō diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam, vniuersalem, & particularem. Quia hypothetica formaliter non constat subiecto, & prædicato, sed sola propositio categorica est, quæ in hæc mēbra diuiditur. Quibus positis ad rem iam accingor.

*§. 1. Diuisio enunciationis in categoricam, & hypotheticam, vniuoca est, & essentialis, & generis in species.*

2. *Esse diuisionem essentialem commu-*

communiter tuerentur Thomistæ cū Auct. opusc. 48. tract. de propositione cap. 6. vbi dixit, hanc diuisionem fieri ratione substantiæ sumpta substantia præ essentialia. Quod verò sit vniuoca, & generis in species, tenet Soto, & Mercado lib. 2. sum. c. 6. Banez lib. 1. sum. tract. de orat. cap. 3. R.R. M. Ioan. à S. Tho. q. 3. de propositione art. 2. Ortiz tract. de propof. art. 3. conclus. vlt.

3. Quod sit essentialis constat: quia sit ratione copulæ, quæ dat quæ sit formam totalem propositionis, & repræsentat totam compositionem, & veritatem, iudicium attributionem, & enunciationem mentaliter constituit. Tum, quia essentialis propositionis attenditur penes enunciate vnum de alio significando verum vel falsum: at categorica, & hypothetica diuerso modo enunciant, & diuersimode significant verum, vel falsum: distinctæ enim rationis est veritas, & falsitas hypothetica à categorica, vt statim ostendamus: ergo hæc diuisio est essentialis.

4. Quod vero sit vniuoca, & generis in species, prob. & quidē si semel est diuisio vniuoca, & essentialis, necessario sequitur esse generis in species. Quod autem sit vniuoca sic ostendo: quia hypothetica independenter à categorica, & eius veritate est oratio significans verum, vel falsum: ergo vniuocè conuenit cum illa in ratione propositionis. Prob. antec. Tū quia hæc propositio hypothetica, si homo volaret haberet alas, significat veritatem necessariam, & tamē

non constat ex propositionibus categoricis (nam orationes illæ non sunt de indicatiuo, sed de subiunctiuo:) ergo independenter à categoricis est oratio significans verum, & falsum simpliciter. Quod autem constat propositionibus categoricis ad hoc se habet per accidens, & materialiter, & in ratione significandi verum, vel falsum non pendet ab illis: nam istæ categoricæ, homo volat, & homo habet alas, sunt falsæ, & impossibiles; & tamen ista hypothetica, si homo volat habet alas, est vera, & necessaria: ergo in sua veritate, vel falsitate non pendet hypothetica à categoricis formaliter. Quod autem componatur quædoque ex illis materialiter, non obstat: nam hoc modo constat corpus superficiebus, & lineis; & tamen quia addit ex se diuersam extensionem, diuisio quantitatis continuæ, in lineam, superficiem, & corpus est vniuoca, & generis in species. Et similiter licet terminus complexus constet etiam materialiter ex duobus incomplexis, tamē probabile est diuidi vniuocè terminum in complexum, & incomplexum (& non diuidi essentialiter, & tanquam genus in species aliud obstat, quod ibi videri potest:) quia sub intentione complexionis æquè est compositiuus propositionis, ac incomplexus: ergo si hypothetica æquè bene significat veritatem, sicut categorica, quod ex illis possit constare, & componi, quasi per accidens, vel materialiter, non obstat quominus hæc diuisio sit vniuoca, & per consequens generis in species.

5 Si dicas, diuisionem non esse vniuocā, quia hypothetica non est vna oratio simpliciter, sed vna secundū quid. Quod constat, quia vnū per se fit ex vnione potētiae, & actus, seu subiecti, & formae, seu vt ad rem loquamur, ex subiecto, & praedicto; hypothetica autem constat quasi ex pluribus entibus in actu, & ideo est plures simpliciter, ac per consequens diuisio est analogica: sicut cura diuiditur in vnum, & plura: vnde D. Tho. 1. perh. lect. 8. in principio, & lect. 10. dicit cum Arist. quod hypothetica, non est vna simpliciter, sed vna secundū quid. Quod autem in aliqua linea est vnum secundum quid, etiam in illa linea est ens secundum quid: ergo diuisio orationis, & propositionis in categoricam, & hypotheticam est analogica. Sed contra est, & simul resp. quod diuisio orationis in definitionem, diuisionem, & argumentationem est vniuocā, & tamē partes argumentationis non vniantur per modum potentiae, & actus subiecti, & formae, seu praedicti, nec minus est cōiunctio vna argumentatio, quam propositio hypothetica ( siquidem eadem est vtriusque copula, licet sub diuersa ratione: ) ergo hypothetica simpliciter, & vniuocē est oratio, & per consequens propositio. Tum etiam, nam licet in linea entis nō inueniatur vnitas, & entitas simpliciter talis, nisi partes compositi vniantur per modum materiae, & formae, tamen in linea artificiali potest dici vnum simpliciter illud totum, cuius partes non

se habēt per modū subiecti, & formae, vt patet in domo, vbi vnum cubiculum non est actus, & forma alterius: at diuisio haec non datur in genere entis, sed in artificiali: ergo & si hypothetica non cōstet partibus quarū vna se habeat vt forma alterius, non tollitur quin sit per se vna simpliciter. Praeterquā quod et si partes ipsae nō se habeant sic, tamē copula ipsa est forma partium: cū ergo haec sit simpliciter talis in linea copulae respectu hypotheticae, siquidē fundat veritatē, nō minus simpliciter talem quam copula categorica, admitti debet, quod est vna per se in linea orationis, & propositionis. ¶ Nec auctoritates D. Tho. & Arist. oppositum suadent. Tū quia verificantur considerando has propositiones in linea entis; nō verò in linea artificiali. Tum quia debent intelligi considerādo ordinē partium inter se; sic enim cū in categorica habeat vna rationē subiecti, altera verò rationem formae, & praedicti antecedenter ad copulam, quae significat quasi formam totalē, habet categorica esse vna per se: at cum partes hypotheticae inter se comparatae nō habeant hunc ordinē, sed sint entia in actu, vnū secundū quid cōstituunt ex se: at informata copula vnum per se cōstituunt. ¶ Vel dic, D. Tho. ibi pro eodem sumere vnum simpliciter, ac si dicat non cōstare cōpositis; & vnu secundū quid, ac si dicat componi ex compositis, & sic loquitur comparatiuē ad partes inter se, non comparatiuē ad formam totalem.

lem, & artificialem. Vel dic, quod quoad modum est altera, *vna simpliciter*, altera vero *vna secundum quid*, eo modo quo author opusc. 48. de enunc. cap. 6. ait, diuisionē esse quasi analogi in analogata; quia habet modum analogæ diuisionis. Et in sē su, quo D. Tho. q. 9. de pot. art. 2. ad 6. dixit, diuisionem substantiæ, in primam, & secundam, magis esse analogi in analogata, quam generis in species. De quo vide R.R. Ioan. à S. Th. loco iam relato.

*Soluantur argumenta.*

6 Oppositum (scilicet, quod sit hæc diuisio analogica) tuentur Huer. lib. Sum. c. 6. q. 19. 2. 5. cum Boetio, & Ammon. 1. perh. cap. 4. & cū Toletio ibi q. 2. & Mas. q. 5. & Rub. q. 6. M. Ioā. Mart. lib. 2. Dialect. c. 8. q. 1. Et prob. quia D. T. in prox. perh. docet ideo Arist. nō tractasse de propositione hypothetica: *quia comparatur ad categoricam, sicut vnum, & multa, & quia videtur, quod absolute non significat veritatem, sed ex suppositione.* Sed diuisio in vnum, & multa est analogica, vt patet cum ens in hæc diuiditur. Et significare veritatē nō absolute, sed ex suppositione, est cōuenire illi definitionem propositionis, non absolute: ergo hæc diuisio est analogica. Et confirmari potest ex obiectis n. 5. ¶ Resp. inde colligi esse analogā quoad modum, & in esse entis, non vero in linea artificiali. Veritas autem illa hypothetica, seu ex suppositione est secundū quid, & inutilis in ordine ad demonstrationē, quæ ex absolute veris procedit, &

hac ratione, vt ibi docet D. T. omittitur ab Arist. at in linea propositionis, seu veritatis non demonstrabilis, & propositionalis, tam absolute est veritas sicut categorica, siquidē est necessario verum, quod *si homo volaueret haberet alas.*

7 Arg. 2. tūc est diuisio analogica per prius dicitur ratio analogica de vno membro diuidente, quā de alio; sed ratio propositionis vt sic per prius, & per se dicitur de categorica: de hypothetica autem dicitur per posterius, & per accidens: ergo diuisio ista est analogica. Prob. min. propositio vt sic est enuntiatio, & consistit in enūciare vnū de alio; at categorica per prius, & per se enūciat, siquidē sine illa non fiat hypothetica. Hæc vero per posterius, supponēdo categoricā, & per accidēs, quia non enūciat vnū de alio ex se, sed quatenus cōtinet categoricas, quæ sūt enūciatiuæ: ergo. ¶ Cōf. eadē est ratio vnus, & ratio talis, at in ratione enūciandi, categorica est vna simpliciter, & hypothetica est vna secundū quid: ergo in linea enūciationis est talis secundū quid. Prob. minor: illa enūciatio est vna simpliciter, quæ dicit vnū enūciabile, & illa est vna secundū quid, quæ dicit plura: sed categorica dicit vnū enūciabile, & hypothetica plura: ergo. Prob. min. enūciabile est vnū, quatenus vnū affirmatur: at in hypothetica, v.g. in illa, *Petrus currit, & Paulus loquitur*, non est vna affirmatio, sed plures, vt docet Arist. 1. perh. lect. 12. ergo.

Resp. ex simili doct. D. Thom.  
 1. perh. lect. 8. quod prius, & posterius reperitur inter has propositiones inæqualitate proueniente ex ratione inferiori, non ex superiori; & ideo nō est analogia logica, sed modus. Quod patet à simili affirmationis, quæ est prior, quam negatio, & numerus par, quam impar; & tamē diuisio propositionis in affirmatiuā & negatiuā, & numeri in parē, & imparē est uniuoca. Nego etiā, quod hypothetica per accidens enunciet: quia licet enunciare categoricè sit affirmare, & negare: at enunciare absolute non consistit in hoc, sed in eo quod fundetur verum iudicium de toto aliquo cōplexo, siue categorico, siue hypothetico. Fateor quidē, quod hypothetica est vna secundum quid, & per accidens enunciat secundum quod enunciare dicit affirmare, vel negare, & quod sic diuisio est analogica, at secundum quod enunciare dicit exprimere veritatem complexam, tam per se, & tam æquè primo competit hypotheticæ, licet categoricæ, & sic satisfiat facillè etiam confirmationi.

8. Arg. 3. & est replica ad dicta; non potest esse vnum totum per se artefactum, nisi partes, ex quibus artificiosè componitur, sint per se partes in eadem linea artificiosa: at hypothetica non componitur ex terminis, qui tantum in logica sūt per se partes orationis, sed ex complexis propositionalibus, quæ sunt per se tota, & per accidens partes in cōsideratione artificiosa logica: ergo

hypothetica non est vna propositio, & vnum artefactum: ergo nedū in esse entis; sed etiam in linea propositionis est hæc diuisio in vnum, & multa. ¶ Resp. instando in opinione dicentium, quod terminus complexus non est per se vnus terminus, & tamen propositio categorica ex illo composita est vna per se, vt patet in hac, *Petrus logicus est rector cursor*, & patet in categorica, quæ constat ex copula implicationis. ¶ Ad arg. ergo, nego, quod illa complexa non sint partes per se hypotheticæ: nam esse non sint termini, sunt tamē propositiones simplicis, & ratio termini non consistit in ordine ad componendum vtcumque, sed propositionem simplicem. ¶ Vnde sicut propositiones simplices sunt per se partes artificiosæ syllogismi, & syllogismus est vnum per se in linea orationis, & artefacti logici: sic categoricæ sunt per se partes respectu hypotheticæ. Sed debes aduertere, quod categorica non per se cōponit hypotheticā per formā, quæ est categorica; impossibile enim est, quod vna species per se aliam componat sub eodem genere; sed per se componit sub alia intentione logica, quæ superuenit eidē materiali, sicut corpus per se componitur ex lineis. cū per se constet trina dimensione, sed non ea ratione qua linea dicit suam speciē, sed sub alio respectu fundato in eodē materiali lineæ: sic in præsentii. ¶ Si istes, quod copulatiua veritas per se resultat ex veritatibus categoricis: ergo cōponitur ex illis,

vt categoricæ sūt, & quatenus que libet significat suam simplicē veritatem: ergo constat ex illis tanquam ex partibus sub ratione earū specificā; at sic per accidēs solū possunt componere: ergo ipoteticā totum resultans erit totum per accidens.

Resp. negando, quod per se resultat veritas ipotetica copulatiuæ ex categoricis: nā vna eorū existēte falsa, tota est falsa: ergo distinctæ rationis est veritas ipotetica. Et si vtraque sit vera, adhuc per se nō resultat ex illis, sed significat distinctā veritatē, scilicet, quod vtraque coexistit, quod neutra earum significabat.

§. 2. *Diuisio in affirmatiuam, & negatiuam bona est, & generis in species.*

9 **P**rima pars, quod scilicet, diuisio propositionis categoricæ in affirmatiuā, & negatiuā (relinquitur enim ipotetica; nec diuiditur hac diuisione) est D. Tho. 1. perh. lectio 8. & ratio suadet: quia tenent omnes cōditiones bonæ diuisionis, siquidē perfectē exhaurit cōfusionē diuisi, & datur per mēbra opposita. Quod & cōstabit ex solutione argumentorum.

10 Quod vero sit generis in species prob. quia est expressa D. Tho. 1. Perh. lect. 8. lit. B. & lect. 10. Et probatur eius ratione, nā quæ diuidit ratione formæ, seu habitudinis formæ, est diuisio formalis, & generis in species, sicut quod diuidit animal ratione sēnsibilitatis, diuidit formaliter: sed affirmatio, & negatio diuidūt propositionē categoricā

ratione habitudinis prædicati ad subiectū, & prædicatū habet se vt forma in propositione: ergo hæc diuisio formalis est, & essentialis. Alias mēbra diuidētia æqualiter participant rationē diuisi, siquidē vtraque æqualiter significat verū, & falsū, & enunciat ita esse, vel non esse in re: ergo est vniuoca diuisio: sed diuisio vniuoca, quæ est in ratione formali, & nō in ratione materiali, nō est diuisio numerica: ergo erit specifica (nō enim datur mediū) ergo est generis in species.

11 **N**ec obstat obiectio Amonij existimātis esse diuisionē analogā, quia propositio affirmatiua est prior negatiua. Respondet nāque D. Tho. eadē lect. 8. lit. F. Quod hæc prioritas, & inæqualitas nō prouenit ex ratione superiori, sed ex rationibus inferioribus, & ideo nō sufficit ad analogiam logicā, et si interueniat analogia philica: sicut etiam, quod numerus par sit prior impari, hac ratione nō impedit vniuocationem numeri respectu paris, & imparis.

*Soluuntur argumenta.*

12 **C**ōtra primā partē cōclusionis arg. hæc propositio, *Itellus est, & nō fuit albus*, est verē propositio, & tamē nec est affirmatiua, nec negatiua formaliter, vel est vtrūque: ergo diuisio nō est bona. Pater cōsequētia: nam ad bonā diuisionē duo requirūtur, & quod nihil participet rationē diuisi: quin sit in aliquo ex mēbris diuidētibz, & quod non coincidat in eodē, quia debēt esse op-

posita. Ant. vero prob. nō est forma-  
liter negatiua. Tum quia copula hy-  
potetica est affirmatiua, v.g. *ly et tu*  
quia infert vnam affirmatiuā. v.g.  
*est albus*: ergo in antecedenti requiri-  
tur existentia extremorum pro eo-  
dem, cum hoc requiratur in illo con-  
sequēti affirmatiuo, quod infertur  
ex illo antecedenti, nec possit plus  
exigere cōsequens bonæ cōseq. ad  
sui verificationem, quā antecēdēs,  
quia non potest dari ant. verum &  
consequens fallum in bona conse-  
quētia, quod posset dari si minus exi-  
geret ant. ad sui veritatem, quam cō-  
sequēs: ergo præfata propositio nō  
est formaliter negatiua. Quod vero  
nec sit formaliter affirmatiua vide-  
tur certum: quia negatio est de ge-  
nere malorum, malum autem ex  
quocūque defectu provenit, cum  
tamen bonum sit ex integra causa,  
& ad bonum requiratur affirmatiua  
propositio; sed præfata includit ne-  
gationem in se ipsa, vt patet: ergo  
non est formaliter affirmatiua. Tū  
etiam constat, quia nō minus infert  
vnam negatiuam, quam affirmati-  
uā; sicut enim ex illa, *Petrus est, & nō  
est albus*: infertur ergo *Petrus est alb⁹*,  
ita etiam infertur: ergo *non fuit alb⁹*:  
ergo vel est vtrūque, vel non est for-  
maliter affirmatiua.

13 Resp. quod etsi detur totum  
argumentum, nihil contra nos: quia  
præfata propositio, quæ attenditur  
præcipue ratione suæ copulæ; nec  
est affirmatiua, nec negatiua: quia  
hic non diuiditur propositio hypo-  
tetica, sed tantum categorica: hæc

autem nostra propositio cōstat dua-  
bus categoricis, quarum altera  
est affirmatiua, altera autem negati-  
ua: nulla autem earum est non affir-  
matiua, nec negatiua, aut neutrum,  
quod requirebatur, vt obiectio cō-  
tra nos militaret. Si autem demus  
quod etiam hypothetica diuiditur  
in affirmatiuam, & negatiuā. Resp.  
facile, præfata propositionem  
esse affirmatiuam; quia habet pro-  
prietates affirmatiuæ, id est exigit,  
quod extrema supponant: quia in-  
fert consequens affirmatiuum hoc  
idem exigens, nec potest minus exi-  
gere consequens quam antecēdēs,  
ne in bona consequentia possit dari  
ant. verum, & consequens fallum.  
Nec obstat, quod etiā possit inferri  
negatiua: quia ad hoc sufficit, quod  
sit virtualiter negatiua: si autē qua-  
tenus potens inferre affirmatiuā re-  
quirit formales proprietates affirma-  
tiuæ, sequitur, quod sit formaliter  
affirmatiua: & tantū virtualiter nega-  
tiua. Nec obstat, quod malū sit ex  
quocūque defectu: quia ibi negatio  
se habet materialiter, & virtualiter  
in ordine ad eisdē quāuis in iudicē-  
do formaliter se habeat. ¶ Nec ob-  
stat etiā, quod in bona cōsequētia, si  
cōsequēs est negatiuū, & antecēdēs  
debet esse negatiuū: ergo si ex se in-  
fert vñ negatiuā, in se est negatiua:  
(aliās est affirmatiua: ) ergo est vtrū-  
que. ¶ Resp. enim. Tū non esse ab-  
surdū sub diuersa formalitate, sicut  
idē potest esse bonū honestū, & vi-  
le, & delectabile. Tū, quod taliter  
infert negatiuū, quod ad sui verita-  
tem

te exigit proprietates affirmatiua, & sic solum virtualiter est negatiua, & hoc sufficit ad bonam consequentiam, quia illa maxima verificatur cum omni rigore, & formalitate quando antecedens est categoricū, non vero si sit hypoteticum. Quod explicatur, quia qualitas propositionis præcipue attenditur penes copulam principalem, & extrema principalia: cum autem copula illa principalis sit affirmatiua (non negatur ly  $\text{et}$ ) & habeat proprietates affirmatiuas, vt dicta est; sequitur, quod sit affirmatiua; aut virtualiter, aut materialiter, sicut & hæc categorica, *homo, qui n̄ curat, disputat*, quæ etiã potest inferre ex se negatiua; quod vero ly  $\text{et}$ , affirmetur ibi, constat, quia affirmatiue coniungit veritatem categoricarum.

14. Arg. 2. in hypotetica disiunctiua mixta. v.g. *homo est, vel non fuit albus*, quæ nec est affirmatiua cum possit inferri ex negatiua, v.g. ex hæc, *non fuit albus*, ac perinde cum consequens non perat amplius, quã antecedens, ne detur antecedens verum, & consequens falsum in bona consequentiã, sequitur, quod ad eius verificationem nõ requiratur, quod extrema supponat, quæ est proprietas negatiua. Ex alia parte videtur non negatiua, cum inferat affirmatiuam; cum tamen in bona consequentiã, si cõsequens est affirmatiuum, antecedens debeat esse affirmatiuum. Aliàs etiã videtur vtrũque esse, cū vna pars sit affirmatiua, alia negatiua. ¶ Resp. consequenter ad dicta.

Quod cū copula principalis sit disiunctiua, quæ maximè accedit ad negationem, & alias habeat proprietates negatiuas, cū nõ requirat suppositionem extremorũ ad sui veritatem, sequitur esse formaliter negatiua, & materialiter, aut virtualiter affirmatiua, ratione cuius inferre potest affirmatiua: sed melius est negare, quod ex illa inferatur affirmatiua, aut negatiua determinate, quia à disiunctiua ad partem nõ est bona consequentia, sed potius à parte ad totam.

15. Arg. 3. contra 2. p. conclus. idem diuisũ nequit immediate diuidi pluribus diuisionibus adæquatis, alias nulla esset adæquata diuisio: sed propositio immediate, & essentialiter, diuiditur adæquate in categoricã, & hypoteticã: ergo nõ potest diuidi essentialiter, & adæquate in affirmatiua, & negatiua. Dices, nõ posse sic diuidi sub eadẽ formalitate, posse tamen si habet diuersas formalitates, vt de pluribus legis diuisionibus adæquatis docet D. Th. 1. 2. q. 95. art. 4. at propositio in ordine ad copulam diuiditur in categoricã, & hypoteticã; sed in ordine ad prædicatũ, seu attributionem, & remotionem eius diuiditur in affirmatiua, & negatiua, quæ sũt diuersæ formalitates.

Cõtra est, quod si esse affirmatiua, & negatiua, diuideret propositionem, vt sic sub aliqua formalitate essentiali, quæ esset generica, non posset categorica diuidi in affirmatiua, & negatiua, nec affirmatiua, aut negatiua in categoricã, & hy-

potheticā: quia vna species essentialis nō diuiditur in alias, quæ immediate diuidūt essentiā: at sic potest diuidi propositio vt constat: ergo.

Resp. quod etsi hoc non possit contingere in ente naturali, potest tamen contingere in artificiatu rationis ob reflexionem intellectus; nam etsi intentio vt sic possit diuidi in primam, & secundam essentialiter, ipsa tamen secunda intentio rursus potest sumi, vel primo intentionaliter (vt specietas, quæ est terminus primæ intentionis) vel secundo. Et cum genus sit species vniuersalis, tamen potest prædicari de ipso vniuersali, tanquam de specie.

Sed ad argum. melius resp. quod hæc diuisio non est propositionis vt sic, sed propositionis categoricæ: nam hypotheticæ non conuenit esse affirmatiuam, vel negatiuam, vt dixi in principio huius dubij.

16 Arg. 4. (& potest esse replica contra vltimum modum dicendi) in hac hypothetica; *non si homo currit ille mouetur*, vtraque categorica est affirmatiua; & tamen sensus eius est negatiuus, & ideo est falsa illa hypothetica: nec sensus est, quod si homo non currit mouetur, sed quod etsi currat, tamen non sequitur, quod moueatur: ergo hypotheticæ, etiam conuenit esse affirmatiuam, vel negatiuam.

Resp. quod hypotheticæ proprie, nec affirmantur, nec negantur ratione sui, sed ratione categoricarum, quas includunt quod apparet cum assignantur contradictoriæ. Vn

de præfata propositio non est negatiua ratione sui, quia copula conditionalis proprie negetur; sed quia facit hunc sensum, non sequitur bene, quod homo si currat ille mouetur, & hoc est, quod mens vltimata percipit ea audita. Vide RR. Ioann. à S. Th. q. 5. de prop. art. 3. ad 2. arg.

17 Arg. 5. Essentialis diuersitas propositionis formalis debet desumi in ordine ad obiectiuam, à qua specificatur, in significare diuersam veritatem, aut falsitatem: sed hæc propositio, *homo nō est lapis*, & *homo est nō lapis*, idem significant, & eandem veritatem, & tamen vna est affirmatiua, & altera negatiua: ergo. Nec valet recursus ad diuersum modum significandi; quia si seruat idem obiectum, & eandem veritatem illa variatio erit accidentalis, non verò essentialis; & idem patet in istis, *homo non est rationalis*, & *homo est irrationalis*, quæ sunt æquivalentes, & eiusdem sensus in mente vltimata. ¶ Resp. quod etsi affirmatio, & negatio nō variant substantiam illarum propositionum quasi posterioriticè, & ex parte materiæ (sub qua ratione diuiditur propositio in categoricā, & hypotheticam) variant tamen prioriticè, & ex parte formæ artificiosæ, & in modo attribuendi prædicatum subiecto, sicut enti nema, & syllogismus, licet non variant argumentationem quoad significationem, & veritatem illationis, & necessitatem consequentis: variant tamen eam specificè, quoad formam  
prio-

prioristicam: quia modus ille diuersus collocandi premissas formam prioristicam variat: sic ergo in nostro casu.

18. Tandem arg. varijs medijs contra eandem partem conclusio- nis: variata differentia essentiali, totam essentiam variari necesse est: at variata affirmatione, & negatione manet eadem propositio quoad essentiam: ergo esse affirmatiuam, & negatiuam non affert differentias essentielles propositionis. *Mia. prob.* nam si huic propositioni, *homo est albus*, addatur negatio, redditur negatiua: si tollatur redditur affirmatiua: at hoc syncategorema variare propositionem videtur incredibile: ergo. Tum etiam, *enti, & non enti, esse, & non esse* nulla datur ratio communis vniuoca; sed propositio affirmatiua, & negatiua differunt penes representare in esse, vel non esse rei: ergo non conueniunt vniuocè, sed solum analogicè: ergo hæc diuisio est analoga. Tum denique. Vbi diuisio rationis superioris est analoga, etiã inferior, quæ per lineam rectam diuidit debet esse analoga, sed satis est probabile, quod propositio, vt sic, diuiditur analogicè in categoricam, & hypotheticam: ergo etiam categorica diuiditur analogicè in affirmatiuam, & negatiuam.

Resp. negando, quod maneat eadem propositio: quia illud syncategorema additum, vel sublatum opposito modo enuntiare facit applicando prædicatum subiecto, vel remouendo. ¶ Ad 2. quod licet esse, & non esse nihil in se vniuocè

admittant, tamè significare esse, & non esse admittit, quia vterq; modus significandi est positiuus. Ad 3. neg. mai. nam ens diuiditur analogicè in substantiam, & accidens, & tamen substantia vniuocè diuiditur in primam, & secundam, & qualitas in duas species.

§. 3. *Diuisio propositionis in vniuersalem, & particularem, indefinitam, & singularem bona est, sed accidentalis.*

19. Quod sit bona, & adæquata facile constat, quia nulla datur categorica propositio (quæ hic est diuisum: nam hypothetica hic relinquitur) quæ non sit, vel vniuersalis, vel particularis, & c.

20. Quod vero sit accidentalis, & non essentialis prob. Tum, quia sic docet D. Th. 1. perh. lect. 8. & 10. dum ait, non fieri huiusmodi diuisionem propositionis, ratione compositionis, quæ est illi essentialis, sed ratione quantitatis, quæ est illi accidentalis. Et ratio est, quia in omnibus alijs materijs diuisio, quæ fit penes extensionem, aut restrictionem ad plura, vel pauciora subiecta, est enuntiatio accidentalis; sed hoc modo fit diuisio propositionis, in vniuersalem, particularem, & c. ergo.

*Soluuntur argumenta.*

21. Contra 1. p. conclus. arg. membra diuisantia huius diuisiois coincidunt: ergo non est bona, neque adæquata. Prob. antec. tantum se extendit, & quæ eadem supposita indefinita, & particularis: sed hæc diuisio ratione quantitatis: ergo coincidunt.

diunt hæc membra. ¶ Cōf. quia hæc est bona consequentia per locū a conuersione: *Quidam homo est alb⁹: ergo quoddam album est homo.* Sed in conuersione simplici debet obseruari eadem quantitas; & qualitas: ergo. ¶ Dices, differre in modo, quia indefinita omnino indeterminate supponit pro aliquo; at particularis determinatè, licet vagè. Sed contra vrget, illa consequentia conuersiua. ¶ Resp. quod est diuersitas in modo extensionis: quia indefinita significat plura diuisum, & pro illis supponit, nec inuoluit modū singularitatis; at particularis significat unguare, & vā, licet vagè, & hoc sufficit, vt non coincident membra diuidentia: quia diuisio est accidentalis, penes quantitatem diuersam, aut penes diuersum modum quantitatis: & valet consequ. illa, quia ad vim inferendi, & conuertendi parū refert ille modus, & hæc conuersio requirit, quod seruetur eadem quantitas, & qualitas propositionis quā tum ad substantiam; etsi modus eius varietur.

22 Arg. 2. contra idem, vt diuisio esset ad equata requirebatur, quod nulla esset propositio, quæ nō cōtineretur sub aliquo ex mēbris diuidentibus: at hæc propositio, *homo est species*, est verè propositio, & tamen neque est indefinita, cum non exerceat subiectum rationem termini communis, neque particularis cum non aficiatur signo particularitatis, neque singularitatis, cum subiectum non sit terminus singula

ris: ergo. ¶ Si dicas, hic non fieri diuisiōnem, nisi propositionis habentis subiectum supponens personaliter. ¶ Contra est, quod propositio singularis conuincit oppositum, cū non constet subiecto sic supponete.

Resp. quod illa propositio reducit ad singularem, eo, quod supponat immobiliter, & sumatur natura in statu abstractionis, vbi quoad supponendum eundem statū habet quoad distributionem, ac si esset terminus singularis. ¶ Si inthes, quod propositio singularis (vt omnem dubitationem hic occurrētem euellam) eāret omni quantitate, & extensione, & potius dicit indiuisibilitatem, & carētiā extensionis: ergo malè diuiditur propositio ratione quantitatis in singularem, sicut malè diuideretur in diuisibile aliquod ratione quātitatis in lineā, superficiem, & punctum. ¶ Resp. quod cum quantitas propositionis non sit rigurose talis, sed diuisio fiat penes diuersum modum significandi, & fundandi veritatem, reductiue pertinet ad quantitatem propositionis singularitatis; & ideo est membrum diuisiōnis propositio singularis: quia quoad modum accidentaliter specialiter diuidit propositionem, & contrahit ad specialem modum: cum tamen punctum non cōtrahat ipsam quantitatem: vel dato, quod punctū sit de ratione quantitatis; tamen in illud diuidi non potest, quod ratione quantitatis diuiditur: quia punctum per se nō subsistit, neque subsistere potest sicut singularis

gularis propositio.

23. Cōtra 2. p. conc. arg. 3. Quod variat propositionem quoad repræsentationem, & significationem veritatis, essentialiter variat cum nihil sit magis intrinsecum, & essentialiter propositioni, quam ipsa repræsentatio, & ordo specificarius ad veritatem, tanquam ad finem, sed vniuersalitas, & particularitas sic variant propositionē, siquidem ratione huius duobus hominibus currentibus particularis est vera, vniuersalis falsa: quia repræsentatio est diuersa, & non adæquatur cum obiecto: ergo hæc diuisio fit penes differentias essentialis. ¶ Resp. quod vniuersalitas, & particularitas solum variant accidentaliter repræsentationem propositionis, siquidem per vtrālibet idem obiectum quoad substantiam, idemque prædicatum repræsentatur: & quamuis possit variari veritas, hoc non infert, quod illæ differentie sint essentialis; quia veritas actualis, aut falsitas actualis accidit propositioni; & solus ordo ad distinctum est illi essentialis, vt supra dictum est, & hic manet immobilis sub his differentiis particularitatis, & vniuersalitatis; imò accidit, quod vtraque non sit vera, aut quod non sit vtraque falsa; vtrūque enim potest contingere, & per consequens ex vi particularitatis, aut vniuersalitatis; non variatur veritas, aut falsitas per se, sed per accidens; quod tamen non contingit in affirmatione, & negatione respectu eiusdem: quia va-

riat copulam, attribuendo, vel remouendo prædicatum, quod quidē est essentialiter cōpositioni enuntiativæ, & variat formale obiectum, at quæritas diuersa variat modum, & extensionē significationis subiecti, & per consequens solum variat accidentaliter.

24. Si inthes. Sicut affirmatio, & negatio variant qualitatem propositionis ratione prædicati, leu formæ; ita vniuersalitas, & particularitas variant ratione formæ, & subiecti, siquidem vniuersalitas facit etiā supponere confusè prædicatū. Tūc sic; sed non minus essentialiter est propositioni subiectum, quam prædicatum; nec minus essentialiter prædicato variari penes suppositionē, quæ ratione affirmationis ( siquidem diuersitas suppositionis variat verificationem: ) ergo hæc diuisio nō est minus essentialis propositioni, quæ diuisio in affirmatiuā, & negatiuā: ergo. ¶ Cōf. variatio penes quæritatē penetrabilē, aut impenetrabilē infert distinctionē essentialē, saltem à posteriori inter materiā cælestem sublunariē; & arguit per consequens distinctionē inter corpora cælestia, & sublunaria, nedū specificā, sed etiā genericā; quia a materia sumitur ratio generica, sicut a forma ratio specificā: ergo si hæc diuisio variat propositionē ratione subiecti (quod est quasi materia) inferret distinctionē genericam in propositione.

Resp. quod licet subiectum sit de essentia propositionis, & similiter prædicatum; tamen affectio vniuers-

talitatis, vel particularitatis accidē-  
tali ter se habent respectu vtriusque,  
cum neque varient compositionē  
(sicut facit affirmatio, & negatio)  
quoad substantiam, neque significa-  
tionem; & licet diuerso modo sup-  
ponat predicatum prepositionis v-  
niuersalis, & particularis, scilicet in  
vna confusē, in altera determinatē,  
non variatur verificatio, nisi accidē-  
tali ter; & per consequens nō est idē,  
ac affirmatio, & negatio, quæ va-  
riant essentialiter attributionem.

¶ Ad conf. resp. quod in natu-  
ralibus diuersa quantitas infert diui-  
sionem essentialē, & g. uericam;  
quia est passio materiæ; & ideò va-  
riata quātitate penes proprietates,  
variationem essentialē supponit  
in ipsa materia, quæ respicit formā  
adæquatam, vel inadæquatam. At  
in nostro casu diuersitas quantitatis  
est penes maiorem, aut minore ex-  
tensionem, quæ non sunt passionē  
diuersæ essentialiter, adhuc in quan-  
titate naturali (sicut sunt naturaliter  
penetrabilitas, aut impenetrabili-  
tas) & ideò non est idem, nec infer-  
tur diuersitas essentialis in proposi-  
tione.

( ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ )

## DISPUTATIO VLTIMA, & Appendix.

*De suppositione, & opposi-  
tione.*

**Q**uoniam in disputationibus mē-  
struis haberi solitis prorsus

ab his, qui inter nostrates artib<sup>9</sup> præ-  
legendis præfecti sunt vsu venit vē-  
tilari publicè; an detur suppositio  
impropria in mente? An oppositio  
contradictoria sit maior inter om-  
nes? An inductio sit formalis con-  
sequentia? An conclusio sit de es-  
sentia syllogismi? Et hic tomus sua  
mole finem exposcit: ideò in  
præsenti duæ primæ quæstiones dis-  
cutiendæ sunt: quoniam de vltimis  
actum est in tractatu de argumenta-  
tione.

*Dub. 1. An detur suppositio impro-  
pria in mente vltimata?*

**I**CUM suppositio impropria  
sit acceptio termini pro aliquo  
quod improprie significat, seu represen-  
tat; idem fere est inquirere, an detur  
suppositio impropria in mente, seu  
in conceptu, ac inuestigare, an detur  
in conceptu impropria significatio,  
seu representatio; & cum concep-  
tus accipiatur mētali ter, solum pro  
eo cuius est similitudo naturalis, &  
adæquata (sic enim significat, & re-  
præsented aliquid intellectui) quæ-  
ritur in præsentī, an possit dari con-  
ceptus, qui accipiatur ab intellectu  
in propositione mētali pro aliquo,  
cui non sit propria similitudo, seu  
repræsented? Seu an stet esse con-  
ceptum impropriam similitudinē  
alicuius? Et an stet in hac proposi-  
tione vocali, *vicit leo de Tribu Iudā.*  
Cum illa vox *leo* ex se proprie signi-  
ficet verum leonem, tamen ex vi il-  
lius adiecti *de Tribu Iudā*, quasi alic-  
natur.



sumpto à negatione diffinitionis ad  
 negationem diffiniti) secundum M.  
 Soto, suppositio in propria est ac-  
 ceptio termini pro eo, quod impro-  
 prie significat: sed ille conceptus, ne-  
 que improprie, neque proprie sig-  
 nificat Christum (sed solum verum  
 leonem: ) ergo non supponit im-  
 proprie pro Christo. Nec valet re-  
 cursus ad accommodationem prop-  
 ter similitudinem Christi, & leonis  
 in fortitudine; & propter illud ad-  
 iunctum de Tribu Iuda: nam si hoc suf-  
 ficeret, etiam in hac propositione,  
*homo rugit*; conceptus hominis sup-  
 poneret improprie pro leone. Tu,  
 quia illud adiunctum exprimit pro-  
 prietatem leonis. Tum, quia ma-  
 ior interuenit similitudo inter utrū-  
 que, cum adsit generica, quæ est ma-  
 ior, quam similitudo in fortitudine.  
 Tum etiam, vel ille conceptus re-  
 præsentat leonem in recto, & Chri-  
 stum in obliquo, vel non repræsen-  
 tat Christum: si primū sensus pro-  
 positionis est falsus; siquidem nō est  
 verum ibi, quod leo verus, cui est si-  
 milis Christus vicit. Si secundum: er-  
 go non cognoscitur ibi Christus;  
 quia mens non cognoscit, quod ip-  
 si non repræsentatur, sicut nec ocu-  
 lus videt, nisi coloratum, vel quod  
 in specie repræsentatur, & eo modo  
 quo in ea repræsentatur, sicut attin-  
 git, & percipit sensibile commune,  
 quia repræsentatur vt subiectum co-  
 lorati. Eo vel maximè, quod in hac  
 propositione expresse cognoscitur  
 Christus, & illi in recto attribuitur  
 propria; licet ibi reluceat similitu-

do cum leone: Tum, quia si ille con-  
 ceptus in recto significat verum leo-  
 nem, supponet pro illo proprie: er-  
 go non potest simul improprie sup-  
 ponere pro Christo, ne simul dētur  
 proprietates oppositæ in eodē con-  
 ceptu. Nec valet recursus ad exē-  
 plum, quod conceptus albi non sig-  
 nificat subiectum, & supponit pro  
 illo. Quia ille conceptus non signifi-  
 cat albedinem in abstracto, sed in cō-  
 creto: ergo repræsentat subiectum,  
 saltim in obliquo, vel de connota-  
 to: alioquin non essent diuersi con-  
 ceptus albedinis in concreto, & in  
 abstracto: at in nostro casu concep-  
 tus veri leonis non potest significa-  
 re in obliquo Christum, vt admit-  
 tit opposita sententia: quia videt nō  
 posse verificari sic illam propositio-  
 nem, supposito, quod in recto, & vt  
 quod repræsentet leonem: ergo nō  
 potest supponere ille cōceptus pro  
 Christo per accommodationem.

4 Nec secundus modus placet.  
 Quia si in illa propositione arguti-  
 uè intelligitur Christus: ergo suppo-  
 sita cognitione leonis veri formatur  
 proprius conceptus de Christo: quia  
 argumentum ex vno in aliud non  
 tollit, sed potius infert, quod forme-  
 tur proprius conceptus conclusio-  
 nis, sicut cum ex bonitate creata ar-  
 guimus bonitatem infinitam esse in  
 Deo, formatur proprius, & distinctus  
 conceptus de bonitate diuina (li-  
 cet imperfectus) diuersus ab illo, quo  
 cognoscitur bonitas creata ( alio-  
 quin nō cognosceretur bonitas Dei)  
 hoc autem nō sufficit ad suppositio-  
 nem

nem impropria, alioquin quilibet conceptus quem viatores formantur de Deo, & Angelis, supponet improprie pro illis. ) Similiter non vrget exemplum de cognitione indiuiduorum, quia vt suo loco dixi agens de primo cognito, habetur proprius conceptus de indiuiduo, & potest demonstrari per intellectum, quod hic homo Christus redemit nos. ad quod requiritur specialis conceptus, & proprie representatus, nec sufficit arguere, quod natura in communi non subsistit, sed in singulare: quia per hoc non notificatur aliquod tale, & determinatum, id est Petrus, aut Paulus indiuiduum, cum in alijs possit subsistere: non ergo bene graditur ille modus.

5 Contra modum concordandi duas setentias oppositas obstat, quod suppositio non est proprietas propositionis, sed termini intra propositionem, sequens eius significationem: & inquirimus, an ille terminus intelligat Christum, vel non? Significatio autem ista intrinseca debet esse, & naturalis, quia in mente non datur ad placitum, nec per accidens competit: si ergo hoc modo significat leonem, & non Christum, nec potest alio modo significare ille terminus nisi per intrinseca; sequitur, quod nullo modo possit supponere nisi pro leone, vel si supponit pro Christo, proprie supponit, & naturaliter significat ille terminus Christum, & per se.

¶ Dicere autem, quod simul

significat leonem, & supponit pro illo incomplexè: & quod complexè, & accidentaliter supponit pro Christo, difficillime percipitur, & iam est satis refutatum. Nec valet recursum ad alienationem, vt cum dicitur homo est pictus: quia alienatio solum inuenitur in voce, quae potest æquiuocè significare hominem viuum, & pictum, & in ea propositione ratione prædicati mouetur intellectus ad formandum conceptum de homine picto, non de viuo (nec ibi reperitur, quod suppositione incomplexa sit suppositio pro vero, & suppositione complexa pro picto) at in mente, vbi non est æquiuocatio, nec est alienatio, sed in ea propositione formatur proprius conceptus incomplexè significans picturam hominis, & supponens pro illa: idem ergo dicendum, quod in hac propositione, *vicit leo de Tribu Iuda*, vox *leo* supponit improprie pro Christo, sed in mente proprie, quia illa vox est æquiuoca, vel analogica plurimum conceptuum. Nec obest, quod sit ibi analogia proportionalitatis metaphorica, quia hæc dicit minorem conuenientiam, quam propria: ergo facit plures conceptus.

6 His positis, probatur directe conclusio. Quia vt propositio affirmatiua sit vera, debet subiectum, & prædicatum supponere pro eodem, sed prædicatum supponit pro viuetorio Christi: ergo & subiectum; sed non verificatur, nec supponit pro vi

toria eius, quod est improprie Christus, aut metaphoricè: ergo pro eo, quod est proprie Christus, at quod est proprie Christus, non representatur per conceptum alienum à Christo, sed per illum, qui proprie est similitudo eius in mente: ergo conceptus leonis ibi proprie supponit pro Christo. ¶ Conf. non datur significatio impropria in mente (cum conceptus sit naturalis similitudo rei:) ergo neque impropria suppositio, cum hæc sit acceptio termini pro eo, quod improprie significat. Et patet in voce, que non supponit improprie, nisi pro eo, quod improprie significat. Denique in præfata propositio *rely les* alienatur: ergo accipitur pro significato minus principali: ergo representat signatū medio conceptu minus principali, seu secundario: (nam voces significantes res medijs conceptibus, & hæc vox Analogi proportionalitatis metaphoricè significat medijs pluribus conceptibus) at conceptus ille, cum sit distinctus ab eo, qui representat primum significatum, adequatur significato minus principali; & sic significat in mente ita supponit: ergo sicut significat proprie Christum, ita supponit proprie pro illo, etsi sit secundarium, seu improprium signatum illius vocis.

*Soluntur argumenta.*

7 Arg. 1. Datur significatio impropria in mente: ergo & suppositio. Prob. antec. datur representatio impropria: ergo & significatio. Prob. conseq. quia significatio im-

propria eatenus repugnaret, quatenus naturaliter representat. Ant. constat, quia Deum, & Angelos cognoscimus per species rerum materialium, & ens rationis per speciem entis realis: at hæc est principium cognoscendi, quatenus representat: ergo species rerum materialium representant spiritualia, sed non proprie: ergo improprie. Dato autem, quod in specie impressa detur impropria representatio; videtur, quod etiam detur in conceptu: quia hic exprimit in actu secundo, quod illa continet in actu primo: ergo si species continet aliquid representatiue improprie, etiam hoc habebit conceptus improprie in actu secundo.

Resp. quod species creaturarum impressa non representat Deum improprie: quia hoc supponit, quod actu representet; sed representat Deum virtualiter, quatenus est causa effectuum, in quibus relucet, & species entis realis, etiam virtualiter ens rationis, quatenus fundatur in ente reali, & species materialis Angelos, quatenus sunt rationales; at conceptus cum sic magis determinatus in actu representat proprie, quod virtualiter proprie continebatur in specie impressa. ¶ Et licet in nobis ratio incipiat à sensu, & hinc non sequitur, quod conceptus representet, aut significet improprie, sed proprie, quia ad res ipsas terminatur ex parte rei significate, & solum ex parte modi representat improprie, quia ad modum rerum materialium concipit; cum autem

tem

rem suppositio sit substitutio pro re significata, non sequitur, quod conceptus supponat improprie.

8 Arg. 2. vt conceptus supponat pro aliquo, nō requiritur, quod significet illud, pro quo supponit: ergo etiam si nō detur significatio impropria in mente, poterit dari suppositio impropria. Prob. ant. in sēt. quod album solum formam significat, & tamen supponit pro subtrato. Tum etiam, in sentētia, quod negatio, & priuatio non habent proprium conceptum, sed cognoscuntur per conceptum formæ oppositæ, vt in hac propositione, *cæcitas est ens ratiōis*, subiectum supponit pro ipsa cæcitate: ergo potest aliquid supponere pro eo, quod non significat. ¶ Resp. aliqui, quod concretum accidentale significando formam in concreto importat subiectum, tāquam aliquid formæ cōcretæ, & ideo quāuis non significet illud directe, potest supponere pro illo: quia suppositio est acceptio termini pro re, quā significat, vel pro aliquo eius. At in nostro casu Christus, nec est leo, nec aliquid eius, sed solum metaphoricè est leo; & ideo si conceptus leonis significat verum leonem, & non significat Christum, non potest supponere pro Christo, neque proprie, neque improprie. Sed quia vix intelligitur, quod aliquid supponat pro eo, quod nō significat, quia intellectus non accipit vnum pro alio, nisi quatenus illud sibi repræsentatur. Ideò melius respōdetur ex dictis, quod conceptus concreti acci-

dentalis, repræsentat etiam subiectum formæ, quam concipit in concreto, alias in repræsentando nō distingueretur conceptus concreti, & abstracti accidentalis, & ideo, quia repræsentat subiectum vt quod, vel saltim in obliquo supponit pro illo.

¶ Ad conf. resp. vel quod ideo priuatio, & negatio cognoscuntur per conceptum formæ oppositæ, quia conceptus formæ secundo repræsentat negationem, & priuationem, quia non habent negationes aliam repræsentabilitatem, at Christus non repræsentatur primario, nec secundo per conceptum veri leonis, & aliàs ex se est cognoscibilis per proprium conceptum; & ideo eo indiget, vt cognoscatur. Vel dic, quod etiam negatio, & priuatio terminant proprios conceptus, licet sub ratione entis scī, aut connotando formam cui opponuntur, quod hic serius tractare, nec libet, nec licet: quia ad 1. p. q. 14. ar. 9. & ad tractatum de ente rationis spectat. ¶ Si inies, quod in sententia Caiet. opule. de analogia, vnū aliquomodo simile potest cognosci per speciem, & conceptum illius, cui est aliquomodo simile; & ideo cōceptus substantiæ est quodāmodo cōceptus accidentis, & ratio cognoscēdi illud: sed Christus est quodāmodo similis leoni in fortitudine: ergo per cōceptū leonis significatur quodāmodo, sed cōceptus supponi potest pro eo, quod quodāmodo significat: ergo conceptus leonis in præfata propositione, potest supponere

Christo, nō propriè vt patet: er-  
go impropiè, & quodammodo.

Resp. quod cōceptus vnius simi-  
lis potest esse cōceptus alterius, quā  
do representat primo, & per se id, in  
quo duo assimilantur; & ideò cōcep-  
tus substantiæ est quodammodo cō-  
ceptus accidētis, quia primo, & per  
se representat *ens* per se, & in entita-  
te assimilantur, sicut cōceptus ho-  
minis est cōceptus equi quantū ad  
animalitatem, & potest cognosci a-  
nimalitas equi per cōceptum ani-  
malitatis, quæ est in homine: at leo  
nō significat primo, & per se, & for-  
maliter fortitudinem leonis, sed ei<sup>9</sup>  
substantiam, & ideò nō restat ra-  
tio cur cōceptus leonis verè re-  
præsetet Christum, & supponat pro  
Christo vt fortis, eo vel maximè,  
quod Christus solum metaphoricè  
est leo, metaphora prohibita ficta; fi-  
ctio enim quædam est metaphora,  
& attendēdo ad fortitudinē, quæ  
nō representatur formaliter in cō-  
ceptu leonis, & ideò nō est idem.

9 Arg. 3. Prolata hac propositio-  
ne *ut leo de Tribu Iudæ*, dum primo  
profertur *leo*, formatur cōceptus ve-  
ri leonis, qui nō mutatur, sed mo-  
dificatur audiēdo *de Tribu Iudæ*,  
quia propositio mentalis nō muta-  
tur nisi mutato subiecto, copula,  
aut prædicato, quorum nihil est ly  
*de Tribu Iudæ*: at in ea propositio-  
ne audita illa particula *de Tribu Iudæ*, ac-  
cipit intellectus cōceptū leonis pro  
cōceptu Christi: ergo. ¶ Dices, quod  
per primā operationē apprehēsiuē,  
nō vltimatè formatur concept<sup>9</sup>,

poni<sup>9</sup> de voce, quā de re significata;  
& sic tota apprehēsa illa propositio-  
ne, vltimatè formatur cōceptus per  
secundam operationem nō de leo-  
ne vero, sed de Christo. Vel dato,  
quod per primam apprehensionem  
formetur cōceptus de vero leone  
vltimatè, at tamen per secundā for-  
matur cōceptus de Christo, vt con-  
notat verum leonem ratione simi-  
litudinis in fortitudine. Et hoc fit,  
quia secunda operatio atēdit ad sē-  
sum propositionis vocalis, & ad il-  
lud, quod quælibet vox attendit ad  
modificationem intra illam propositio-  
nem representat, & illa propositio  
vocalis nō representat verum leo-  
nem, sed Christum, vt dicit habitu-  
dinē ad verū leonē in fortitudine.

10 Arg. 4. Datur suppositio im-  
propria in voce: ergo in mente. Pro-  
batur cōseq. Tū, quia voces repræ-  
sentant res mediante significatio-  
ne, & suppositione conceptuum, à  
quibus mensurantur: ergo. Tū, quia  
eo vox supponit impropiè pro  
Christo, quia significat illum; nō vt  
est verus leo, sed impropiè, & me-  
taphoricè, sed etiam cōceptus illi  
correspondens in mente significat  
Christum, vt est leo impropiè, & me-  
taphoricè: ergo etiam supponit im-  
propriè. ¶ Resp. in itādo: datur equi-  
uocatio in voce, & analogia vnius  
vocis in analogis attributionis, & ta-  
mē nō vni<sup>9</sup> cōceptus, sed plurium:  
ex quo ergo vox *leo* sit vna vox equi-  
uocata consilio, seu ab analogia pro-  
portionalitatis metaphoricè, sequi-  
tur, quod nō representet leonem,

& Christum eodem conceptu, sed pluribus, quamuis sit vnica vox; cū autem conceptus Christi non representet leonem, nisi de connotato, & tanquam terminum habitudinis, sequitur, quod ille conceptus propriè signifiat Christum, & propriè supponit pro illo, vt dicente habitudinē ad verum leonem: quia significatio in conceptu est per naturalem, & adæquatam similitudinem rei, quā representat. ¶ Ad conf. resp. neg. quod ideò vox supponat impropriè; quia supponit pro Christo, vt est leo metaphoricè; sed ideò est metaphorica, quia eadem vox repræsentat primario leonem, & secundario Christum, at in mente non est idem conceptus leonis, & Christi, sed vnus representat leonem, & alter Christum, vt dicit habitudinē ad leonem in fortitudine; & ideò nec metaphorica significatio, nec suppositio impropria datur in mēte. Et primum competit voci, quia significat ad placitum, secundum vero cōceptui, quia representat naturaliter.

11 Arg. 5. Datur suppositio propria in mēte; ergo impropria. Prob. conseq. Suppositio propria, & impropria sunt contraria, hæc sunt circa idem, & capax vnus contrarij, etiam est capax subiectū alterius: ergo si in mente datur suppositio impropria, etiam debet dari impropria.

Resp. instando: nam propositio necessaria est vera, & non potest esse falsa, etiam si veritas, & falsitas sint cōtraria, similiter actus liber Dei

est bonus, & non potest esse malus; quia non est capax, & sic bonitas nō est in illo, vt contraria malitiæ formaliter, sed solum materialiter. Sic suppositio propria est in mente, nō vt contraria formaliter impropriè, sed solum materialiter, quia non est capax impropriæ ob rationes supra redditas.

12 Arg. 5. Ex D. Tho. 1. p. q. 1. artic. 10. vbi ait, quod quia Deus est Author omnium potest imponere voces ad significandum, quidquid voluerit, etiam impropriè, & metaphoricè; sed etiam est author cōceptuum: ergo potest facere, quod repræsentent impropriè, & metaphoricè, ac per consequens, quod supponant impropriè. ¶ Resp. sensū D. Tho. esse, quod quia Deus est Author rerum, & vocum potest facere (multo melius quā quælibet res publica) quod repræsentent quidquid voluerit representatione ad placitum (quomodo etiam potest facere idem de conceptibus, de quo non disputo, an sint capaces huiusmodi representationis ad placitū) sed non potest facere, quod repræsentent naturaliter impropriè, & metaphoricè (& in hoc sensu disputamus de conceptu) quia mutari naturas rerū repugnat ex parte facti, etsi ex parte Dei non repugnet.



*Dub. 2. An oppositio contradictoria sit omnium maior?*

1 **S**uppono oppositionem cōtra-  
dictoriam, aliam esse rerū, seu  
terminorum simplicium, qualis est  
ea, quæ est inter esse, & non esse, &  
hæc vocatur phisica; aliam esse logi-  
cam seu propositionum; & quidem  
hæc secunda est de nostro instituto,  
de qua agit Arist. 1. perh. lect. 11. &  
D. Tho. ibi. Sed quia oppositio logi-  
ca habet pro obiecto phisicam, quia  
ab eo, quod res est, vel non est, dici-  
tur propositio vera, vel falsa, ideò  
de utralibet agendū est, dum inquiri-  
tur, an sit maior inter omnes op-  
positiones?

*Unica conclusio.*

2 **Q**uamuis aliqui, quos anony-  
mè refert Soneinas 10. metaphys. q.  
18. dixerint, contradictoriam oppo-  
sitionem non esse maximam; imò  
& alij addiderint esse minorem con-  
traria, & priuatiua, & solum excede-  
re relatiuā in ratione oppositionis,  
tamen communis sententia est esse  
maximam oppositionem. Sic Durā-  
das in 1. dist. 5. quæst. 1. Sonein. loco  
cirato. Flandr. 5. Metaph. q. 11. art.  
1. Soto lib. 3. sum. Haert. ibi quæst.  
22. Sanch. lib. 7. Log. q. 18. conclus.  
7. RR. Arauj. 5. metaphis. q. 8. art. 3.  
conclus. 7. Auth. Opule. 48. tract. de  
oppo. c. 8. M. Ioan. Mart. lib. 2. dia-  
lect. q. 2. Arist. 1. perhier. lect. 11. D.  
Tho. ibi, & in 1. dist. 5. q. 1. art. 1. ad  
1. & q. 7. de pot. art. 1. & 1. post. lect.  
5. & opule. 37. cap. 1.

3 **Q**ua propter dicendum est,  
oppositionem contradictoriam, tam phi-  
sice consideratam, quam etiam logicè es-  
se maximam. Et quidem prima pars  
constat: quia quod comparatur ad  
aliud, sicut infinitum ad finitum, ma-  
ius est in linea in qua comparatur:  
at oppositio contradictoria sic com-  
paratur ad alias oppositiones: ergo  
est maior. Prob. min. nam cōtraria,  
& relatiua versatur inter ens, & ens  
quod in hac linea non dicit distan-  
tiam infinitam ex terminis: opposi-  
tio vero priuatiua dicit præsupposi-  
tione ens capax formæ: sola vero cō-  
tradictio dicit eas, & non ens purè:  
ergo dicit distantiam infinitam, &  
qua maior excogitari nequit ex se:  
est ergo ex se maior.

Consequenter ea est maior oppositio,  
quæ dicit maiorem repugnantiam,  
& minorem convenientiam inter  
extrema: sed hoc habet contradictio-  
ria inter alias: ergo est maior. Min.  
prob. nam contrariè opposita dicunt  
subiectum commune & simul com-  
patiuntur in eodem subiecto, sicut in  
gradibus remissis, & similiter pri-  
uatiue opposita. Relatiue autē op-  
posita mutuo se iuferunt, & sunt ii-  
raul natura, & cognitione: at inter  
ens, & non ens, quæ sunt contradic-  
torie opposita nulla est convenientia,  
cum etiam subiectum negetur,  
& omnis modus repugnantia inue-  
nitur; quæ enim maior esse potest?  
Ergo. ¶ Nec obstat, quod contradi-  
ctio est affirmatio, & negatio eius-  
dem de eodem: quia hoc competit  
oppositioni contradictoriae logicæ;

non autem physice, quæ est inter simplices terminos. ¶ Conf. 2. ea est maior oppositio, quæ nullum admittit mediū inter extrema: at contradictoria nullum admittit mediū, & si illud admittat cætera extrema altera opposita: ergo est maior. Maior est certa, quia medium dicit distantiam aliquam cum conveniētia, & participat de utroque extremo. Mia. prob. quia inter contraria præter commune genus, & subiectum reperiri potest forma media, ut patet in colore fusco, qui est medius inter album, & nigrum. Priuativa autem in fieri suscipiunt magis, & minus, & per consequens aliquod medium, & in facto esse subiectum commune; relative autem opposita quæ uis formaliter nō admittant mediū æquialenter admittunt, ut patet in eo quod se mutuo inferunt, & sunt simul natura, & cognitione. Tum in relatione tranſcētali, quæ media videtur inter ea, quæ referuntur predicamentaliter: ergo. Denique, quod est mensura ceterorum in aliquo genere, est maxime in tali genere; sed oppositio contradictoria est mensura ceterarum: ergo est maior. Prob. mia. nam contraria, & priuativa cætenus repugnant inter se, quatenus includant aliquomodo non esse alterius, & relative, opposita licet nō se destruant quoad coexistentiam, tamen vnum negat alterum in eodem subiecto, quia a eiusdem aū seipsum, non est relatio realis: ergo.

3 Secunda vero pars conclusio- nis, scilicet, quod inter oppositioes lo-

gicas maior sit contradictoria, prob. tu quia hæc sola versatur tanquam cir- ca obiectum, circa esse, & non esse, quæ est cōtradictio physica: ergo est maior arguendo à specificatio ad specificatum. Tum quia oppositio hæc dicit repugnantiam in veritate, & falsitate, in quantitate, & qualitate simul: at cætere oppositiones non pugnant simul in his omnibus: ergo est maior. Prob. conseq. Quia sic vna contradictoria reddit eorum oppositum alterius absque vilo medio, quod non facit contraria, quæ etiam admittit medium. Imo si cōtrariæ pugnant veritate, ideo est, quia sequeretur duas contradicto- rias esse simul veras, ac per conse- quens oppositio cōtraria regulatur à contradictoria tanquam a mensura.

*Soluuntur argumenta.*

4 Arg. 1. oppositio contradicto- ria physica non est maior, sed minor quam contraria: ergo idem est dicē- dum de contradictione logica. Ant. prob. ex doctrina D. T. 2. 2. q. 79. ar. 4. qui & aſert pro se Ar. 1. 10. meth. text. 13. & 14. & dicit, contrariam oppositionem esse maiorem: quia continet contradictoriam addēdo aliquid, & tamen contradictio non continet contrarietatem, quia nigrum est non album, & tamen non album non eo ipso est nigrum: ergo si continet illam, & addit aliquid po- sitiuum, quo repugnat cum suo con- trario, sequitur esse maiorem oppo- sitionem. ¶ Conf. 1. ea sunt magis opposita, quæ magis se interimunt;

at magis interimit nigrum album, quam non album, siquidem fuscū est non album, & tamen non interimit albū: ergo maior est oppositio contraria, quam contradictoria.

Conf. 2. si calidum summe opponeretur cum nō calido, magis opponeretur magis calidum cum non calido, quam calidum, & non calidum, iuxta illam regulam, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: at calidissimū non opponitur magis cum non calido, siquidem inter calidissimum, & nō calidum datur medium, scilicet, minus calidum: ergo.

5 Resp. quod contraria magis opponuntur, & distant distantia positiva, non vero remotiva, & negativa penes quam attenditur oppositio ista. vnde etsi contrarietas cōtineat cōtradictoriam, eam tamen continet virtualiter, nō formaliter, & quod addit est ens, seu quid positivum, quod minuit prorsus distantiam negativā, seu negationē entis. Echo: est, quod ibi intendebat D. Th. qui tenebat probare magis opponi moraliter cum virtute peccatum commissionis, quā omissionis: quia cum hæc sit in genere moris, quod est positivū, & ibi omisit minus participet de illo genere, minus opponitur virtuti, quam cōmissio: quia contraria magis opponuntur, & distant distantia positiva, quam contradictorie opposita; & sic magis distant in genere moris, quæ opponuntur cōtrarie formaliter, quam quæ dicunt oppositionem per ope-

rari, & non operari addito solum actu interpretatio. ¶ Ad 1. conf. nego, quod contraria magis se interimant, quam contradictoria. Ad probationem dico, quod tepidum non est non calidum formaliter, sed virtualiter tantum est non calidum, sicut & frigidum, nam formaliter est tepidum. ¶ Ad 2. cōf. resp. quod ut verificetur illa regula, requiritur, quod utrūque extremum suscipere possit magis, & minus, cum autem non calidum non suscipiat magis, & minus, non magis opponitur magis calido, quam minus calido: sed totum hoc negat.

6 Arg. 2. contradictorie opposita minus distant inter se quam contraria: ergo minus opponuntur. Probant, quæ magis immediatè se expellant minus distant: sed contradictoria immediatè omnino se impugnant, contraria vero admittitur medium: ergo. Prob. tum, quia eo relativa minus distant, quia immediatè se respiciūt. Tum quia duæ tabulæ, quæ magis immediatè se tangunt, minus distant necessariò. ¶ Conf. quod mediat inter extrema, minus distat à quolibet eorum, quam ipsa extrema inter se: at possibile, v. g. quod est contradictorium ad impossibile mediat inter necessarium, & impossibile, quæ sunt cōtraria: ergo minus distat à suo cōtradictorio, quam distent contraria inter se.

Resp. quod quæ opponuntur positivè, magis distant quo minus immediatè se respiciunt, at quæ negativè, & per remotionem (qualiter

ter opponuntur contradictorie opposita) eo magis distant; quo immediatius se respiciunt. Exempla autem adducta solum probant hoc inter extrema, quæ se respiciunt positive; & ideo non urgent contrarios.

Ad conf. resp. quod verum est, quod medium positivum respiciens extrema positiva minus distat à quo libet, quam distet extrema inter se, ac contradictorium medians inter contraria, non mediat ut quid positivum; sed ut remotivum sui contradictorii, & ideo magis distat ab illo, quam contraria distet inter se; ideo que possibile magis distat ab impossibili, quam hoc distet à necessario.

7 Arg. 3. & potest esse replica. Privatiuè opposita non minus immediatè repugnant inter se, & se interimunt, quam opposita contradictorie: ergo ad minus hæc non est maior oppositio, quàm illa. Prob. ant. ex doctrina D. Th. 1. 2. q. 18. ar. 8. ad 1. ubi expressè docet, quod etsi privatio in fieri nõ totum auferat, nec immediatè opponatur, tamen privatio in facto esse totum auferit, & dicit immediatam oppositionem.

Conf. 1. & intenditur privatiuam oppositionem nedum esse æqualè, sed esse maiorem oppositionem, quàm contradictoriam; illud magis opponitur alteri, quod magis illud remouet; sed magis remouet oppositum privatio quam negatio: ergo magis opponitur. Min. prob. nam privatio tollit potentiam à subiecto, ut post illam recipiat formam: quia de privatione ad habitum, non datur re-

gressus per naturã; cum tamen nulla sit repugnãtia naturalis, quod idè subiectum ex calido fiat non calidum: ergo.

Conf. 2. privatiuè opposita non minus infinite distant inter se cum mutua remotione, quam contradictorie opposita: ergo non minus opponuntur. Prob. ant. quia etiam privatiuè opposita distant sicut ens, & non ens, & in re privatio est nihil, & solum per rationem est aliquid fictum, non minus quam negatio: ergo. ¶ Nec valet recursus ad subiectum, quod supponit privatio, quæ est carentia in subiecto apto nato ad formam: nam etiam negatio est carentia in subiecto inepto ad formam; & idem subiectum potest habere ac privatio, ut patet in cane, qui est non videns intra primos nouè dies natiuitatis, & post illos si careat visu est cæcus.

8 ¶ Resp. quod privatio ex se nõ tollit potètiã ad oppositum, imò eam supponit formaliter, cum sit carentia in subiecto apto nato, nec eã impedit perse cū forma fiat, & generetur ex privatione in materia prima, sed solū per accidens, quatenus est privatio formæ amissæ, quia sic sũt dispositiones repugnãtes relictæ, ex vi formæ oppositæ formæ iam amissæ: ac negatio formaliter, ut est extremũ contradictionis, negat etiã potètiã, cū sit carètia in subiecto inepto, & quãuis nõ requiratur miraculũ, ut trãteat subiectũ de vno contradictorio in aliud, nõ sequitur, quod formaliter nõ magis neget potètiã quàm privatio.

Ad hęc quo ad principale arg. res. Quod priuatio in factio esse nõ dicitur infinite à forma opposita, quia licet sit non ens ex parte formæ, & nihil relinquat de forma opposita in se, relinquat tamen subiectum, & potentiam ad formam cõnotat, & eam relinquit secundum esse potentiale, & sic non dicit distantiam infinitam in esse entis; quod patet, quia agens naturale potest eam reducere de potentia ad actum (nisi per accidens sit forma iam amissa) & ideo maior est distantia oppositionis contradictoriæ, quæ pure dicit non ens, tamen ex parte formæ, quam subiecti, tam in actu, quam in potentia. Vnde ad 2. conf. resp. quod negatio, vt est extremum contradictionis, non dicit esse carentiam in subiecto perfecte, vt patet in non ente; sed ad explicandam differentiam negationis, & priuationis circumloquimur vtrilibet per carentiam in subiecto apto, vel inepto; ita quod priuatio essentialiter dicit subiectum aptum formæ, quam remouet priuatio: at negatio dicit subiectum permissiuè, vel materialiter; formaliter autem solam dicit remotionem formæ, siue in actu, siue in potentia. De quibus omnibus videatur Flandr. loco citato, & D. Th. opusc. 3. cap. 1.

9 Arg. 4. ad probandum, quod contradictio logica est minor oppositio, quam contrarietas. Nam sicut significatio particularium propositionum deriuatur ex propositionibus vniuersalibus affirmatiuis, & negatiuis, ita & oppositio inter afir-

matiuam particularem; & negatiuam vniuersalẽ debet oriri ex affirmatione vniuersali, cum oppositio sit proprietas affirmationis, & negationis; sed principium finis, & origo maior, & principalis est eo, quod deriuatur, & descendit ab illo, tanquam à principio: ergo si oppositio contraria, quæ est inter propositiones vniuersales est principium oppositionis contradictoriæ; quæ est inter particularem, & vniuersalem penes affirmationem, & negationem, erit maior oppositio contraria, quæ contradictoria. Conseq. videtur bona mai. certa: & min. prob. Tum, quia propter quod vnumquodq; tale, & illud magis; vt dicitur 1. pot. ergo si contradictio est propter contrarietatem, tanquam propter principium, sequitur contrarietatem esse maiorem oppositionem. Tum, quia ex minori oppositione non infertur maior, sed potius e contra, quia maius non continetur in minori, sed potius e conuerso: ergo si oppositio contradictoria continetur in contraria, & infertur ex illa, sequitur contrariam esse maiorem.

¶ Conf. 1. magis pugnant contrariæ in veritate, & falsitate, quam contradictoriæ: ergo maiorem habent oppositionem. Prob. antec. dato esse verum, quod omnis homo currit, difacilius est verificari, quod nullus homo curret, quam quod aliquis; & dato illam esse falsam, difacilius est, quod vniuersalis sit falsa, quam quod particularis, maximè in materia necessaria, v.g. si falsum est, quod

quod omnis homo est equus, difficilius est esse falsum, quod nullus homo est equus, quā quod aliquis, quia hominem non esse equum immediate oritur ex ratione vniuersali hominis; & non oritur ex ratione particulari, ac perinde facilius est, quod ex ratione particulari sit equus, quam quod ex ratione vniuersali. ¶ Conf. 2. repugnantia in veritate, & falsitate in contradictorijs oritur ex affirmatione, & negatione eiusdem de eodem; sed maior est affirmatio, & negatio contrariarum, cum vtraque sit vniuersalis, quam contradictoriarum, vbi vna est particularis, & altera vniuersalis: ergo.

Conf. 3. impossibile est, quod aliquid magis repugnet consequenti, quam antecedenti; at illa propositio *aliquis homo currit*, est consequens deductū ex illa, *omnis homo currit*: ergo impossibile est, quod illa propositio *nullus homo currit*, magis opponatur cum hac: *quidam homo currit*, quā cum illa, *omnis homo currit*: sed nullus homo currit, & quidam homo currit, opponatur contradictoriā, & illā, *omnis homo currit*; nullus homo currit opponatur contrariā: ergo magis opponuntur contrariā, quam contradictoriā.

10. Ad arg. resp. quod ex quo contradictoria oppositio inferatur ex contraria, non sequitur contrariam esse maiorem formaliter, sed solā virtualiter, vt patet innumeris exemplis causalium: nam piper est causa caloris; & tamen solum est calidum causaliter, & Sol est causa ignis, &

tamen non est igneus. Sed verius respond. neg. quod oppositio contradictoria inferatur formaliter ex contraria, solum namque inferitur materialiter: nā formaliter vniuersalis subalternans inferit particularem subalternatam, & ad summum inferitur sub contraria oppositio. Et ratio est; nam contradictoria oppositio resultat ex comparatione cum altera vniuersali, quam comparationē non inferit formaliter vniuersalis.

Si istes, quod oppositio non dicit repugnantiam, quatenus est relatio, sed quatenus est affirmatio, & negatio particularis, & vniuersalis; at ex vniuersali affirmatiua inferitur formaliter particularis affirmatiua, vt talis est: ergo inferitur repugnantia contradictoria vt talis.

Resp. quod contradictio logica formaliter consistit in fundare relationem logicā oppositionis formaliter, id est comparative ad aliud extremū, secundum quod affirmatio, aut negatio particularis, & vniuersalis comparantur, & fundant comparationem; vniuersalis autē affirmatiua, licet inferat affirmatiuā particularem: non tamen vt fundat formaliter illam comparationem, sed absolute; & ideo numquam inferit formaliter oppositionem, & repugnantiam, sed materialiter, sicut qui producit quantitatem, quæ necessario est æqualis, vel inæqualis alteri; non tamen per se producit formaliter æqualitatem, etiam vt fundat relationem: quia pendet ex eo, quod detur alia quantitas, quæ ex vi productionis

tionis vnius non ponitur.

¶ Ad 1. cōf. resp. quod contraria magis pugnant in veritate, quam si extēsiuē, non vero intensiue; in falsitate autem neque extēsiuē magis pugnant (quod sufficit, vt cōtradietoria sit maior oppositio:) tum, quia contrarie ex vi contrarietatis non pugnant in falsitate. Tum, quia in casu argumenti materialiter, & per accidens est illa maior repugnātia, non formaliter, & ex vi dispositionis logicæ: sic enim difficilias est, quod si semel est falsum, omnem hominem esse equum: non sit verum, quod quidam homo non sit equus, quam quod nullus: quia vt falsum sit ex vi formæ, quod omnis homo est equus, sufficit esse verum, quod quidam homo non sit equus, & nõ requiritur, quod nullus homo sit equus, vt patet in alijs similis formæ. ¶ Ad 2. dico, quod inter contraria est maior affirmatio, & negatio extēsiue,

non vero intensiue, & aliàs est repugnantia in quantitate inter contradietoria, & per consequens, hac etiam ratione etiam extēsiue potest dici maior repugnantia inter contradietorias, quia vna destruit nedum veritatem, sed etiam falsitatē alterius, & nedum qualitatem, sed etiā quantitatem. ¶ Ad 3. resp. quod nõ potest aliquid magis opponi consequenti, quam antecedenti, inquantū consequens est formaliter; potest tamē magis opponi consequenti, quā antecedenti, si ratio consequentis solū materialiter se habeat ad oppositionem, vt dictū est. Et sic vltimū huic tomo colophonē impono, quod vtinam cedat in aliquale obsequiū

Dei Omnipotentis, Purissimæ

Deiparæ, & Doctoris

Angelici D. Th.

Aquinatis.



*Quidquid in hoc tomo scriptum est, Sacrosancta Romana  
Ecclesia, & piorum censura, & emendationi li-  
berissime, & ex corde*

*Subijctio*

# INDEX DISPUTATIONVM, ET DVBIORVM.

- L**ib. 1. Tract. 1. Proem. pagina 1.
- Disp. 1. An quæ docet M. Soto in prima, & secunda propositione sui proemij. solida sint & vera? Ibi.
- Dub. 1. An Dialectica sit prima dignitate inter omnes scientias? Ibi.
- Dub. 2. An Dialectica sit prima acquisitione inter cæteras scientias? pag. 7.
- Dub. 3. An noster intellectus magis inclinatur ad Dialecticam, quàm ad alias scientias? 12.
- Dub. 4. An dialectica sit ars, vel scientia rectè disputandi, & in eundi certamina scholastica? 15.
- Disp. 2. Examinantur, & illustrantur tertia, & quarta propositio proemialis M. Soto. 29.
- Dub. 1. An operationes nostri intellectus sint tantum tres? Ibi.
- Dub. 2. An tres operationes intellectus differant specie? 32.
- Dub. 3. An istæ tres operationes formaliter sumptæ omni, soli, & sæper intellectui humano cõgruant & competant? 34.
- Dub. 4. Vtrum homo in qualibet ex his operationibus proferat verbũ mentale? 36.
- Dub. 5. In quibus ex tribus operationibus reperiatur veritas formalis? 37.
- Dub. 6. Quænam ex tribus his operationibus sit perfectior reliquis? 42.
- Dub. 7. An, & quomodo Logica dirigat tres operationes intellectus nostri? 49.
- Dub. 8. An recta methodo incipiendũ sit in dialectica à termino? 52.
- T**ract. 2. Disp. 1. De signo vt sic, eiusq; essetia, & cõstitutio. 54.
- Dub. 1. An diffinitio signi vt sic bona sit, & exacta? Ibi.
- Dub. 2. An signũ sit in genere rei; an in genere obiecti, & in linea intelligibili? 56.
- Dub. 3. An signũ cõstituatur per ordinẽ prædicamentalem ad signatũ, an per transcendentalem? 58.
- Dub. 4. An signũ cõstituatur per ordinẽ ad poteriã, vel ad signatũ? 63.
- Dub. 5. An signũ debeat esse notius, & imperfectius signato? 67.
- Dub. 6. An causa principalis, vt talis possit esse signũ sui effectus? 68.
- Dub. 7. An causa instrumentalis, vt talis, sit signum sui effectus? 71.
- Dub. 8. Vtrum vnũ simile respectu alterius perfectiõẽ sibi similitis possit esse signum? 73.
- Dub. 9. Vtrũ ratio imaginis imperfectæ, & ratio signi distinguitur? 74.
- Dub. 10. An signũ effectus sit cognitio- nem sui in quibusdam? 76.
- Disp. 2. De cõstitutione signi. 81.
- Dub.

**Dub. 1.** An huiusmodi diuisio sit vni-  
uoca, nec ne? Ibi.

**Dub. 2.** An signū naturale constitua-  
tur respectu transcendentali, an præ-  
dicamentali, an reali, an rationis,  
an autem abstrahat? 84.

**Dub. 3.** An signū ad placitū, vt tale,  
cōstituatur per extrinsecā imposi-  
tionē, an per formam rationis in-  
trinsecam? 86.

**Dub. 4.** An illa forma rationis intrin-  
seca, qua cōstituatur signū ad pla-  
citū, ut ordo rationis secūdū esse,  
an solum transcendentalis? 89.

**Dub. 5.** An voces humanæ ad signa  
purè ad placitum, an ad naturale  
reducendæ sint? 90.

**Dub. 6.** An voces ad placitū signifi-  
cent conceptus, & res? 92.

**Dub. 7.** An signum ex consuetudine  
sit verè signum? 94.

**Disp. 3.** De diuisione signi. 96.

**Dub. 1.** An hæc diuisio sit bona? Ibi.

**Dub. 2.** An signum, quod vocant for-  
male, sit verè signum? 98.

**Dub. 3.** An actus intelligendi sit sig-  
num formale? 104.

**Dub. 4.** An species impressa sit sig-  
num formale obiecti, quod repræ-  
sentat? 106.

**Dub. 5.** An sit, & quid sit signum in-  
strumentale? 108.

**Disp. 4.** De his in quib<sup>9</sup> reperitur v-  
sus signorū, maximeque signi in-  
strumentalis naturalis. 112.

**Dub. 1.** An in Deo sit vsus huiusmo-  
di signorum? Ibi.

**Dub. 2.** Vtrum apud Angelos possit  
esse vsus, & exercitium signi in-  
strumentalis? 114.

**Dub. 3.** An in brutis detur vsus signi  
instrumentalis? &c. 116.

**Dub. 4.** An in sensibus externis detur  
vsus signi instrumentalis? 119.

**Dub. 5.** An idea artificis habeat ra-  
tionem signi instrumentalis? 121.

**Disp. 5.** De obiecto motiuo, & ter-  
minatiuo. 122.

**Dub. 1.** An hæc diuisio sit essētiālis,  
& in linea obiecti? Ibi.

**Dub. 2.** An sit eadem, vel diuersa ra-  
tio obiecti motiui tactū, & ratio  
signi instrumentalis? 124.

**T**RACT. 3. De termino in commu-  
ni. 126.

**Disp. & dub. 1.** An diffinitio tradita  
à M. Soto sit exacta? Ibi.

**Dub. 2.** An hæc sit vera propositio  
terminus est vox? 128.

**Dub. 3.** An sit vera propositio, quod  
terminus est ens rationis? 129.

**Dub. 4.** Vtrum signum sit genus ad  
terminum? 132.

**Dub. 5.** An voces non significatiuæ,  
vt blititi, & scindapfus, possint  
subindui secunda intentione ter-  
mini. 134.

**Dub. 6.** An vltima differentia termi-  
ni sit ordo partis ad componendā  
propositionem? 137.

**Dub. 7.** An vltima differentia termi-  
ni sit actu componere? 139.

**Dub. 8.** An verbū vt copula est ora-  
tionis, obtineat verè, & propriè  
rationē termini enūciatiui? 140.

**Disp. 2.** de diuisione termini in scrip-  
tum, vocalem, & mētalem. 143.

**Dub. vnicū.** An terminus mētalis sit  
verè, & propriè terminus diallec-  
ticus? Ibi.

Disp. 3. De notitijs. 145.

Dub. 1. An diuisio notitiæ intuitiuâ & abstractiuam sit adæquata? Ibi.

Dub. 2. In quibus potentijs dari possit notitia intuitiua, & abs. 153.

Dub. 3. An possit dari etiã de potentia Dei absoluta notitia intuitiua rei absentis? 160.

Dub. 4. Vtrũ notitia rei in speculo sit notitia intuitiua? 165.

Disp. 4. de diuisione cõceptus. 168.

Dub. 1. An huiusmodi diuisio sit bona, & essentialis? Ibi.

Dub. 2. An cõceptus non vltimatus solum vocẽ, an etiã eius significationem repræsentet? 171.

Disp. 5. de conceptu directo, & reflexo. 172.

Dub. 1. de quidditate conceptus directi, & reflexi. Ibi.

Dub. 2. An hæc diuisio sit bona? 173.

Dub. 3. An conceptus reflexus attingat obiectũ cõcepti directi? 174.

Dub. 4. An eadẽ specie cognoscat intellectus directẽ, & reflexẽ? 176.

TRACT. 4. de terminis in particulari. 185.

Disp. 1. De termino vniuoco, & æquiuoco. Ibi.

Dub. 1. An diuisio termini in vniuocũ, & æquiuocum sit bona? Ibi.

Dub. 2. An terminus æquiuocus sit simpliciter vnus terminus? 188.

Dub. 3. An terminus æquiuocus cui adiungitur adiectiuũ vniuocũ, fiat terminus vniuocus? 194.

Dub. 4. An detur terminus mentalis æquiuocus? 201.

Disp. 2. De termino cathegorematico, & sincathegorematico. 209.

Dub. 1. An diffinitio termini sincathegorematici sit rectẽ tradita? Ibi.

Dub. 2. An diuisio termini in cathegorematicũ, & sincathegorematicum sit bona? 213.

Disp. 3. De termino cõmuni, & singulari, collecti uo, & diuisi uo 220

Dub. 1. An diffinitiones termini cõmunis, & singularis tradita a M. Soto sint bonæ? Ibi.

Dub. 2. An sit bona, & qualis diuisio termini in cõm. & sing. 226.

Dub. 3. Vtrũ iste terminus DEVS sit communis? 228.

Dub. 4. An diuisio termini in collectiuũ, & diuisiuũ sit bona? 236.

Disp. 4. De termino absoluto, & cõnotatiuo. 237.

Dub. 1. An diffinitiones vtriusq; termini rectẽ sint tradita? Ibi.

Dub. 2. An diuisio termini in absolutũ, & cõnotatiuũ sit bona? 245.

Dub. 3. An regulæ, quæ ad hos terminos connotatiuos assignatæ ad signatur, sint rectẽ tradita? 247.

Dub. 4. An terminus cõnotatiuus habeat duplex significatam? 249.

Disp. 4. de terminis primæ, & secundæ intentionis. 260.

Dub. 1. An diffinitiones terminorũ 1. & 2. intentionis sint exacta? Ibi.

Dub. 2. An hæc diuisio sit bona? 263.

Dub. 3. Vtrũ omnis terminus 2. intentionis pro materiali debeat esse terminus connotatiuus? 266.

Disp. 5. de term. cõpl. & incõpl. 269.

Dub. 1. An diffinitiones horũ terminorum sint rectẽ assignata? Ibi.

Dub. 2. An terminus cõpositus figuræ sit terminus complexus? 274.

Dub.

- P** 3. Vtruna diffinitio termini cōplexi conueniat orationi? 276.
- D**ub. 4. An terminus cōplexus sit simpliciter terminus? 280.
- T** Raçt. 5. De nomine, & verbo. 283.
- D**isp. 1. de nomine. Ibi.
- D**ub. 1. An diffinitio nominis tradita ab Arist. bona sit? Ibi.
- D**ub. 2. An complexa valeant fortificationem nominis? 285.
- D**ub. 3. An nomina infinita rectè excludantur à ratione nominis per illam particulam *finis*? 287.
- D**ub. 4. An nomina transcendentia possint infinitati? 292.
- D**ub. 5. An casus nominis sit vere, & proprie nomen? 298.
- D**ub. 6. Vtrum casus rectus, & obliquus eiusdem nominis subordinentur eidem conceptui? 301.
- D**ub. 7. An diuersitas generis reperiatur in mente vltimata? 307.
- D**ub. 8. An diuisio termini in nomē, & verbū sit generis in species? 312.
- D**isp. 2. de verbo. 315.
- D**ub. 1. An diffinitio verbi tradita à M. Soto sit exacta? Ibi.
- D**ub. 2. An verbū in propositionibus aeternae veritatis ita absoluat a tempore, quod non significet cum tempore? 321.
- D**ub. 3. An quādo verbum est de extrinseco tempore, absoluat a tempore? 331.
- D**ub. 4. An participium significet cum tempore? 334.
- D**ub. 5. An illa particula, cuius nulla pars, sit rectè posita? 337.
- D**ub. 6. An detur verba infinita, quae

- sint verè verba? 339.
- L** Ib. 2. Traçt. 1. De oratione, & modo sciendi. 345.
- D**isp. 1. de diffinitione orationis. Ibi.
- D**ub. 1. An diffinitio orationis in cōmuni rectè sit tradita? Ibi.
- D**ub. 2. An diuisio orationis in perfectam, & imperfectam sit bona? 350.
- D**isp. 2. de modo sciendi. 354.
- D**ub. 1. An diffinitio modi sciendi sit rectè tradita? Ibi.
- D**ub. 2. Vtrū diffinitio diffinitionis sit rectè tradita? 358.
- D**ub. 3. An diffinitionis condiciones sint rectè assignatae? 363.
- D**ub. 4. Vtrū diffinitio pertineat ad secundam vel ad primam operationem intellectus? 365.
- D**ub. 5. An diffinitio diuisionis sit rectè tradita? 370.
- D**isp. 3. de argumentatione 376.
- D**ub. 1. An diffinitio argumentationis sit rectè tradita? Ibi.
- D**ub. 2. An mala consequentia sit verè conseq. & argumētatio? 378.
- D**ub. 3. An conclusio sit de essentia argumentationis? 383.
- T** Raçt. 2. Disp. 1. de Enunciatione in communi. 405.
- D**ub. 1. An diffinitio enunciationis sit rectè tradita? Ibi.
- D**ub. 2. An praefata diffinitio propositionis sit quidditatiua? 410.
- D**ub. 3. An eadem numero enunciatio mentalis possit transire de vera in falsam? 412.
- D**isp. vltima, & appendix, de suppositione, & oppositione. 446.